Digitized by Google

<3670006829001 5
<3670006829001 5
Bayer. Staatsbibliothek

Digitized by Google

Ging. 963.

Digitized by Google

DEMONSTRATIO EVANGELICA
SIVE
RELIGIONIS
A
IESU CHRISTO REVELATÆ CERTITUDO
ACCURATA METHODO DEMONSTRATA
ADVERSUS
THEISTAS ET OMNES ANTIQUI ET NOSTRI ÆVI PHILOSOPHOS ANTICHRISTIANOS,
QUIN ET CONTRA IUDÆOS, ET MAHUMETANOS.

A
P. BENEDICTO STATTLER, S. J.
IN UNIVERSITATE OENIPONTANA SS. THEOLOGIÆ PROFESSORE PUBLICO ORDINARIO.

Hæreticorum Patriarchæ Philoſophi.
Tertull. lib. contra Hermogenem.



SUPERIORUM PERMISSU ET APPROBATIONE.

AUGUSTÆ VINDELICORUM
SUMPTIBUS MATTHÆI RIEGER ET FILIORUM.
MDCCLXX.

Digitized by Google

Bayerische
Staatsbibliothek
München

Digitized by Google

Approbatio Cenſoris.

Quando opus iſtud ſub titulo: Demonſtratio Evangelica ſive Religionis à JESU Chriſto Revelatæ Certitudo à R. P. Benedicto Stattler S. J. in Univerſitate Oenipontana SS. Theologiæ Profeſſore erudite adornatum non modo Chriſtianæ Religionis Principiis, ac bonis Moribus nihil Contrarium continet; Verùm etiam ad Stabilienda adverſus Theiſtas, & Antichriſtianos noſtri ævi Philoſophos Orthodoxæ Fidei Dogmata plurimum contribuat; hinc ex Officio Epiſcopalis Cenſuræ hoc opus dignum cenſeo quatenus typis impreſſum in lucem publicam prodeat. Auguſtæ Vindelicorum die 3tia Januarii Anno 1770.

Joſephus Herz,
SS. Theol. Lic. Rev. ac Sereniſſ.
Archiepiſc. Trev. & Epiſc. Auguſt.
Conſil. Eccleſ. Viſitat. generalis,
Conſiſt. Aſſeſſor. & Libr. Cenſor.

Imprimatur ex Vicariatu.

Joannes Herz,
SS. Theol. Lic. Rev. ac Seren. Archiep. Trevir. & Epiſc. Auguſt.
Conſil. Eccleſ. Fiſcalis, Viſitator
Generalis, & Can. ad S. Gertrud.
ac Provicarius Generalis.

Digitized by Google

PRÆFATIO.

Sapientis viri dos præcipua, aut ipſe potius ſapientiæ character maxime genuinus iure merito ſtatui poſſe videtur iuſta quædam philoſophandi tum libertas, tum moderatio, ſeu firmum illud iuxta ac moderatum rationis robur, pari prudentia hinc a præcipiti credulitate, illinc a nimiis argutiis deflectens; non quidem inanibus præiudiciis, non obviæ cuique rationi, non cuivis auctoritati ſervilem in modum genua ſubmittens; verum neque apertæ veritati pertinaci inſania obluctans, nec ultra ſolidas vereque ſufficientes rationes aliud requirens, ut continuo tributum eidem, tam ſincerum, quam conſtans abſoluto aſſenſu animi dependat. Sapientem hanc ratiocinandi vim,

 inter

inter immodicas argutias & credendi facilitatem nimiam ex æquo ſeſe continentem, ſi paſſim homines ad diverſarum religionum examen afferrent ſecum; nullus dubito, quin æquali certitudinis evidentia & Chriſtianæ veritas, & vanitas reliquarum, in oculos omnium eſſet incurſura.

Verum ſunt in religionis maxime argumento duo communes rationis humanæ ſcopuli, hinc quidem ſuperba iudicii arrogantia, illinc prava affectio voluntatis; qui aut appellere omnino verſus ſecurum illum unius veræ religionis portum fluctuantem inter mille dubia intellectus humani ſcapham non permittunt, vel iam eo ingredi parantem colliſione infelici denuo repellunt. Inde enim ſupina aliquorum incuria in maturo ac diligenti tantæ rei examine ſuſcipiendo; inde aliorum infinita obſtinatio in vaniſſimis argutiis adverſus claram ingratæ veritatis lucem expediendis.

Antehac quidem omnes, quotquot in ipſo Chriſtianæ religionis gremio ſunt natæ, hæreſes alterutrum ex his vitiis matrem habuere: at noſtri ævi proprium hoc infortunium videtur, ut peſte veluti iam latius diffuſa uſque ad uni-

Digitized by Google

ſam Chriſtianæ rei ſummam ſimul funditus evertendam in illorum maxime animis graſſentur, qui ſubtilioris Philoſophiæ & ſingularis acuminis laudem, dogmatum maxime ſacrorum irriſione referendam, dignam ambitione ſua materiam exiſtimant. Primam illi omnis rerum etiam maxime ſacrarum examinis regulam iſtam ſtatuunt, ſoli rationi naturali univerſe iudicium non minus in religionis argumento, quam in rebus aliis, deferri oportere: eamque ita ſibi ſolam ſufficere abſolute affirmant, ut ad omnem neceſſariam religionis ſummam pernoſcendam DEI altiore magiſterio haud omnino opus habeat. Quare æquum ſibi perinde ius competere exiſtimant prætenſa quævis DEI oracula atque veterum Philoſophorum ſyſtemata & hypotheſes ad ſolenne illud tribunal ſuæ rationis evocandi; quin & anticipata ſententia per iſtius trutinam Chriſtianæ fidei præcipua quæque dogmata ceu ſpuria, abſurda, & cum claro rationis lumine pugnantia condemnari, pro certo habent. Inde porro non minus præcipiti impetu concludunt, nunquam vere ea revelari a DEO, naturalis luminis ipſo auctore, potuiſſe, nec niſi ſpuria eſſe miracula, fallacia vaticinia, & maxime ſuſpectam teſtium illorum

fidem,

ſidem, quibus id genus dogmatum farrago, ceu revelata divinitus aſſeratur. Hinc iam una ſententia & Chriſtianorum fidem, & veterum Philoſophorum in putidiſſimis fabulis aſſerendis facilitatem, ceu inſignem quamdam mentis imbecillitatem atque hebetudinem iudicii explodunt. Verbo: in religionis maxime negotio præcipuam vim ingenii & ſolidum mentis robur obfirmata quadam incredulitate totum conſtare, ſe proin ſolos eximie ſapere, atque, ut vernacula illorum phraſi ſemel utar, ſe fortes eſſe ſpiritus, nos Chriſtianos ex adverſo omnes ultra modum credulos, bardos, obtuſæ naris, ac nimium ſimplicis moris homines eſſe, veluti ex tipode pronuntiant.

Verum, ô boni Superi! quam longe inanis hæc acuminis & ingenii gloriatio a vero illo ſapientiæ conſilio abeſt! Quæro enim primum: an ſaltem cauſſam, ſuper qua tam libere pronuntiant graves iſti iudices ſatis intento animi ſtudio examinarunt unquam? Aut ubi demum in communi ſaltem incredulorum vulgo, in viris illis omni vitæ licentiæ aſſuetis, in feminis omni vanitatum genere diſtractis parumque religioſis, in licentioſis & improvidis iu-

venibus,

Digitized by Google

venibus, ubi, inquam, gravitatem illam virilem & ſoliditatem iudicii invenias, qua, priusquam illud obfirmatæ incredulitatis propoſitum caperent, laborem ſibi atque otium examinis iſtius ſumerent, quo, quid ſapientius rationique conformius eſſet, adiungere fidem Chriſtianis dogmatis, an abnuere, prudenti conſilio defi- nirent? Chriſtiana morum doctrina guſtui non arridet: myſteriorum dogmata mente comprehendi non poſſunt: hoc ſatis ipſis eſt, ut, quod multo ipſis accidit commodius: nihil omnino credant. Verum hæc ipſa doctrina, hæc Myſteria, ſuntne certo revelata a DEO ipſo, an non ſunt? Ecce tibi caput præcipuum, ſuper quo inſiſtere matura animi reflexio deberet. Examen hoc non prolixum minus quam arduum ac difficile futurum eſſet. Hoc illi reformidant, & compendio utentes, eo ſimpliciter ſe exemtos habent. Et ecce! deliberatio iam finita, & ratum firmatumque incredulitatis perpetuæ conſilium eſt.

At ſunt, inquies, ſunt quam plurimi ex viris profunde doctis, ex Philoſophis, in religionis examine non minus, quam in omnium ſcientiarum atque artium ſtudio indefeſſis, qui re-

bus

bus diligentiſſime & ſapienter æſtimatis, cum ipſo naturali rationis lumine abſolute pugnare Chriſtianæ religionis prima capita pro certo habent, & argumentis irrefragabilibus prætenſæ DEI revelationis fabulam demonſtrarunt ſæpe, & demonſtrare hodiedum parati ſunt? Demonſtrarunt vero? An ex vaniſſimis argutiis pro arbitrio intulerunt? Quæro ego rurſum: ubinam in his ipſis quamlibet profunde doctis & indefeſſis ſcrutatoribus æquos illos & nullius partis ſtudioſos iudices invenias, qui in religionis argumento laborem examinis non cum occulto deſiderio auſpicentur, id ipſum in eius præiudicium finiendi? Quis ſatis proprio iudicio, quis etiam ſatis animo diffidit ſuo? Scientias, quæ cum morum & vitæ rationibus non connectuntur, ſatis ingenue addiſcimus, & proficere in intimiore earum notitia nihil admodum veremur. Contra religionis Chriſtianæ ſolida peritia corollaria offert, quæ non minus morum emendationem, quam proprii intellectus ſubmiſſionem, urgent. Sequelarum eiusmodi metus a veritate principiorum animos pridem corruptos abalienat. Blandimur nobis de ſincero veritatis ſtudio, a qua revera defendere nos, & liberare modis omnibus elabora-

 mus.

Digitized by Google

mus. Aut quorſum denique furor ille legendi, & conquirendi arma omnia, quibus illa expugnetur? Quorſum frigus illud, vel horror potius inſuperabilis adverſus ea omnia, quibus contra eadem roboratur? Quid ſibi volunt ſubtilitates illæ infinitæ, totque captioſæ ratiocinationes, quæ ad id unum connituntur, ut rationi ſilentium imponatur, & clamores conſcientiæ ſuffocentur? Applaudant iſti per me ſibi ipſis de eximio ingenii acumine, ac de tam infelici privilegio, quantum libuerit, glorientur. Vereor ego, ne ſenſus intimæ conſcientiæ, quem pravitate voluntatis fruſtra extinguere nituntur, nimis quam frequenter ac opinione acerbius mentis illam adeo oſtentatam quietem perturbet: cum fieri vix poſſit, ut tantum illud ac tam grave argumentorum pondus, tam potenter ad fidem divinæ revelationi tribuendam trahens intellectum, ſola perverſi arbitrii averſione, quaſi levi brachio, excutiatur. Unde vivere pleroſque infelicium iſtorum neceſſe eſt non tam incredulos, quam perpetuis dubiis, metibus, & turbis miſere diſtractos. Certe quidem rationem aut vana arrogantia, aut mille voluptatum illecebris per huius vitæ brevem curſum ſopitam, præſens mortis periculum ſuo

tempo-

tempore reſuſcitabit, vaneque oſtentatum illud iudicii robur non niſi aut ingenii ſtolidum tumorem, aut voluntatis illecebrarum veneno infectæ viliſſimam corruptionem, utriusque demum temerariam adverſus DEUM, primum illum unius veræ religionis auctorem, fuiſſe rebellionem, miſerabiles ſapientes iſtos edocebit. Verum ſera illa nimis eorum inſaniæ medicina futura eſt. Salubriorem ipſis in hac Evangelica Demonſtratione nec fortaſſis philoſophico ipſorum palato ingratam offero : de qua illud iam ſub ingreſſum moneo, non cum ullo Atheorum genere, ſed cum ſolis Theiſtis, naturalem ſaltem religionem profitentibus, divinæ tamen omnis revelationis hoſtibus iuratis, cum Iudæis item , & Mahometem ſectantibus, totam mihi pugnam futuram: contra quos aciem hoc ordine inſtituo.

Primo loco religionis præfixa diſtincta notione, & omnibus veritatis cuiuscunque criteriis examinatis, oſtendo, nullum ex his vulgo humano generi in præſente eius ſtatu vel ad ſolam naturalis religionis neceſſariam notitiam hauriendam ſine accedente divinæ revelationis Magiſterio ſufficere omnino poſſe, ſed neceſſariam prorſus eſſe DEI revelationem. Serviet hæc

prima

prima demonſtratio mirifice ad Philoſophorum noſtrorum, omniumque incredulorum, de neſcio quo rationis acumine ſibi gratulantium, ſuperbiam deprimendam, animosque quamvis maxime refractarios diſponet, ut ingens ſaltem in DEI revelatione beneficium, ſi minus auxilium abſolute neceſſarium agnoſcere cogantur, quod reſpuere ultima ſit temeritas.

Quoniam vero increduli iſti homines haud facile quid aliud moleſtius ferunt, quam obſcuram illam primorum Chriſtianæ religionis dogmatum ſublimitatem, omni humanæ rationis acumine altiorem, ita quidem, ut, quod ipſi capere non poſſunt, idem prorſus repugnare rationi pro certo ſtatuant: idcirco ſecundo loco ex intimis Dialecticæ & Metaphyſicæ principiis oppoſitum cum omni evidentia demonſtro, videlicet poſſe aliquid oppido obſcurum ac plane imperviurn eſſe humano intellectui, quin eo ipſo cum evidenti ullatenus ratione pugnet; darique innumeras veritates ſupra omne humanum acumen poſitas, & omnino ad religionis univerſam ſummam ac perfectionem præcipue pertinentes, quas ſolus DEUS nobis revelare pro arbitrio poſſit. Porro tali revelatione vel per modum meræ hypotheſis interim aſſumta e-

viden-

videntius nihil eſſe oſtendo, quam nos omnes homines inſuperhabita quacunque revelatorum dogmatum obſcuritate ad credendum loquenti DEO graviter obligari.

His principiis univerſe præſtabilitis, ad religionis Chriſtianæ indolem examinandam in ſpecie accedo, talemque eſſe demonſtro, ut & ratione ſuæ excellentiæ ac ſanctitatis ſola inter omnes alias DEO auctore ſumme digna ſit, tum vero etiam rationi naturali ita conformis, ut in eius dogmatis, utut ſublimibus, contradictionis nihil uſpiam oſtendi poſſit. Nec declino hic illud incredulis tam vulgo exoptatum examen præcipuorum Chriſtianorum dogmatum, ſed ſobrietatis ſolum admonitione præmiſſa, in difficultates præcipuas, ab incredulis iactari ſolitas cum omni confidentia ſic me intromitto, ut conſtanter oſtendam, nullam cum ſanæ totius Philoſophiæ principiis pugnam ſacris noſtris dogmatis obiectari vel tenui cum probabilitate poſſe. Poſſibilitati Chriſtianæ totius religionis hunc in modum ſtabilitæ illud ſequelarum par graviſſimum continuo ſubiicio: *primo*, omnem ex integro de veritate Chriſtianæ religionis quæſtionem unice ad hanc *quæſtionem facti* revocandam eſſe: an videlicet Chriſtiana

religio

religio vere ſit a DEO ipſo revelata? *Deinde*, facti cuiuscunque, atque adeo & iſtius, demonſtrationes non metaphyſicas & a priori, ſed, quae factis demonſtrandis propriæ ſunt, morales & phyſicas a poſteriori, exigi iure a ſapientibus & Dialectices peritis hominibus tantum poſſe.

Quoniam vero iſtius facti, omnem præſentis quæſtionis ſummam abſolventis, demonſtratio admodum eſt complicata, & ex plurium factorum ſumma conſtans, quorum unius cum alio connexio totam demonſtrationis vim conficit, videlicet ex DEI certo conſilio & voluntate Chriſtianam religionem revelandi, ex ſignis & factis ſenſibilibus, quibus hoc ſuum DEUS conſilium externe ſignificavit nobis (hoc eſt, ex miraculis & vaticiniis DEI nomine a IESU Chriſto & Prophetis in divinæ locutionis ſeu revelationis ſignum editis) ex atteſtationibus denique authenticis, ac denique ex ſignorum iuxta atque atteſtationum iſtarum effectibus hodiedum extantibus: hinc analyſi factorum iſtorum accurate & ordine inſtituta, primo ex natura ſignorum (i. e. miraculorum & vaticiniorum) pro religionis Chriſtianæ veritate a Chriſto Domino & Prophetis Apoſtolisque editorum, divini conſilii exiſtentiam de illa per hæc

ſigna

ſigna revelanda, atque auctoritate propria atteſtanda, demonſtratione phyſica, licet interim hypothetica, oſtendo; i. e. ſub conditione, ſi ſignorum ipſorum vera exiſtentia deinceps argumentis propriis & ſufficientibus demonſtretur. Hic iam quoque nihil omitto, quod ſive ad miraculorum & vaticiniorum poſſibilitatem, & generalem ſignificandi vim demonſtrandam, ſive ad vindicandam genuinam criſin atque indolem eiusmodi ſignorum pro Chriſtiana religione, tam veteris, quam novi, ut vocant, teſtamenti tempora complectente, in ſpecie editorum, requiri poſſe videbatur ſive a Philoſophis & Theiſtis prorſus incredulis, ſive a Iudæis, Moiſis quidem, at non IESU Chriſti doctrinam eſſe divinitus revelatam, admittentibus. Digreſſione etiam non intempeſtiva ſimul oſtendo vanitatem ſignorum, quæ Mahometis aſſeclæ pro Alcorani ſui prætenſa divina revelatione ſolent allegare.

Hinc ad ipſorum ſignorum locutionis divinæ, i. e. miraculorum & vaticiniorum, veritatem, ſeu exiſtentiam, demonſtrandam progrediens, teſtes primo ſignorum IESU Chriſti oculatos bene magno numero adduco; quorum & fidem & ſcientiam, id eſt, auctoritatem omnem extra ſuſpicionem prorſus poſitam, certamque,

pro-

propriis ex criteriis, ab accurata Logica doceri ſolitis, evincere contendo. Ipſam porro iſtorum teſtium atteſtationem, ſeu ore, ſeu ſcripto editam, ceu novum multiplex factum, ex eiusdem effectis, nimirum ex omnium gentium converſione, & propagatione Evangelii tam repentina, per ipſos mox Apoſtolos, homines omnino rudes, facta, ex erectis per hos primitivis Eccleſiis, atque adeo ex omnium Chriſtianorum, tum primorum, tum qui iſtis deinceps per omnes ætates ſucceſſere, infinitis, & ex integro conſentientibus teſtimoniis morali ſumma cum evidentia, quanta demum cadere in quæſtionem facti diu præteriti poteſt, demonſtro. Non prætermitto rurſus hac occaſione ipſam teſtimonii, ſcripto ab Apoſtolis & Evangeliſtis editi, indolem intimam, id eſt, ſummam ſcripturæ Chriſtianorum Canonicæ authentiam, & integritatem hodiedum incorruptam, quoad præſens fert propoſitum, critico examine luſtrare, atque profanis etiam coævorum teſtimoniis confirmare.

Denique ſignorum divinæ revelationis jam ab orbe condito editorum veritatem, ſeu exiſtentiam, probaturus, ſimili ferme methodo Moiſis & Prophetarum veterum teſtimonia, ſeu

Scriptu-

Scripturas Hebræorum Canonicas, ab omni ſuppoſitionis, fraudis, aut corruptionis ſuſpicione ex characteribus indubiis vindicatas, ſuis auctoribus iuxta ac temporibus aſſero.

Tum demum, omni & univerſa veteris ac novi teſtamenti factorum ſerie & nexu ſub oculos iam poſitis, proprium tempus & locum eſſe exiſtimo tria illa principia inconcuſſa ſtatuendi, videlicet *primo*, fieri haud omnino poſſe, ut tam diverſi generis argumentorum, tum moralium, tum phyſicorum (ſeu motivorum credibilitatis, ut vulgo vocant) mire quam multiplex concurſus, quibus omnibus & ſingulis incredibili conſenſu continuata per amplius quater mille annos Divinæ revelationis hiſtoria & veritas demonſtratur, mero caſui & eventui fortuito originem ſuam debeat, ſed regi eum abſolute DEI infinite ſapientis ac potentis conſilio debuiſſe. *Deinde* idem ſupremum Numen pro infinita pariter bonitate, veracitate, ac fidelitate ſua, maxime in religionis argumento permittere nullo pacto potuiſſe, multo minus ex certo proprio conſilio ordinare, conſenſum ſtabilem tam ingentis numeri argumentorum, partim moralium, partim phyſicorum, qui inſuper habita mentis integerrima rectitudine, & exa-

mine ſumme ſerio ac prudenti, homines intellectu ſano ac libero arbitrio præditos neceſſitate infallibili in errorem per ſummam veritatis ſpeciem induceret. *Denique* ultra id genus demonſtrationes porro aliquid exigere ad hoc, ut quis graviter obligatum ſe ad præbendum divino teſtimonio plenum fidei aſſenſum, atque ad intellectum divinæ veracitati ſubiiciendum, fateatur non niſi aut inſani, aut certe maxime temerarii hominis conſilium eſſe.

Hem tibi, amice lector! brevem Synopſin totius operis, quod nomine maxime congruo *Demonſtrationem Evangelicam* inſcripſi exemplo Euſebii Cæſareenſis, & Ill[mi] Danielis Huetii Abricenſis Epiſcopi, quorum virorum eruditionem ſoliditatemque utinam aſſequi potuerim. Quamquam poſterioris opus iſto inſcriptum nomine, etſi avide expetitum, tamen non niſi iam hoc abſoluto opere mihi legere conceſſum fuit, non minimo utique huius ſcripti mei infortunio. Circumvolitat per omnes etiam Chriſtianas provincias ſcriptorum copia pæne infinita, queis nominis Chriſtiani hoſtes iurati omne animi ſui & ingenii virus adverſus ſacram religionem noſtram evomere non ceſſant. Et quamvis nihil fere uſquam novi argumenti in eisdem legere

ſit,

Digitized by Google

ſit, quod non iam ab antiquiſſimis naſcentis Chriſtianæ reipublicæ inimicis congeſtum, & item a primis eiusdem propugnatoribus, a Iuſtino Martyre, ab Irenæo, ab Origene, a Tertulliano, a Lactantio, ab Euſebio Cæſareenſi, aliisque plene fuerit refutatum: nihilominus non ceſſat indefeſſa orci induſtria & rabies implacabilis novas hydras poſt priorum iam demiſſa capita in humanam perniciem identidem protrudere. Quidnî ergo multiplicatis tot venenis multiplicata etiam antidota opponi conſultum videatur?

Methodum ſecutus ſum, qualem ipſe in mea Logica, non magis aliis, quam mihi inprimis, pro lege ſtatui; ſperoque, fore, ut, quo intimius quisque in genuinæ ac cultioris Dialecticæ notitia verſatus fuerit, eo luculentius tum totius religionis Chriſtianæ divinam prorſus œconomiam, atque ſapientiam, tum demonſtrationum eiusdem ſummam certitudinem, introſpecturus ſit. Stylus quod non pro ævi noſtri elegantia ſatis cultus, nec etiam ubique ſibi ſimilis ſit, eo facilius diſſimulandum a lectore prudente ſpero, quo magis ipſe intelliget, quantis reflexionibus aliis, multo maioris momenti, & magis neceſſariis, diſtrahi in hoc opere parando auctoris attentionem neceſſe fuerit.

Ipſa quæſtionum ſubtilitas, & methodi magis ſeveræ indoles, ſæpe præciſum magis quam elegantem calamum requirebant, & ab omnibus eloquentiæ uberioris excurſionibus ad ſcholaſticæ præciſionis anguſtum tramitem reſtrictum. Faxit DEUS, ut incredulos omnes Philoſophos de Chriſtianæ religionis veritate convincam. Tunc enim hæreſes noſtra ætate fortaſſis pæne omnes hoc ipſo quoque diſparere viſuri ſumus: quippe quarum copiis, antiqua ſigna, velut certo ſalutis expertia, turmatim deſerentibus, Theiſtarum exercitus totum pæne robur hodie conflatur. Vale, amice lector, & errores meos aut corrige, aut tolera humaniter.

CON-

Digitized by Google

CONSPECTUS OPERIS.

CAPUT I.

Principia generalia ſtatuuntur, ex quibus religionis notio Generica ſtabilitur. Pag. 1

CAPUT II.

De notitia religionis ſufficiente, & de neceſſitate alicuius circa eam revelationis divinæ. 18

Articulus I. *Principia prævia.* ibid.

Artic. II. *An demonſtrationis evidentia veræ religionis noſcendæ criterio pro vulgo hominum ſervire queat?* 26

Artic. III. *An ſenſus communis naturæ criterium univerſe aptum ſit primorum veræ religionis capitum noſcendorum?* 34

Artic. IV. *An auctoritas humana apte religionis criterium ſaltem pro vulgo hominum ſtatuatur?* 53

Artic. V. *An ad notitiam veræ religionis cuiuscunque ſufficientem hominibus vulgo & univerſe communicandam neceſſaria ſit aliqua revelatio divina?* 59

CAPUT III.

Poſſibilitas religionis alicuius ſupernaturalis in genere, & revelationis eiusdem nobis a DEO faciendæ, demonſtratur. 85

CAPUT IV.

Demonſtratur, quoad opus eſt, poſſibilitas religionis Chriſtianæ in ſpecie, & revelationis eius a DEO. 118

Artic. I. *Ortus atque indoles religionis Chriſtianæ univerſe proponitur ob oculos.* 119

Artic. II. *Eiusdem excellentia explicatur, quatenus ea in ſolius naturalis religionis dogmatis explanandis verſatur.* 145

Artic. III. *Quænam ſint ea, quæ religio Chriſtiana, quoad ſupernaturalis ſecundum ſubſtantiam eſt, religioni mere naturali ſuperaddit.* 159

Artic. IV. *Quam religio Chriſtiana tota ſit ob ſublimitatem, ſanctitatem, & utilitatem ſuam, digna DEO, eiusque Sapientia, Sanctitate, & bonitate.* 166

Artic. V. *Inſtituitur examen ſobrium & modeſtum præcipuorum dogmatum Chriſtianæ religionis.* 177

§. I. Difficultates Metaphyſicæ circa Myſteria SS. Trinitatis, & Incarnationis Divinæ, explanantur. ibid.

§. II. Repugnantiæ phyſicæ removentur a Myſterio SS. Euchariſtiæ, & a dogmate ignis infernalis ſpiritus cruciantis. 188

§. III. Abſurda moralia excutiuntur a Myſterio Crucis, a dogmatis de peccato originali, de pœnarum peccati æternitate, de conſiliis Evangelicis &c. 193

CAPUT V.

Exiſtentia revelationis divinæ de religione Chriſtiana certa eſſe hypothetice demonſtratur ex criteriis, ſeu characteribus, iſtius extrinſecis immediatis. 239

Artic. I. *Certitudo revelationis divinæ de religione Chriſtiana ex veris miraculis hypothetice demonſtratur.* 240

§. I. Lemmata quædam prævia philoſophica, ex quibus miraculi divini notio, & poſſibilitas, ſtabilitur. 241

§. II.

§. II. *Natura atque indoles certitudinis phyſicæ, & moralis, accurate explicatur.* 250

§. III. *Miracula vere divina a prodigiis naturæ iuxta atque a diabolicis præſtigiis cum omni ſufficiente certitudine diſcerni poſſe oſtenditur.* 263

§. IV. *Miracula, quibus veteris religionis Iudaicæ, & religionis Chriſtianæ, divina revelatio comprobari ſolet, certo divina fuiſſe miracula, demonſtratur.* 279

Artic. II. *Eadem certitudo divinæ revelationis hypothetice demonſtratur ex veris Prophetiis.* 297

§. I. *Quid ſit prophetia, & an ſoli DEO conveniat illius eſſe auctorem.* 298

§. II. *Tam veteris Iudaicæ, quam religionis Chriſtianæ revelatio divina vera prophetiis comprobata eſt.* 301

§. III. *Prophetiæ exhibentur, Iudæorum præcipue pertinaciam, & utriusque revelationis divinæ antiquæ, & novæ nexum demonſtrantes ex characteribus individuis, quibus Meſſiam venturum deſignant.* 341

CAPUT VI.

Falſum, ac ne poſſibile quidem eſſe, oſtenditur, aut Iudaicam hodiernam religionem, aut Mahumetanam, eſſe a DEO revelatam. 431

Artic. I. *Hodierna Iudæorum religio DEI revelationi eſſe conformis non poteſt.* ibid.

Art. II. *Nec veriſimile, nec poſſibile eſt, Mahumetis religionem eſſe a Deo revelatam.* 435

CAPUT VII.

Exiſtentia revelationis divinæ de religione Chriſtiana novi teſtamenti abſolute certa eſſe demonſtratur ex criteriis eiusdem extrinſecis mediatis. 446

Artic.

Digitized by Google

Artic. I. *Doctrina, miracula, & prophetiæ IESU Chriſti, ab eius Apoſtolis & diſcipulis, ceu teſtibus oculatis, cum oretenus, tum ſcriptis Evangelicis, & Epiſtolis canonicis, atteſtata ſunt, & mox ab innumeris hominibus ob eam atteſtationem firmiſſime credita: eaque atteſtatio incorrupta ad nos uſque pervenit.* . . . 451

§. *Inſtituitur Examen Criticum quatuor Evangeliorum.* 503

Artic. II. *Apoſtoli, & Evangeliſtæ, qui de IESU Chriſti doctrina, miraculis, & Prophetiis ſunt teſtati, nec impoſtores, nec decepti ipſi fuiſſe, oſtenduntur.* 574

§. *Confirmatur illorum atteſtatio teſtimoniis etiam profanis.* . . . 617

CAPUT VIII.

Exiſtentia revelationis divinæ de religione veteris teſtamenti Hebraica abſolute certa eſſe demonſtratur. Sive: Scripturæ Hebraicæ veteres, in Iudæorum Canone contentæ, atque inprimis Pentateuchus Moſis, prorſus genuinæ & authenticæ eſſe oſtenduntur. 655

Concluſio & Synopſis totius operis. 751

DEMON-

DEMONSTRATIONIS EVANGELICÆ

CAPUT I.

PRINCIPIA GENERALIA IN THEOLOGIA NATURALI UBERIUS DEMONSTRARI SOLITA, PRÆMITTUNTUR, ET EX IIS RELIGIONIS NOTIO GENERICA STABILITUR.

Non cum Atheis pugnandi conſilium eſt, quibuscum in Theologia Naturali iam plene eſſe debellatum ſupponimus, ſed cum Theiſtis, id eſt, unius divinæ revelationis hoſtibus, congredi eſt propoſitum; qui Theologiæ naturalis dogmata, ſolius rationis naturalis luce demonſtrata, ut plurimum intacta relinquunt, quin ipſi contra Atheos fervide propugnant. Quoniam tamen nec inter Theiſtas de cunctis Theologiæ Naturalis placitis, etiam præcipuis, omnino convenit;

quæ & qualia nos in iſtius operis decurſu veluti inconcuſſa ſupponamus Theologiæ Naturalis principia, demonſtrationis filum inde adornaturos omnino decet diſtincte præmittere, maxime vero ea, ſine quibus religionis, de cuius revelatione divinitus facta tota nobis eſt quæſtio, notio generica dari diſtincta ſimul atque completa nequaquam poteſt. Itaque

§. 1.

Exiſtere DEUM, eumque unicum, ſupponimus, hoc eſt, ens infinite perfectum, neceſſarium, a nullo alio dependens, ſumme potens, ſapiens, ac bonum abſolute, *eundemque eſſe auctorem huius univerſi,* cauſſamque primam effectricem omnium, *ſumme ſimul benevolum erga creaturas ſuas rationales,* benevolentiæ iſtius capaces: præterea

§. 2.

Eundem DEum, uti res omnes libere creavit, ita easdem continuo conſervare, ac gubernare, ſumma providentia; etſi ipſe a re nulla ſecundum ſe dependeat, ceu ſufficientiſſimus ipſe ſibi.

§. 3.

Finem porro ultimum creationis rerum omnium DEO huic ſumme benevolo haud alium fuiſſe propoſitum ſupponimus, quam ut libero obſequio rationales creaturæ & ipſi gloriam redderent, & felicem ſibi beatitudinem promererentur: in quo fine conſtituendo nulla uſpiam utilitatis propriæ, cuius nec capax erat, ſumma tamen benevolentiæ erga nos ſuæ, ratio unice a DEO habita fuit.

§. 4.

Digitized by Google

§. 4.

Præterea vero *fines hi duo creationis ita inter ſe implectuntur, ut DEI gloria ex rebus ab ſe creatis referenda in ipſa creaturarum rationalium beatitudine a DEO ipſo fuerit conſtituta, certe utraque a ſe mutuo inſeparabilis omnino ſit.* Utraque enim in diſtincto intuitu infinitæ illius divinæ perfectionis ac pulcritudinis, eximio de eiusdem magnitudine iudicio, & perfecto amore, per quos actus mens beata eadem fruitur, conſiſtit.

§. 5.

Porro cum finis ſemel propoſitus univerſe regulas offerat, ac determinet, queis ipſum dare effectui oporteat: idcirco *prima omnium ac maxime generalis regula practica noſtræ omnis beatitudinis iuxta ac DEI gloriæ in præſentis vitæ ſtatu promovendæ eſt*, ut DEum, bonum illud infinitum, tum prout in ſe ipſo eſt, tum prout in creatis a ſe rebus, & præcipue in creaturis rationalibus, nobisque ipſis, ceu in effectibus ſuis præſtantiſſimis, participatione perfectionum ſuarum ineſt, perfectius identidem cognoſcere & amare, id eſt, *DEum propter ſe ipſum, & nos ipſos æque, ac alios homines propter DEI ſimilitudinem, perfecte amare omni ſtudio adlaboremus.*

* Principium, ſeu *regula prima practica,* alicuius perfecti operis, ceu finis, eſt iudicium practicum tam univerſale, in quo omnes ceteræ regulæ practicæ de eodem efficiendo fine contineantur. Talis revera eſt præceptum iſtud de triplici amore, DEI inprimis, noſtri ipſorum, & aliorum hominum, ab ipſo Chriſto Domino pro tali traditum Matth. 22. 38., quod merito pro *primo,* uti religionis naturalis, ita & *Iuris Naturæ, principio univerſali practico* habendum. Etſi enim ratio ſufficiens, cur hæc regula prima generalis practica, ceteras omnes particulares re-

gulas practicas complectens, a DEO nobis, ſeu conſilio, ſeu lege, præſcribatur, ſit ipſa partim ſanctitas, partim bonitas reſpectiva DEI, aliave perfectio quæcunque divina: attamen hæ ipſæ perfectiones quidem DEO ſunt inſtar regularum dirigentium, quid nobis præſcribere ipſum deceat; at non ſunt tales immediate reſpectu noſtri, ſaltem practice & immediate docentes, quid nos agere debeamus, ut finem prædictum conſequamur.

§. 6.

Amare aliquem eſt eius bonum velle, & nolle malum, i. e. in eius bono ſibi complacere, & abſens eidem exoptare, mali eius habere diſplicentiam, atque huius abſentiam exoptare. Eſt vero diverſa boni & mali ratio; aliud *verum bonum*, *verumque malum* eſt; aliud *ſolum apparens*. Qui vere amat, verum bonum amato vult, & vult ab eo abeſſe verum malum. Bonum mere apparens, cum revera malum ſit, non vult eidem, nec vult ab eo abeſſe malum mere apparens, ceu verum illius bonum. Ad hoc autem boni & mali veri diſtincta cognitio, & *univerſe ad finem creationis ultimum conſequendum*, *diſtincta intellectus iudicia*, *ſeu regulæ*, *requiruntur de vero DEI*, *noſtro*, *& aliarum creaturarum rationalium bono & malo*, *quod amore illo triplici velle & nolle DEO*, *nobis*, *& aliis*, *debeamus*, i. e. amore complacentiæ, concupiſcentiæ, aut benevolentiæ appetere, & odio diſplicentiæ, & fugæ, averſari.

§. 7.

Bonum creatum, ſeu verum, ſeu apparens, ſemper finitum eſt, id eſt, multis defectibus mixtum; bonum vero increatum, ſive divinum, admodum nobis obſcure in iſtius vitæ ſtatu, nec niſi finito modo cognitum nobis, atque perſpectum eſt.

Neu-

Digitized by Google

Neutrum itaque attentionem noſtram figendo ſic mentis noſtræ mobilitatem, ad purum bonum ſemper ſuo deſiderio anhelantis, ad ſe rapit, ut non omiſſa quavis finita boni, ſeu veri, ſeu apparentis, ratione, quæ quibuscunque huius vitæ rebus ineſſe noſcitur, & defectuum potius, qui ſimul cum bonis ineſſe animadvertuntur, attentione habita, idem negligere, vel etiam ad eius oppoſitum converti, iſtudque præ illo perinde eligere poſſit. Expedita hæc ad utrumque pariter facultas, videlicet ad amplectendum quodvis bonum in hac vita cognitum, ſeu verum, ſeu apparens, & ad idem non amplectendum, aut etiam averſandum, vocatur *libertas arbitrii*, ſeu *indifferentiæ*, vel etiam *libertas ab agendi neceſſitate: quam in nobis exiſtere, ſenſu intimo experimur.*

§. 8.

Liberi ergo quoque in præſentis vitæ ſtatu ſumus libertate indifferentiæ in conſectando fine creationis noſtræ ultimo, ſeu in amando DEO, nos ipſos, aliosque homines (§. 5.) *ac volendo eorum vero bono, & nolendo malo vero, etiam ſecundum huius vitæ modum ſatis diſtincte cognito* (§. præc.).

§. 9.

Qui libere elegit quodcunque bonum, vel malum, a ſe pro tali cognitum, is eſt ipſe auctor & arbiter ſuæ electionis, bonæ, vel malæ, atque adeo ipſi tribui debet bonitas, vel malitia, actus voluntatis, ſeu electionis, ſic, ut prior *laudis &* poſterior *vituperii rationem ac meritum in ſe habeat.* Ex adverſo qui non libere, ſed neceſſitate unde unde ſibi impoſita, bonum amplectitur, & averſatur malum; cum non ipſe ſit auctor & arbiter actionis ſuæ; eidem nec

Digitized by Google

tribui poteſt, nec adeo laudi verti bona, nec vituperio mala electio voluntatis.

§. 10.

Libertas ergo arbitrii eſt ſola abſoluta & adæquata ratio ſufficiens meriti actuum voluntatis, ſeu in ordine ad laudem, ſi bene, ſeu in ordine ad vituperium, ſi male facta fuerit electio.

* Loquor *de ratione meriti ſimpliciter*, non de magnitudine & qualitate; quæ haud dubie ab aliis quoque pendet, puta a dignitate perſonæ operantis, ab excellentia principii, actionis difficultate, fervore conatus &c.

§. 11.

Sicut amando verum DEI, noſtri, aliarumque creaturarum rationalium bonum cum noſtra beatitudine immediate coniunctam DEI gloriam promovemus (§§. 4. 5.); ſic idem non amando, aut amplectendo malum verum eidem utrique oppoſitum, non modo noſtrum aliarumque creaturarum rationalium bonum beatitudinemque, ſed ipſum DEI bonum, cuius illud participatio mera atque ſimilitudo eſſe a nobis actu cognoſcitur, contemnimus, *In omni ergo neglectu, vel averſatione boni, pro vero bono cogniti, iuxta atque in omni appetitione mali, pro vero item malo cogniti, ſeu idem ad DEUM immediate, ſive ad nos ipſos, aut ad alias creaturas rationales ſpectet, ſiquidem cum DEI, ſummi boni, & auctoris omnis boni creati, atque etiam finis ultimi, cognitione & memoria, coniuncta ſit, verus ac præſens contemtus practicus atque ignominia ipſius DEI, ſeu boni infiniti, neceſſario intervenit.*

* De veritate & natura iſtius contemtus, *materialis* ſaltem, in Theologia Naturali a §. 171. ſeqq. accurate egi; ad

ad quæ Theiſtam, qui diſtinctiorem theſis iſtius oſtenſionem forte deſideret, remitto.

§. 12.

Beatitudo, cuius ceu finis ultimi cauſſa creati a DEO ſumus, cum ſit haud dubie ſtatus omnimodæ, completæ, ac continuo perdurantis felicitatis, quippe donum perfectiſſima DEI in creaturas rationales benevolentia dignum, *non eſt huius vitæ, ceu ſummis miſeriis nunquam expertis, ſed alterius, certiſſime venturæ vitæ proprius ſtatus, idemque in iis, qui illum conſequentur, æternum duraturus.* Æternitatem iſtam futuri huius feliciſſimi ſtatus non opus eſt repetere ex magnitudine meritorum creaturæ rationalis (§. 9.), fini creationis ſuæ præſentem vitam unice conformantis, tantum præmium expetente; ſed exhibito per illam ſemel eo libero obſequio, quod exigere ab ea ſingillatim DEO ſapientiſſimo placuerit, ſufficit ipſe perfectiſſimus amor benevolentiæ DEI in creaturas ſuas rationales, qui limites alios non habet, quam quos creaturæ iſtius ſuæ libera malitia eidem ponit,

§. 13.

Quoniam liberi arbitrii meritis & obſequio hanc beatitudinem conſequi nos vult *DEUS* (§.3.), nec univerſi auctorem ſapientiſſimum fruſtrari omnino fine ſuo decet; *ſufficientibus mediis impellere libertatem noſtram debet, ut congruis huic fini laudabilis electionis actibus* (§. 9.), i. e. amplectendo DEI, noſtrum, aliarumque creaturarum verum bonum ſemel rite cognitum (§. 6.), & averſando malum, *DEI gloriam & beatitudinem noſtram conſectari iam in iſtius vitæ ſtatu reipſa totis viribus conemur* (§. 5.), *&, qui huic utrique recta opponitur, DEI eiusdem ac beatitudinis noſtræ contemtum*, qui in omni delibera-

 to

to veri boni neglectu, aut amplexu mali veri, intervenit (§. 11.) *devitare.*

§. 14.

Media, quibus DEUM libertatem noſtram ad creationis finem rite conſectandum urgere deceat, non poſſunt eſſe phyſica, agendi neceſſitatem inferentia; *ſed moraliter ſufficientia, i. e. ſufficientia motiva, diſtincteque ſatis propoſita, eſſe debent, queis, libertate ceteroquin ſalva, voluntatem tamen potenter ſatis impellat ad bonum, & a malo abſterreat.*

§. 15.

Motivum eiusmodi, ſeu medium impellens, moraliter ſufficiens, eſt ipſa certitudo beatitudinis futuræ in alio quodam feliciore vitæ ſtatu, atque æternum duraturæ, conditioni huic affixa, ſi nimirum in præſentis vitæ ſtatu libero obſequio DEO gloriam triplicis illius amoris ſtudio (§. 5.) *reddere connixi pro virili parte fuerimus.*

§. 16.

Porro motivum iſtud vim omnem coërcendæ humanæ libertati ſumme neceſſariam amittet, ſi eadem ipſa beatitudo alterius vitæ nihilominus etiam illis hominibus adveniret, qui DEO creatore ſuo paſſim contemto (§. 11.), dictis & factis triplicis illius amoris regulæ contrariis (§. 5.) a fine creationis ſuæ, perverſo abuſu liberi arbitrii perpetuo deſciſcerent. *Evidens* ergo *vel ſolo lumine naturæ eſt, ad alterius vitæ beatitatem a DEO creatore & gubernatore huius univerſi ſapientiſſimo nequaquam admitti poſſe, qui in præſentis vitæ ſtatu pertinaci liberi arbitrii abuſu a fine creationis ultimo deſciſcunt.*

§. 17.

§. 17.

Interim omnis humanus animus natura ſua vitæ immortalis evidenter capax eſt, vitamque immortalem evidenter reipſa continuabit poſt mortem corporis; modo DEO ut auctori naturæ ſua voluntas conſtet, qua per ſe omnem creaturam rationalem immortalis, & beatæ quidem vitæ cauſſa creavit (§. 3. 12.).

* Licebit iſtius theſis completiſſimam demonſtrationem ex Pſychologia §. 425. hic ſupponere.

§. 18.

Evidens quoque eſt, quod ſi impiorum animi poſt huius vitæ finem ſuperſtites, & beatitatis tamen, cuius unius cauſſa conditi a DEO ſunt, ſua culpa expertes ſimul futuri ſint; evidens, inquam, eſt, non poſſe illos hac ipſa irreparabilis iam deinceps iacturæ ſorte non immenſum cruciari. Evidens item eſt, ſpectatis pravis habitibus & vitiis, quæ in ferream conſuetudinem longa frequentatione malorum actuum in hac vita abiere, obfirmatos ſemel in malo animos per naturæ humanæ ſolius vires nullo pacto ſibi ſuffecturos, ut aut ſibi ipſis, ſi ſolitariam ſint acturi vitam, aut aliis ſimiliter affectis impiis hominibus, ſi ſocialem cum his vitam proſequi detur, ullam felicitatem præſtare queant. Atque adeo *evidens hoc ipſo, ſolo etiam naturæ lumine ſpectato, eſt, improbos, ſi ipſorum animi poſt huius vitæ finem æternum ſuperſtites futuri ſint, hoc ipſo infeliciſſimos æternum fore, atque æternis pœnis cruciandos.*

§. 19.

Sed neque veriſimile eſt, nec decet ſummam DEI ſapientiam, atque ipſam quoque bonitatem infinitam, ut animos hominum etiam improborum,

 quos

quos ſemel æternos per ſe eſſe voluit, atque æternæ fruendæ beatitatis cauſſa ipſe unice creavit, poſt nefarium propriæ libertatis abuſum, ab eis cum ſummo bonitatis ipſius contemtu, atque aliorum quoque eis conviventium non ſolum ſummo incommodo, ſed etiam pravo exemplo factum, eo præciſe fine omni vita ſpoliatos annihilet, ut ab infelicitatis ſuapte ſponte ſibi accitæ ſenſu ac toleratione immerentes liberet. Non modo, inquam, nulla vel tenui ratione poſitiva probabile hoc eſt, ſed & Sapientiam DEI iuxta ac bonitatem ipſam dedecet: quippe qui, id genus intempeſtiva miſeratione obſtinatæ malitiæ hominibus indulta, non modo probos, & gloriæ ipſius iuxta atque ſuæ beatitudinis magis ſtudioſos, ipſorum acerbioribus vexationibus exponeret, ſed etiam hos eosdem periculo exponeret, ne tanto infelicis æternitatis ſtimulo ſemoto, ac paulo difficilioribus tentationum motibus ingruentibus, & ipſi a conſectatione ſtrenua ſui finis deficerent, atque pravis habitibus ſucceſſu temporis, atque hinc ipſo amittendæ beatitudinis infortunio, implicarentur. Ut nihil dicam, omnem vim motivi iſtius abſterrentis, metus nempe perdurantis perpetuo æternumque infelicis vitæ, ipſis in malo obſtinatis hominibus, ceu unicum remedium, hac durante vita ſumme neceſſarium eſſe, cuius efficacia ad reparandum vincendumque amittendæ æternæ beatitatis periculum in tanta pravarum affectionum iam contracta vehementia adhuc iuvari poſſint. Itaque *non ſolum communis naturæ ſenſus, ſed etiam clarum rationis lumen certo nos docet, non modo bonorum, ſed etiam improborum hominum animos in futuræ vitæ ſtatu æternum ſuperſtites futuros, atque iuxta iſtos æternis pœnis cruciandos, atque illos nunquam finienda beatitudine feliciſſime fruituros.*

• Uni-

* Univerſa atque ſingula hæc principia in Theologia Naturali accurata methodo demonſtrare, evolutis continua ſerie ſolidisque ratiociniis, conatus ſum, ad quæ remittere Theiſtam licebit, opinor. Sed nec quidquam intereſt ad præſentis demonſtrationis Evangelicæ filum proſequendum, animorum immortalitas, & æternitas pœnarum vitæ alterius, Theiſtæ cuivis prorſus perſuaſa ſit, an non. Modo dubium ſaltem ſuper his, ex propoſitis argumentis motum, illius attentionem ad porro dicenda excitarit. Demonſtrata ſemel divinæ revelationis exiſtentia dabit ultro haud dubie victas manus.

§. 20.

Actus divinæ voluntatis efficax, qua DEUS vult, ut creatura rationalis bonum determinatum fini ſuo conveniens libere agat, & malum eidem oppoſitum devitet, coniunctus cum determinatione præmii, aut obtinendi per rectum uſum, aut amittendi per abuſum libertatis, *divinæ voluntatis conſilium* vocatur. Idem actus divinæ voluntatis econtra *lex divina*, ſeu *legis divinæ ſanctio*, dicitur, ſi præter ſtatutum præmium, aut conſequendum, aut præciſe amittendum, inſuper pœnam poſitivam præter præmii iacturam transgreſſioni ſuæ a creatura rationali factæ decernat.

§. 21.

Efficacia, tam conſilii, quam legis divinæ, ſeu effectus, immediatus quidem, eſt certa iſtius cognitio rationali creaturæ actu communicata inſtar motivi ac medii moraliter ſufficientis (§§. 14. 15.) *& vel impellentis ad actum ipſum bonum, vel abſterrentis a malo; mediatus autem effectus eiusdem eſt vel actus liber creaturæ rationalis divino conſilio, aut legi, eiusdemque cognitioni diſtinctæ conformatus, & præmii collatio a*

DEO

Digitized by Google

DEO facienda, vel deficiente per creaturæ rationalis abuſum liberi arbitrii hac conformitate actus, idem mediatus effectus eſt aut ſubtractio præmii reſpectu conſilii, aut pœnæ executio reſpectu legis divinæ.

§. 22.

Effectus immediatus conſilii, & legis divinæ, id eſt, eiusdem certa cognitio, huiusque vis ſufficiens motivi inſtar impellendi liberam creaturæ rationalis voluntatem ad bonum, & abſterrendi a malo, *obligatio* vocatur, & quidem quæ in intimatione ſolum conſilii divini, prœmia præciſe, aut horum amiſſionem decernentis, conſiſtit, *obligatio imperfecta* ob minorem movendi virtutem dicitur; *obligatio perfecta* econtra appellatur, quæ in legis divinæ, pœnas quoque congruas transgreſſioni apponentis, intimatione animum liberum validius ſtimulante continetur.

§. 23.

Actio libera hominis, ad quam DEI conſilio, vel lege, obligatur, *officium hominis* appellatur, idque rurſus vel *perfectum,* ſi obligatio perfecta, ſeu ex lege, ſit, vel *imperfectum,* ſi obligatio ſit imperfecta, ſive ex conſilio divino (§. præc.).

Quoniam porro triplicis univerſe generis actibus, vi generalis primæ regulæ practicæ (§. 5.) finem creationis conſectari poſſumus, actibus nimirum amoris erga DEUM, nos ipſos, atque alios homines, ac proin triplicis etiam generis actibus, amori DEI, noſtri, aliorumque hominum contrariis, ab eodem fine cum DEI contemtu (§. 11.) deſciſcere; quoniam quoque DEUM ad priora tria actuum genera ſufficientibus motivis, i. e. conſilio, vel lege, nos impellere, a poſterioribus autem ab-

ſterre-

ſterrere, decet (§§. 13. ſeqq. & §, 20.): idcirco facile patet, *triplicis generis officia hominis cuiusque eſſe, erga DEUM videlicet, ſe ipſum, & alios, quorum conſtanti executione & pœnas æternas devitare, & beatitatem æternam, cuius cauſſa creatus a DEO eſt, conſequi ipſum oporteat.*

§. 24.

Conſilia & leges divinæ, queis ad officia noſtra exequenda obligamur, aliunde naturali ratione cognoſci a nobis haud poſſunt, niſi ex cognito prius per certum iudicium conſenſu, vel diſſenſu, actuum noſtrorum cum fine (§§. 3. 20.), ita quidem, ut vi generalis principii practici (§. 5.) omnes illi actus, pro diverſo ſuo ad hunc finem momento, aut conſilio, aut lege DEI, præſcribantur, queis DEI, noſtrum, ac aliorum hominum, verum bonum amando, DEI gloriam noſtramque beatitudinem promovemus; ex adverſo omnes item illi, qui cum eodem bono pugnant, nec proin ſine DEI ignominia & contemtu admitti poſſunt (§. 11.), pro diverſo rurſus cuiusque momento, vel lege, vel conſilio DEI, vetentur. Quo ipſo nomine generale illud principium practicum (§. 5.) principium primum Iuris naturæ practicum loc. cit. not. appellavimus, eo quod regula ſit generalis, ex qua ſola immediate in omnium legum divinarum, ad Ius Naturæ neceſſarium & immutabile ſpectantium, notitiam certam venire poſſimus.

Porro iudicium illud certum prævium, quo conſenſum, vel diſſenſum, actus cuiusque noſtri cum fine prædictum cognoſcimus, *dictamen conſcientiæ remotum,* ipſe vero conſenſus ille, vel diſſenſus, qui huius dictaminis obiectum eſt, *bonitas, vel malitia, actus obiectiva fundamentalis, remota, & incompleta,*

Digitized by Google

pleta, appellatur; eo quod fundamentum ſit, cur DEUS talem actum lege, vel conſilio, præſcribat, aut vetet, & ex quo ipſo nos in huius divinæ legis, vel conſilii, notitiam immediate & unice vi rationis naturalis pervenire poſſumus.

Iudicium vero, ex priore immediate naſcens, quo ipſam DEI legem, ſeu conſilium, id genus actum ob bonitatem, vel malitiam, ipſius fundamentalem præſcribentis, aut vetantis, certo cognoſcimus, *dictamen conſcientiæ proximum* vocatur; ipſe autem conſenſus actus (ſeu liberæ electionis) poſt hoc dictamen conſequentis, vel diſſenſus eiusdem, cum lege, vel conſilio DEI, *bonitas, vel malitia, obiectiva proxima & completa* recte nominatur.

Præterea, cum cognitio humana circa rationem veri boni & mali (§. 6.) ſæpe errori citra liberum arbitrium obnoxia ſit; etiam *dictamen conſcientiæ remotum ſæpe citra culpam falſum eſſe poteſt*, atque adeo actus ſæpe reipſa poteſt eſſe fundamentaliter malus, quem bonum iudicat, & viciſſim. Quoties ergo error innoxius eſt, nec voluntarius ullo pacto, actui tali *bonitas, vel malitia, formalis* conſtare dicitur, ſeu *moralis*, quæ non eſt niſi conſenſus, vel diſſenſus actus cum fine, quoad finis ſubſtat cognitioni, & ipſe conſenſus ille a libertate pendet (§. 10.).

* Neminem mirari ſubeat, prima diſputationis huius adyta, quæ planiſſima eſſe oporteret, ſpinis metaphyſicis a nobis aſperari. Memineris velim, Lector! cum Theiſtis omnem nobis rem futuram, hoc eſt, cum hominibus non acutis modo, ſed ultra omnem modum ſubtilitatem affectantibus, & demonſtrationum rigorem ubique depoſcentibus. Decurſus tractationis affatim docebit, haud fruſtra in id genus minutiis accurandis noſtram mox initio ſollertiam

lertiam

tertiam exerceri. Vel ſola *religionis* notio, mox quam explicatiſſime ſubiicienda oculis, a qua lucem diſpergi in omnia oportebit, quæ dicenda erunt deinceps, ſpecimen dabit, in principiis rite ſtatuendis, velut in primis ſeminibus iaciendis, diligentiam feliciſſime verſari. Licebit tamen ob ipſam præfatam rationem uberiorem principiorum iſtorum explanationem iam in Theologia Naturali accurate traditam hic ſupponere.

§. 25.

Iudicia illa omnia, quibus & intellectus noſter dirigatur, ad agnoſcenda, & voluntas noſtra impellatur ad actu perfecte explenda ea quæcunque officia, tam perfecta quam imperfecta (§. 23.) erga DEUM æque, nos ipſos, & alios homines, quorum fideli & aſſidua libera executione finem creationis noſtræ rite obtenturi ſumus, DEI gloriam videlicet & beatitudinem noſtram perennem, *regulæ officiorum hominis* vocantur. Summa porro harum regularum omnium, hominis officia illa & docentium, & ad eadem exequenda impellentium, *religio* appellatur.

* Probe hic ſtatim *religio*, quam definimus, ab ea particulari morali *virtute* diſtinguenda eſt, quam item *religionem* dicimus, & quæ vulgo in cultus Divino Numini, excellentiæ eius cauſſa, exhibendi explicatione verſatur. *Religio*, de qua in præſentiarum diſſerimus, omnium regularum, ad cuiuscunque virtutis officia pertinentium complexus eſt. Hinc etiam differt a *iure Naturæ*, quod ſolas leges DEI neceſſarias complectitur: cum religio etiam leges DEI liberas, quas *poſitivas* vocamus, complecti poſſit.

§. 26.

§. 26.

I. *Aliæ* itaque *religionis regulæ mere ſpeculativæ ſunt*, quæ ſcilicet præciſe *intellectum* dirigunt ad cognoſcenda *ſimpliciter* officia hominis (§. 23.), *aliæ practicæ*, quæ impellunt voluntatem ad agnita officia implenda, ſeu quæ obligationem oſtendunt. (§. 22.).

II. *Speculativæ religionis regulæ ſunt principia ſuperius tradita de exiſtentia DEI, de ipſius ſumma perfectione, providentia & ſapientia in gubernando univerſo, de fine creationis noſtræ, de boni veri, & apparentis tantum, criterio, de libertate hominis, de capacitate meriti laudis vel vituperii, de bonitate fundamentali, vel malitia, actionum voluntatis, de coniuncto cum hac DEI contemtu & reſultante ex illa gloria in DEUM, huiusque utriusque magnitudine vel exilitate &c. &c.*: hæc enim omnia principia dirigunt *intellectum* ad agnoſcendam DEI legem, vel conſilium, hoc eſt, obligationem, ad actiones vel omiſſiones actionum voluntatis illis principiis tanquam dictaminibus remotis conformes, h. e. ad officia hominis &c. &c. (§. cit.).

III, *Practicæ religionis regulæ ſunt ea ex principiis ſuperius traditis, quæ agunt de exiſtentia obligationis, i, e. conſilii, vel legis divinæ, de futuris præmiis & pœnis, de illorum & iſtarum magnitudine, longævitate, de immortalitate mentis humanæ, & alterius vitæ certitudine, ſelicitate, æternitate &c. &c.: imo etiam ex Cor. II. propoſitis aliquæ ſimul practicæ ſunt, ut quæ de DEI amabilitate & excellentia, de vero bono & malo agunt &c. &c.*: hæc enim omnia ad movendam voluntatem magnopere faciunt &c. &c.

IV. *Ex utriſque his principiis, alia priora aliis ſunt, maioriſque momenti, ita ut illorum certa notitia deſi-*

deficiente, cetera aut non ſatis certo cognoſci poſſent, aut voluntatis movendæ efficacem vim non haberent: talia ſunt primo principia de exiſtentia, potentia, providentia DEI, tum vero item de libertate hominis, de alterius vitæ exiſtentia, & perennitate: abſque illis enim obligatio, i. e. legis aut conſilii divini exiſtentia cognoſci non poſſet; abſque iſtis vero obligationis vis hebeſceret ad movendam voluntatem: ex adverſo in aliis error aut ignorantia non ita gravis erit; ut ſi in criterio veri & apparentis ſolum boni aliquando aberres; adhuc bona morali & formali bonitate actio eſſe poterit (§. 24.), adeoque a DEO ſuaderi, vel præcipi, præmio, vel pœna propoſita &c. &c.

V. *A notitia religionis, & præcipuarum ſaltem regularum eius, omnis noſtra tum huius, tum futuræ vitæ felicitas prorſus pendet:* cum ſine illa officia hominis, quorum executione unice utraque illa felicitas obtinetur, nec cognoſci, nec expleri poſſint.

* Mirum itaque ſane, ſiquis in tanti momenti negotio non modo ſuo unius, ſed vel univerſorum hominum ingenio, tam variabili, tam ſæpe in quæſtionibus etiam haud paulo minus obſcuris vacillanti, acquieſcere prorſus aut poſſit, aut velit. Certe ingentis beneficii loco ducendum ab omni non inſano homine erit, ſi illum ſuo ipſe Magiſterio falli neſcio circa religionis diſciplinam erudire DEUS O. M. dignetur. Sed agedum! neceſſitatis iſtius, qua DEI altiore Magiſterio in præcipuis religionis regulis ſufficiente certitudine agnoſcendis indigemus, magnitudinem primo accurate explicemus.

CAPUT II.

DE NOTITIA SUFFICIENTE RELIGIONIS, ET DE NECESSITATE ALICUIUS CIRCA EAM REVELATIONIS DIVINÆ.

ARTICULUS I.

PRINCIPIA PRÆVIA.

§. 27.

Veram aliquam religionem dari evidens eſt. Dem. Evidens enim eſt, ſaltem DEO omniſcio notas eſſe aliquas veras regulas de vero bono & malo hominis a ſe creati, earumque notitiam poſſe nobis a DEO communicari, atque exinde etiam ſuppoſita noſtra libertate, quam item dari evidens eſt, poſſe a DEO nobis imponi legem verum bonum cognitum amandi, & malum averſandi, huiusque legis notitia cum propoſitis præmiis & pœnis voluntatem noſtram potenter ad officia varia in bono illo volendo, & averſando malo, impelli. Atqui omnes illæ regulæ ipſam religionem veram efficiunt (§. 25.). Ergo vera aliqua religio evidenter datur.

§. 28.

Evidens eſt ad finem creationis obtinendum aliquam ſufficientem notitiam ſaltem primarum & maxime præcipuarum regularum religionis veræ eſſe abſolute neceſſariam. Dem. Finis creationis eſt, ut DEI bonum in DEO ipſo, in nobis, & aliis hominibus libere amando, DEO reddamus gloriam, & quoad fieri poteſt, ipſi tum in hac iam vita feliciter vivamus, tum alterius futuræ vitæ beatitatem velut prœmium promereamur; ex cuius fruitione ipſa dein-

deinceps longe maior DEI gloria exſurgat. Iam vero, cum nihil volitum, niſi idem cognitum ſit; neque finem illum ipſum appetere, nec media ad eum, id eſt, boni amorem, eligere, ſine utriusque cognitione poſſumus; imo, niſi DEUM exiſtere, eundemque ſumme providum mundi gubernatorem eſſe, nos ipſos eſſe liberos, mentem noſtram immortalem, officiorum bonorum præmia, & malorum pœnas, agnoſcamus; nunquam finis noſtri ac mediorum eius utcunque cognitorum cura aliqua affici magnopere poterimus. Atqui hæ ipſæ primæ ſunt præcipuæ veræ religionis regulæ (§. 26. IV.). Ergo iſtarum ſaltem ſufficiens notitia nobis ad creationis finem obtinendum eſt abſolute neceſſaria.

* Non dico, omnium religionis regularum & officiorum ex integro notitiam eſſe neceſſariam; ſed præter officia erga Deum, ſe ipſum, & alios homines, maxime generalia & obvia, inſuper primorum iſtorum & iuris naturæ & totius religionis principiorum ſufficiente notitia neminem carere abſolute poſſe, qui creationis ſuæ finem obtinere velit. In ceteris iuris Naturæ principiis, quæ certa officia hominis ſingillatim attinent, ſiquis aberret a vero, bonitate quidem actionum fundamentali deſtituetur aliquando; attamen bonitate morali mereri prœmia alterius vitæ poterit, dictamen conſcientiæ in agendo ſecutus. At contra primis illis religionis principiis ignoratis omnia honeſtatis fundamenta ruunt.

§. 29.

Nulla religionis notitia ſufficiens eſt, niſi ſaltem moraliter certi ſimus de primis illis religionis veræ regulis, quales ſunt §. 26. IV. indicatæ; hoc eſt, niſi omne prudens & utcunque grave dubium de earum veritate e mentibus noſtris ſit ſublatum. DEM.

Sive enim de exiſtentia providentiæ alicuius ſupremæ, res mundi huius gubernantis, ac bonis præmia, malis pœnas alterius vitæ intentantis, ſive de noſtra libertate, immortalitate, ſive de legis alicuius divinæ obligatione, graviter dubitemus; incerta boni, in altera eaque incerta vita extituri, expectatio vim non habet ſufficientem ad conſtanter & univerſe permovendam hominis voluntatem, ut certis ac præſentibus huius vitæ bonis, licet in illius comparatione multo minoribus, ſe abſtineat, quo ſe incerta illius ſpe lactare poſſit; ſimulque difficultates illas conſtanter ſuſtineat; quæ cum perenni virtutis cultu vulgo coniungi ſolent.

§. 30.

Non itaque *ſufficit dictamen primum ac remotum* (§. 24.) *moraliter certum nobis paſſim ſuppetere de vero bono, & malo, quod amplectendum ac fugiendum ſit, imo nec dictamen proximum ac formale* (§. 24.), *dictans ſolum, eſſe voluntatem DEI, ut quid agamus, aut omittamus; niſi inſuper certi omnino ſimus, penes liberum noſtrum arbitrium eſſe id ipſum facere, vel omittere; item niſi etiam certi ſimus, aliam poſt hanc ſupereſſe vitam, in qua congrua & perennia præmia & ſupplicia bene vel male implentibus talia officia DEUS rependat.* Quodvis enim iſtorum deſit, nil proderit noſſe, quid agendum, vel omittendum ſit; cum motiva deficiant, quæ voluntatem ad obſequium ſatis potenter compellant.

* Sic exempli cauſſa nil proderit noſſe obvias regulas naturæ de DEO & hominibus noſtri ſimilibus amandis, de malo nulli faciendo, de auxilio aliis in neceſſitate ferendo &c.; niſi etiam certo conſtet, DEO ita officiorum iſtiusmodi executionem cordi eſſe, ut præmia ea fideliter exequentibus, & ſupplicia ea negligentibus, maxima propoſita

poſita velit; item niſi conſtet, liberum ea præſtandi nobis arbitrium ſuppetere &c. &c.

§. 31.

Sex univerſe homini cuiuscunque veritatis certo cognoſcendæ criteria ſuppetere bona Logica docet, nempe 1. *Senſum externum*, quo res corporeas externis ſenſibus ſubiectas diſcimus; 2. *Senſum intimum*, quo mutationes mentis noſtræ ſingillatim, harumque mutuam habitudinem immediate & intime in nobis ipſis experimur; 3. *Rationis ex diſtinctis ideis ratiocinantis demonſtrationem*, qua veritates generales iudiciis mediatis evidenter cognoſcimus; 4. *Senſum communem*, hoc eſt, eandem rationem omnibus hominibus communem, cum communi conſenſu, ex confuſis licet ideis tantum, aliquid ſua ſponte aſſerentem; 5. *Auctoritatem ſufficientem*, eamque vel *humanam*, 6. vel *divinam*, aliquid atteſtantem pro vero; quam quidem atteſtationem, ſi a DEO fiat, *revelationem divinam* vocamus.

§. 32.

Iam ſenſus externus utique non eſt aptum criterium primarum religionis regularum diſcendarum de exiſtentia & providentia DEI, de legibus homini ab eo impoſitis, de huius libertate, immortalitate, de alterius vitæ præmiis & pœnis &c.; cum iſthæ veritates ſub ſenſus externos utique non cadant.

§. 33.

Senſu intimo ſolam libertatem mentis noſtræ diſcimus; ſi ad modum, quo inter bona oppoſita, vera & apparentia, eligere ſolemus, paulo diligentius advertamus. Cum enim electio illa mentis noſtræ actio & mutatio quædam ſit; utrum ea libere fiat, reflexione ad ipſam ſollerti utique experiri in-

Digitized by Google

tra nos ipſos poſſumus. At ceteræ religionis primæ regulæ, quemadmodum mentis noſtræ mutationes non ſunt, ita earum veritas & exiſtentia intra mentem noſtram experientia ſentiri nequit.

§. 34.

Ceteris ergo religionis regulis omnibus diſcendis non alia criteria quam demonſtratio, ſenſus communis, auctoritas humana, & divina revelatio, ſervire poſſunt.

* Videndum porro, quænam ex his ſufficere pro omnibus hominibus univerſe queant.

§. 35.

Theiſtæ, hominum ſcilicet genus, ſi ſuperis placet, præ ceteris acutum, & omnia rationi ſoli tribuentes, a græco Θεος nomen ideo ſortiti ſunt; quod DEI quidem exiſtentiam profeſſi, totum religionis inſtitutum ad humanæ rationis demonſtrationem exigant, omni non ſolum ſenſu communi, & humana auctoritate, ſed etiam divina revelatione, atque adeo & Chriſti nomine, repudiatis. Triplici autem præcipue prætextu Chriſtianam revelationem obſtinate reiiciunt; *primo* quod eam ſuperfluam credant; cum humana ratio ſibi univerſe in religionis negotio ſufficiat: *deinde*, quod rationi ipſi adverſetur; cum nihil homini a DEO, ceu ipſius naturalis rationis auctore, poſſe revelari putent, quod non item demonſtrari naturali ratione ac comprehendi poſſit: *tertio*, quod hoc ipſo, exiſtere veram DEI revelationem de religione Chriſtiana, ſufficienter probari non poſſe exiſtiment. Inter Theiſtas porro *alii* ſunt, qui, cum immortalitatem mentis humanæ demonſtratione metaphyſica oſtendi non poſſe intelligant (ſenſum enim communem vulgo explodunt, nec inter veritatis

tatis criteria admittunt) hanc vel omnino negant, vel incerti de illa dubitant; *alii* ob eandem rationem, quod demonſtrari haud poſſit, pœnarum ſaltem æternitatem in altera vita negant, imo ut indignam DEO tyrannidem explodunt. Iſti itaque, etſi propoſitam virtuti in præmium a DEO beatam immortalitatem vulgo admittant, atque etiam ſceleris certas fore poſt mortem pœnas confiteantur, ignominiam prœcipue, & omnis beatitatis expertem verecundiam ac dolorem; nihilominus pœnas omnes poſt præfinitum tempus finem habituras tenent.

* *Samuel Clarke* (Tom. II. Operis in Gallicum idioma a *Ricotier* translati, atque anno 1728. Amſtelodami editi; cui titulus: *Tractatus de exiſtentia, & attributis DEI, de officiis religionis naturalis, & de veritate religionis revelatæ;* cap. 2. pag. 21. & ſeqq.) *quatuor Theiſtarum claſſes* diſtinguit; quarum *prima* omnem DEI providentiam a mundi iſtius adminiſtratione removeat; *altera* boni & mali moralis diſcrimen nullum a DEO cetera provido haberi affirmet; *tertia* ſolam animæ neget immortalitatem; *quarta* demum, cum in nullo naturali dogmate a vero aberret, ſimul tenet, iſthæc omnia naturali lumine cuique ita prorſus conſtare, ut divina revelatione nullo pacto ſit opus. At primarum duarum claſſium, imo & tertiæ, Theiſtas veros eſſe Atheos ipſe Clarkius oſtendit, monetque, cum ſolis iis, qui quarta cenſentur claſſe, de neceſſitate atque exiſtentia revelationis divinæ diſputandum eſſe. Equidem etiam tertiæ claſſis Theiſtas libenter ad diſputationem præſentem admittam, modo DEI providentiam circa res etiam ad mores hominum pertinentes ſerio admittant, de animarum vero immortalitate ſaltem dubitent. Aſt diſtingui oportere magnopere admoneo inter eos, quibuscum diſputatio de revelationis neceſſitate haberi poteſt, & inter illos, quibus revelatio ipſa divina inprimis

& ſpeciatim neceſſaria eſſe iſthic a nobis probanda ſit. Diſputamus hic etiam cum Theiſtis illis, qui ultro ſe convictos ſolo naturalis rationis lumine de omnibus religionis naturalis regulis, tam ſpeculativis, quam practicis, §. 26. recenſitis, profitentur; neque negamus abſolute, id fieri in paucis quibusdam ſummo ingenio hominibus omnino poſſe. At non intendimus probare, iſtis nominatim adhuc neceſſariam eſſe revelationem earundem veritatum religionis naturalis, quas iam aliunde compertas habent: ſed illud tenemus ſolummodo, vulgo hominum ſolius naturalis rationis lumen ad eas omnes veritates ſufficienti cum certitudine & robore tenendas in præſente humanæ conditionis ſtatu non ſufficere. Iam vero in his ipſis, ut revelatio etiam divina illis prodeſſe, imo vel locum apud eos habere poſſit, non quidem omnium dogmatum religionis naturalis iam præviam certam notitiam, ſed aliquorum quidem ſcientiam, de aliis vero dubitationem ſolum requirimus. DEUM exiſtere, eſſe ſumme ſapientem, bonum, ac mentiri neſcium, ſcire debet aliunde, quisquis revelatione ipſius aliquam rem docendus eſt. In ceteris modo dubitet, iam inſtructionis noſtræ capax cenſebitur; & ſin minus ad diſputationem *de neceſſitate revelationis* applicare animum ipſimet lubeat, attamen *de exiſtentia* non invitus, nec ſine emolumento, ut confido, diſputationis aleam ſubibit. Sunt autem, opinor, multo plures Theiſtæ, qui dubitent de multis etiam naturalis religionis regulis, quam qui omnes omnino cum certitudine ſolo rationis naturali lumine ſe tenere ipſimet credant. Illud recte a Cl. *Antonio Genuenſi* (in Elem. Metaph. edit. Neapolit. anno 1751. Tom. III. s. 5. pag, 223.) dictum, *Socinianos* præcipue Theiſtarum impietatem longius provexiſſe; cum DEI revelationem docuere neque neceſſariam eſſe, nec admittendam; legem naturalem ſufficere hominibus, ut ſint in hac vita beati; Chriſtum Servatorem, non DEUM, ſed Prophetam eſſe, qui puram & Societati utilem doctrinam promulgave-

gaverit, atque eius Evangelium duntaxat eſſe pleniorem legis naturalis expoſitionem. His Theiſtæ Angli præcipui nunc magis, nunc minus conſentiunt, quos inter eminent *Odoardus Herbertus* Baro Canturberienſis. qui primus circa an. 1624. Theiſmum in ſyſtema redegit, *Blountus*, *Schaftsburyus*, & hoc noſtro labente ſeculo *Tintalus*, & *Morganus*.

* * Adverſus iſtos, ſupra omnem prioris ævi modum noſtra ætate ſapere volentes demonſtrabimus *primo*, revelationem divinam de vera religione aliquam ita eſſe neceſſariam, ut absque illa male omnino felicitati (i. e. fini ultimo) humani generis conſultum foret: *deinde*, evidenter a DEO nobis revelari poſſe quasdam veræ religionis regulas & veritates, quæ humanæ rationis captum non modo ſuperent, ſed eidem etiam plane repugnare in ſpeciem videantur: *tertio*, ea divinæ revelationis actu exiſtentis ſuppetere argumenta pro religione Chriſtiana, quæ nullum in ſano homine prudens dubium relinquant. Primum præſentis, reliqua ſequentium capitum, argumentum facient.

* * * *Neceſſitatem* porro *alicuius revelationis divinæ* evidenter probaverimus, ſi oſtenderimus, nullum ex ceteris veritatis criteriis (§. 34.) ita ſufficere, ut ſaltem maior humani generis pars eius adminiculo ſufficientem, i. e. ab omni gravi dubio liberam, notitiam primorum & abſolute neceſſariorum veræ religionis principiorum (§. 26.) ſibi comparare queat. Cum enim per §. 28. aliqua ſufficiens iſtorum notitia ad finem creationis obtinendum abſolute neceſſaria ſit, eaque moraliter ſaltem certa, id eſt, gravis dubii expers, eſſe debeat; evidens eſt, revelationem divinam fore neceſſariam ad creationis finem, ſi absque illa grave dubium de primis religionis regulis a maiore hominum parte amoliri non poſſit; vel certe fore ſaltem *moraliter neceſſariam*, ſi id abſque illa non niſi

difficillime dari effectum poſſit. Atque hanc *moralem neceſſitatem revelationis divinæ* prorſus demonſtrare nunc mihi animus eſt.

ARTICULUS II.

AN DEMONSTRATIONIS EVIDENTIA VERÆ RELIGIONIS NOSCENDÆ CRITERIO PRO VULGO HOMINUM SERVIRE QUEAT?

§. 36.

Demonſtrationum evidentiæ capiendæ circa prima & maxime neceſſaria veræ religionis principia & regulas (§. 26.) *vix milleſima humani generis pars capax eſt, ſpectato, qui vulgo eſſe ſolet, humanarum rerum ſtatu ac conditione.* Demonstrandæ iſtius theſis gratia gemina experientia tanquam gemino principio eſt opus, *primo*, ut quis uſu ipſo familiarem notitiam ſibi acquiſiverit, quantæ ſint metaphyſicarum demonſtrationum difficultates de combinandis inter ſe attributis DEI, de eius Providentia & libertate in permittendis malis cum eiusdem infinita bonitate componendis, de ſcientia DEI componenda cum libertate hominis, de creatione, de ipſius hominis libertate, de mentis eiusdem immortalitate, & alterius vitæ præmiis & pœnis &c. &c.: *Deinde*, ut quis hominum, qui ut plurimum eſt univerſe, ſtatum ac comparationem tum animi, tum vitæ, tum negotiorum, tum ſexus, tum eruditionis, & naturalis capacitatis &c. &c. probe habeat perſpectum: quæ quidem utraque experientia Theiſtis, qui vulgo pro acutioribus haberi, & in Metaphyſicis ſpeculationibus iuxta atque in humanarum rerum-ſtatu noſcendo eximie verſati eſſe volunt, neutiquam deficere conſuevit. Gemina experientia hæc ſane maxima,

quæ

Digitized by Google

quæ poteſt eſſe, evidentia docebit, inprimis *feminas* fere ad unam omnes (pauciſſimis exceptis, nec numerum facientibus) ad hanc religionis noſcendæ viam prorſus ineptas eſſe; cum tamen illæ maiorem generis humani partem vel ſolæ efficiant. Deinde, quotquot *puerili ætate* vita iſthac mortali fuerint defuncti, rurſus a notitia religionis univerſe excipiendi erunt. *Quotquot ruri degunt*, & agriculturæ ob originis conditionem deſtinati ſunt; quicunque aut *opificii* tractatione a teneris deſtinentur, aut *paupertate* a ſtudiis altioribus ſectandis retinentur, aut *militiam* a prima iuventute ſectantur, rurſus hominum religioſorum numero detrahendi erunt. Qui *mercimoniis*, aut *negotiis*, *officiisque civilibus*, ſe dedunt, ad quæ maior ſcientiarum apparatus non requiritur, itidem inter religionis cultores hac via cenſeri non poterunt. Ex iis etiam, qui *literas humaniores*, *iuris ſcientias*, *hiſtoricam* eruditionem, aut *Mathematicas*, *Medicas*que diſciplinas amant: quotusquisque eſt, cui altioribus Metaphyſicæ, & naturalis Theologiæ, ac Iuris Naturæ, meditationibus immergere ſe lubeat? Itaque fere ad *Philoſophos* tantum, veluti ad triarios, religio redigetur. Et vero vel inter iſtos quot demum numerabis, qui demonſtrationum illarum ſubtilitati pares omnino ſint: imo quot ex Philoſophorum principibus mihi oſtendes; qui ante ſeculum ab æra chriſtiana duodecimum (multum me hercle dabo, ſi integra ſex poſtrema ſecula excipiam) in illis Philoſophiæ & præſertim Metaphyſicæ antiquæ tenebris ad plenam metaphyſicam evidentiam in primis illis veræ religionis generalibus regulis demonſtrandis perveniſſe ſe potuerint iure gloriari? Imo quotusquisque illorum veterum Philoſophorum, qui ante ætatem Chriſti Græciam & Romanum orbem implevere, tantum de

Natura

Natura DEI, de humanæ mentiſ immortalitate, & alterius vitæ rebus ſcire viſus eſt, quantum vel rudiſſimus inter Chriſti aſſeclas, & vel parvuli noſtri, de his rebus norunt? Imo quam poſt improbas ſpeculationes vel illorum primores quique aberrarunt? Nonne, ut S. Iuſtinus Martyr, philoſophorum ipſe, ante quam Chriſtum noſſe cœpiſſet, ſollertiſſimus aſſectator, in Dial. cum Tryph. Edit. græc. lat. a. 1615. p. 217. de illis refert, *plurimi cognitionem DEI nihil utilitatis ad felicitatem humanam conſerre exiſtimabant?* Talis erat Socrates; magnus ille Socrates, cuius temporibus quod natus eſſet, divinus Plato velut pro ingenti munere ſummas ſuperis habebat grates. Inde illud Socraticum diverbium: *quæ ſupra nos: nihil ad nos.* Pergit S. Iuſtinus ibidem: *perſuaſum nobis vellent, DEO quidem totius univerſi, generum, & ſpecierum, non vero tui, meique, & rerum ſingularium curam eſſe.* Ita Epicurus ſenſit teſte Lactantio lib. III. Divin. Inſtit. cap. 17. multa in divino opere inveniens, quæ reprehenderet. Sapientiſſimus ceteroquin Ariſtoteles huic quoque ſententiæ acceſſit; qui & mundum æternum eſſe credidit, ac de mentis humanæ immortalitate poſt meditationes improbas (etſi non negaverit abſolute) ad vitæ finem uſque dubius hæſit. Plato ipſe divinus DEUM, ubi ſit, neſciri, nec qualis ſit, niſi in ænigmate plebeiis hominibus declarandum eſſe edixit ob periculum, ne tam gravis veritas ludibrio exponatur. Næ is grandem ſcilicet ideam dignamque ſumma Maieſtate, efformatam animo habuerit, quam prolatam in publicum verebatur non niſi contemtus & ludibria excituram. Idem, uti cum ceteris rebus omnibus mulierum etiam uſum communem eſſe voluit; ita lib. 5. de rep. ſecundum Socratis Magiſtri principia edixit, nunquam religionis cultum

tum

tum qualemcunque, in quo quis natus eſſet, mutari oportere. Et vixerat ille ea tempora, quæ egregiis videlicet florebant religionibus; ut iam non mirere, tantos eſſe, qui natali religioni tuto retinendæ hodie inter chriſtianos faveant, Platonis, imo & Socratis, pro ſua id ipſum ætate iam ſtatuentium nomine, & divina ſcilicet auctoritate, ſuffulti. Quid quod vel de ipſo ſummo bono hominis multum ultra centum diverſas Philoſophorum ſententias fuiſſe S. Auguſtinus lib. 19. de Civit. narret. Cicero, ille Romanorum non minus Philoſophorum, quam Oratorum princeps, DEO omnium rerum præſcientiam abſtulit, ut hominibus libertatem ſartam tectamque ſervaret, homineſque luendorum ſcelerum cauſſa in hanc vitam naſci credidit. Stoici contra, qui ceteras Philoſophorum ſectas vincere ſapientia vulgo credebantur, fatum ineluctabile humanæ libertati ſubſtituere maluerunt. Alii dubitandi potius de omnibus, quam vel unum aliquid pro certo aſſerendi circa religionis dogmata æque ac de rebus aliis ſibi legem ſtatuerunt. Sic Pyrrhonii nihil non firmum æterna ſua diſputandi in utramque partem obſtinatione ſubruebant: laceſſebant quoque Academici omnia, & demoliebantur, nihil uſquam ædificabant. Adde, ante Thaletem, qui primus Philoſophus habetur (teſte Hortenſio apud Lactant. lib. III. de Divin. Inſtit. cap. 16.) nullum Philoſophiæ neque cultum, neque notitiam fuiſſe. Et Seneca ibid. inquit ſua ætate: *nondum mille anni, ex quo initia Sapientiæ nota ſunt.* Multis ergo ſeculis omne humanum genus omni religione caruerit neceſſe eſt, ſi non niſi ex philoſophorum demonſtrationibus eam diſcere oporteat. Atque iſthæc quidem omnia docent apertiſſime, multum a milleſima parte hominum eum numerum deficere, quo,

Digitized by Google

quo, qui religionis veræ prima ac maxime neceſſaria principia ex philoſophorum demonſtrationibus hauſere in hanc uſque diem, cenſeantur. Lege præcipue Ill. Boſſuet in diſc. ſur l'hiſtoire univerſelle cap. 16.

* Quam belle hoc totum antiquiſſimus Cœlius Lactantius toto libro illo III. citato docuit pridem: quem quidem librum, uti & Dialogum S. Iuſtini, Apologiam Athenagoræ edit. 1615. p. 12., S. Clementis Alexandrini Stromatum lib. 7. edit. 1641. p. 732. Theiſtis maxime velim commendatum. Audi ſolum Lactantium lib. cit. cap. 25. *Eſt philoſophia paucis contenta iudicibus, multitudinem conſulto ipſa fugiens. Primum quia multis artibus opus eſt, ut ad philoſophiam poſſit accedi: quæ univerſa perdiſcere neque feminæ poſſunt, quibus intra puberes annos officia mox uſibus domeſticis profutura diſcenda ſunt; neque ſervi, quibus per eos annos vel maxime ſerviendum eſt, quibus diſcere poſſunt; neque pauperes, aut opifices, aut ruſtici; quibus in diem victus labore quærendus. . . . Quomodo ergo illa, quæ de principiis rerum dicuntur, intelligent, quæ perplexa & involuta vix etiam politi homines aſſequuntur? In rebus igitur obſcuritate implicitis, & ingeniorum varietate confuſis, & eloquentia virorum exquiſito ſermone fucatis, quis imperito ac rudi locus eſt.* Tum vero hoc ipſo de eodem philoſophicæ demonſtrationis criterio in vera religione invenienda, quam *ſapientiam* recte appellat, ſic ibidem infert: *non eſt ergo ſapientia, ſi ab hominum cœtu abhorret. Quoniam ſi ſapientia homini data eſt, ſine ullo diſcrimine omnibus data eſt, ut nemo ſit prorſus, qui eam capere non poſſit. At illi* (huc iam animum adverte ſis, Theiſta & Philoſophus religioſus quiſquis eſſe ſolus amas) *at illi virtutem humano generi datam ſic amplexantur, ut ſoli omnium publico bono frui velle viderentur; tam invidi, quam ſi velint deligare oculos, aut effodere ceteris, ne ſolem videant. Nam quid eſt aliud hominibus negare ſapientiam, quam mentibus eorum verum ac divinum*

Digitized by Google

vivum lumen auferre? Quodſi natura hominis ſapientiæ capax eſt, oportuit opifices, & ruſticos, & mulieres, & omnes denique, qui humanam formam gerunt, doceri, ut ſapiant, populumque ex omni lingua, & conditione, & ſexu, & ætate conflari. Quam hæc veterem iam eſſe univerſam Theiſtarum inſaniam oſtendunt manifeſte. Sic nempe error & ſtultitia perpetuas periodos habent, & mutatione in omnes formas, velut una revolutione finita, rurſus omnino eadem recurrunt. Sola ex adverſo veritas, velut in centro firmo defixa, immobilis ſtat ſemper, & invariata. Inde etiam haud dubie factum, quod nec Apoſtoli, nec SS. Patres, unquam demonſtrationes Metaphyſicas, ſed phyſicas tantum & morales, de DEI exiſtentia attulerint: cum illæ priores plurimum, non item hæ poſteriores, vulgi hominum tranſcendant captum.

* * Atqui ego ſaltem, *ingeret* Theiſta aliquis, prima illa naturalis religionis dogmata neceſſaria omnia, imo & cetera quævis, ſola ratione naturali prorſus demonſtrata teneo. Quidni ergo hac via, utpote maxime illuſtri ac ſecura incedere mihi ſaltem liceat, eaque ita eſſe contento, ut aliam exquirere porro curæ non habeam? *Repono.* Cave ſis ergo inprimis, ne Lactantii reprehenſioni in te locum facias, divinum, i. e. altius, lumen illi univerſæ & longe maximæ hominum, parti invidendo, qui tuo acumini comparati, in obviis etiam rebus, & tamen ad felicitatem omnium maxime pertinentibus, pæne cæcutiunt; niſi a divino aliquo ſole illuminentur. Deinde vide ſis perquam diligenter, cui fonti iſtam tui luminis tam ſingularem copiam debeas, eundemque gratus coronare memento. Nimirum nemo ſat doctus tibi inficias ibit, hac noſtra ætate, poſtquam tanta lux circa ipſas etiam naturalis religionis quasque regulas a divino Magiſtro IESU Chriſto iam pridem orbi in tenebris iacenti accenſa eſt; poſtquam etiam bis mille & amplius annis philoſophicæ diſciplinæ improbo tot hominum labore excultæ ſunt; nunc, inquam, adulta demum

demum rationis humanæ in ætate tantum acutioribus quibusdam ingeniis ſapientiæ affulſiſſe, ut pleraque omnia Juris mere naturalis capita cum plena evidentia demonſtrare norint, quod tamen de mentis humanæ immortalitate ac pœnarum præmiorumque perennitate multis ægre perſuadeas. Aſt nego tamen abſolute, iſtud uniuscuiusque hominis opus eſſe: nego, unam aliquam ſingularem quam libet acutorum hominum ætatem tantæ rei evolvendæ ſuffeciſſe: nego demum, iſtud totum negotium etiam nunc abſolvendum fuiſſe ſolius humanæ rationis ingenio; niſi hominibus ſuapte natura cæcis, cœleſtem facem Chriſtus Dominus, communis illa mundi lux, prætuliſſet. Aut num tu forte, quisquis es, homo tam novus es, Socrate aliquo, aut Platone illo divino, atque Ariſtotele acutior, ut ſolus, ſine alieno conſilio, de ſummis illis rebus omnibus inoffenſo pede cum evidentia ſtatuere iam poſſes, in quibus illi omnes toties & tam graviter offenderunt? Demus; puram religionis naturalis lympham te hauſiſſe totam: quid inde vero? Nonne ille divini oris ac revelationis fons eſt, ex quo tu ipſe, vel certe ii hauſere, qui tibi tam liquidam veritatem propinarunt? Niſi vel tu ipſe, vel hi Magiſtri tui, Evangelium legiſſetis; an tam ſecure præciſeque de attributis DEI, de ſcientia, de libertate, de providentia, de morum regulis &c. ſentiretis? Educatus forte in ſchola Chriſti, Magiſtro divino inſultas, dicens; illius inſtitutione cariturum te abſque incommodo fuiſſe. Erras ſaltem, ſi aut ex Philoſopho hodierno, profunde docto, aut ex Chriſti diſcipulo fugitivo, quid lumen ſolius rationis naturalis in vulgo hominum plerumque poſſit, recte te experturum exiſtimes. Quin tu hominem ruri natum, vel certe Philoſophiæ rudem, & educatum inter gentes Chriſti notitia expertes, interroga; tum profecto, quam curtum in ſpatium, ſeſe hominis ratio, ſibi uni relicta, & abſque diviniore auxilio, protendat, in primis veræ religionis placitis dignoſcendis, certiſſime experieris.

Quid-

Digitized by Google

Quidquid domeſtica item experientia te docebit, quanto tibi ipſi impendio & ſtudii & ætatis opus fuerit, ut commode tibi cum illis demonſtrationibus conveniret. Iam vero religionis, i. e. ipſius felicitatis, cultum *cum Emilii auctore* apud univerſum virorum ſexum ultra viceſimum ætatis annum differre velle, dum videlicet demonſtrationum artificii capaces ſimus; iſtud ſane cum inſaniſſimis inſanire eſt. Feminas demum pueros, rudes omnes, aut religione omni deſtitutos velle, aut auctoritati mere humanæ ſubiugare, vere deſpoticum eſt, imo impoſſibile tamdiu, donec omne acumen in vafritie hominum, maxime politices ſuſpectorum obſervanda a mediocriter etiam ſolùm naſutis ruriculis tollas.

* * * *Dices* fortaſſe etiam: primarum, & maxime generalium, ac neceſſariarum Iuris naturæ legum tam obviam, tamque facilem eſſe evidentiam, ut ne maxime quidem rudes nodum ibi aliquem veluti in ſcirpo invenire queant. Quis enim tam cæcus, ut non intelligat, DEUM ſuper omnia, alios vero homines ſicuti nos ipſos amandos eſſe; nemini proin faciendum malum, omnibus bene optandum eſſe? Atqui hæc iam ad finem conſequendum, cuius cauſſa omnes homines creati ſumus, prorſus ſufficiunt. *Ego vero* alteram, quam aſſumis, propoſitionem prorſus *abnuo;* hæc videlicet iam ſufficere. Demus enim, primas has eſſe Iuris Naturæ *leges,* quibus ceteræ omnes continentur; at primæ religionis *regulæ* non ſunt, nec ſibi ipſis ullo pacto ſufficientes. Nec enim ſufficit utcunque bonum inter ac malum diſtinguere evidenter noſſe; ſed opus plane eſt, ut pari evidentia de DEI providentia, de tua libertate, de alterius vitæ præmiis & pœnis &c. &c. certus ſis; quo ſic quod faciendum ut bonum, & fugiendum ut malum, ſimpliciter agnoſcis, facere idem, & fugere ceu certa DEI lege impulſus, & pro arbitrii libertate, etiam reipſa velis. Atqui iſta demonſtrare ne acutiſſimis quidem paſſim in promtu huc uſque fuit. Vi-

deamus porro, an aptius veræ religionis primas regulas noſcendi criterium *in ſenſu communi hominum* nobis ſuppetat?

ARTICULUS III.

AN SENSUS COMMUNIS HOMINUM CRITERIUM UNIVERSE APTUM SIT PRIMORUM VERÆ RELIGIONIS CAPITUM NOSCENDORUM?

§. 37.

Senſus communis dicitur conſentiens quodvis iudicium dogmaticum, uniforme, ac conſtans, quod omnes, vel pæne omnes ſani homines ferunt de aliquo obiecto, & quidem proprio conſilio & ſuæ quisque mentis impulſu involuntario, non præciſe ex prævia inſtitutione, aut auctoritatis alicuius reverentia; quin etiam conſcii ſint, ſe ad tale iudicium determinari ulla ſenſatione externa, vel interna, vel diſtincta demonſtratione, qua rationem ſufficientem illius veritatis diſtinctam ſeu immediate, ſeu mediate, intuerentur.

§. 38.

I. *Ad ſenſum communem non pertinent perſuaſiones utcunque communes, quæ vel ab auctoritate, vel aliorum exemplis, vel a ſpe, vel metu aliquo, ſive a quocunque præiudicio male concepto originem habent.*

* Tales ſunt omnes fabulæ Poëtarum, Polytheiſmus, oracula falſorum Deorum, religiones, & ſuperſtitiones, dolo, vel armis varii generis, nationibus integris perſuaſæ; uti fabulæ Mahometis &c. &c.

* * *Præjudicia* mera ex eo differunt a iudiciis ſenſu communi receptis, quod temere nec ſolum ſine ratione ſuffi-

Digitized by Google

ſufficiente diſtincte cognita, ſed ſine omni etiam ratione confuſe cognita, non ipſa naturæ monitione aliqua impellente, ſed voluntatis potius voto, inſtar meræ hypotheſis, abſolute tamen, recipiantur: cum contra ſenſus communis iudicia ipſius mentis, confuſam aliquam illorum rationem exhibentis, impulſu citra voluntatis omne votum recipiantur.

II. *Neque perſuaſiones de factis quibuscunque:* hæc enim non niſi ſenſuum externorum experientia diſcuntur, non mentis impulſu.

III. *Nec ſenſa aliquibus tantum nationibus propria, & aliis æque cultis ignota.*

IV. *Nec quæ ad tempus ſolum aliquod toto prope orbe invaluerunt, & poſt iterum deſerta ſunt.*

V. *Conſtare debet, quod ſaltem paſſim a ſapientibus & probis, qui vulgo pro talibus habentur, omni ævo pro certis veritatibus habeantur, nec ullo modo conſtare debet, notabilem ſapientum proborumque illorum numerum ab eisdem fuiſſe alienos.*

VI. *Ratio, cur homines ſapientes paſſim omnes his iudiciis communi conſenſu aſſentiantur, nec omnino nulla, nec tenuis eſſe poteſt, nec privata tantum, ſed gravis admodum, & omnibus, non quidem diſtincte cognita, ſed confuſe tamen in mente oberrans, aut unde unde mentes intrinſecus inclinans ad aſſenſum:* ſecus non omnes, nec tam conſtanter, etiam cum privata commoda contrarium ſuaderent, aſſentirentur.

VII. *Nihil tamen eſt, quod cuiquam homini neceſſitatem imponat huiusmodi iudiciis aſſentiendi, ſed abſolute quisque poteſt eis libere diſſentire.* Nihil enim intellectui humano, cum facultas neceſſaria ſit, neceſſitatem imponere aſſenſus ſolet quam ratio ſufficiens veritatis diſtincte cognita, quæ ſola uti evidentiam omnem conficit, ita intellectum ad aſſen-

Digitized by Google

ſum rapit. Et vero paſſim fieri amare ſatis conſtat, ut a multis, quæ ſenſu ita communi ſapientum recepta ſunt, negentur obſtinate ex arbitrii malitia.

VIII. *Oportet tamen, ut quisque ſaltem doctus ac prudens facta reflexione impulſum illum confuſæ rationis in ſe ipſo animadvertat, ut quid pro iudicio communis ſenſus hominum prudenter habere poſſit:* ſecus enim ratio illa interna, aſſenſum ciens, non eſſet omnibus communis, aut tam obſcura, ut hoc ipſo ad obtinendum vulgo a ſapientibus aſſenſum non ſufficeret.

* Tradidi equidem huius criterii, ſicut & aliorum, regulas, & vim, uſumque docui, in Logica alias a me edita. Attamen, cum criterii præſentis de ſenſu communi præcipuum deberet eſſe adminiculum in naturali religione ſine revelatione DEI perdiſcenda, atque, ne lectores meos remittere ad Logicam meam legendam velle videar, quæ hic de eodem adnotatu neceſſaria videbantur, quam poſſem breviter apponere ſtatui.

§. 39.

Extant haud dubie in hominibus id genus iudicia ſenſu communi deſcripto recepta, & inter ea vel maxime ſunt ipſæ præcipuæ illæ ac primæ veræ religionis veritates de Providentia DEI, de libertate hominis, de alterius vitæ præmiis & pœnis &c. &c. Dem. Conſtat enim, iudicia non modo de his religionis veræ principiis, ſed etiam de veritate multorum principiorum & concluſionum, tum metaphyſicarum, tum moralium, non ſolum ab iis recipi, qui demonſtrationes illarum poſt accuratum ſtudium diſtincte callent, ſed ab omnibus etiam aliis naturali prudentia & ſana ratione præditis hominibus ultro adſtrui, ob ſolam confuſe cognitam eo-

rum

Digitized by Google

rum cum recta ratione conſonantiam; quin ullo modo eadem illi demonſtrare, aut diſtinctas reddere eorum ſufficientes rationes, norint. Sic nemo ſanæ mentis dubitat, quin ſummus ordo ſine ſapientis alicuius mentis regimine ex ſolo caſu nequeat exiſtere. Sic prudentes vulgo & paſſim ſe eſſe liberos agnoſcunt; etſi nec libertatis ideam diſtinctam habeant, nec adeo iſtam applicare ad eam, quam de ſuæ voluntatis natura habent, internam experientiam poſſint. Nemo dubitat, quin certa ſint, quæ ſenſuum teſtimonio accipimus: & quotusquisque tamen iſtius certitudinem demonſtrare novit? DEUM exiſtere, ac providentia ſua bonis alterius vitæ præmia, malis vero pœnas præparaſſe, vulgus paſſim omne non ex diſtincta illius notione, aut accurata ex demonſtratione, cuius ne terminos quidem capere plerique poſſent, ſed ex confuſa DEI notione, & iſtius mundi ordine, cognoſcunt. Extant ergo &c. &c. (§. 37.).

* Nempe male prorſus conſultum humanæ rationi in hominum parte multo maxima foret, ſi veritates non ad religionem ſolum, ſed etiam ad vitæ uſus maxime neceſſarios, pertinentes per demonſtrationea tantum intelligi ſatis poſſent. Confuſæ illarum notiones idem paſſim in ceteris omnibus propemodum præſtant, quod in doctis philoſophis demonſtrationes, improbo ſtudio & meditatione vix ſatis evolutæ.

** Iam vero de hiſce ſenſus communis iudiciis quæſtio eſt inter ipſos doctos iam non ſemel in controverſiam vocata, an illa certitudinem habeant, atque adeo an univerſe ſenſus communis pro veritatis criterio haberi poſſit. Lucretius, Spinoſa, Hobbes affirmate tenuerunt, ſenſum communem hominum de exiſtentia DEI, de eius Providentia, de alterius vitæ præmiis, & ſuppliciis, originem

non aliunde traxiſſe quam ex innata hominibus timiditate, rerum futurarum uti incerta, ſic maxime curioſa: tum vero legislatorum ac Principum politicis artibus ſedulo nutritum eſſe. Abiudicavit illi quoque omnem criterii veritatis vim ſimpliciter celeberrimus ille & in rebus Logicis verſatiſſimus Ioannes Lockius, idemque Theiſtarum patronus non minimus, in lib. I. Tentaminis de intellectu, eumque veluti mera infantiæ præiudicia pro ſentiendi regula obtrudentem exploſit, imo cap. 3. §. 24. breviſſimam viam eſſe dixit, circa id genus principia liberandi intellectum ab inquirendi labore, aſylo ignorantiæ tam ſplendido conſtituto. Aſſenſi ſunt huic Lockii effato Ioan. Clericus in Pneumatologia ſect. I. c. 5. §. 16. Chriſtianus Thomaſius in Proem. ad Inſtit. Iurisprud. div. & Introduct. ad Philoſ. Aul. c. 5. §. 35. aliique. Theiſtæ quoque ſequioris notæ criterium hoc pro ſuo in demonſtrationes propenſione contemnere & exſibilare ſolent; etſi falſa opinione de facilitate ſuarum demonſtrationum præventi, paſſim contra aſſertam a Chriſtianis revelationis divinæ neceſſitatem ea omnia obiicere ſoleant, quæ non niſi ad ſufficientiam huius criterii, quod *ſenſum communem* diximus, oſtendendam valere poſſunt; ut obiectiones paulo poſt ex ipſis Theiſtarum ſcriptis afferendæ §. ſeq. docebunt.

* * * Verum, utinam iſtud criterium ſenſus communis uſu ipſo & ſecundum omnem ſuam virtutem tam obvium hominibus ut plurimum omnibus ac ſemper eſſet, ut reipſa ad moralem certitudinem non modo in vulgo hominum, ſed vel in acutiſſimis ingeniis pariendam eſt reipſa potens. Mihi ſane ſapientiſſime illud dictum videtur: *nemo omnes, omnes neminem fallunt;* ac pro certo habeo ſenſus communis criterium, ſi characteribus §§. 37, 38. deſcriptis omnibus inſignitum eſt, & rite cognitum, vix ac ne vix quidem a criterio ſenſuum externorum certitudine differre. Profecto enim ratio illa confuſa menti noſtræ circa iſtiusmodi iudicia oberrans, & eorundem inclinans

clinans ad aſſenſum, ſi conſtans, ſi uniformis, ſi omnibus hominibus non communis modo reipſa, ſed ſenſibilis ita ſit, ut omnes paſſim ad aſſenſum, utut obſcure tantum cognita actu inclinet, profecto inſtar ideæ ſenſualis prorſus ſeſe habet, nec aliter quam claritatis intenſione)non extenſione, quæ diſtinctionem idearum efficit) ab iſthac reipſa differt. Iam idea ſenſualis, prout rerum ſenſibilium exiſtentiam repræſentat, certo vera eſt phyſica certitudine; quia, ſive a ſenſibili obiecto ſuo, ſive a DEO, ſive ab ente tertio tanquam cauſſa efficiente ſit, falſa eſſe non poteſt ſalva naturæ recta conſtitutione (i. e. ſi nullum ens tertium inimicum & deceptrix falſa illuſione nos perpetuo ſeducat) quam perpetua deceptione vitiari ex nulla vel tenui aiente ratione veriſimile eſt. Atqui hoc totum ratiocinium de ſenſu communi ex æquo valet (niſi vehementer equidem fallar) hoc unico diſcrimine, quod cum non ita ab extrinſeco nobis advenire confuſam illam rationem experiamur, quæ ad ſenſus communis iudicium nos inclinat, ſicut nobis idea ſenſualis aliunde advenit, fieri fortaſſe poſſit, ut mens noſtra ipſa eius rationis confuſam ideam componendo reipſa incompoſſibilia componat, atque ita ſibimet idea deceptrice illudat; cuius fallaciam detegere obſcuritas ipſa non permittat. Iam vero cum hoc ipſum in omnibus paſſim ſapienter cogitantibus hominibus contingere, pæne iuxta inveriſimile ſit, quam omnes ab externo ente perpetuo circa ſenſus externos decipi, parem quoque quam proxime certitudinem ſenſus communis atque externorum ſenſuum criterium iudiciis ex eo naſcentibus conciliet neceſſe eſt.

* * * * *Volunt* quidem Theiſtæ, cum Lucretio, Spinoſa, aliisque veris Atheis, 1mo. Senſum communem de primis religionis principiis originem traxiſſe ex hominum innata meticuloſitate, per quam futurorum anxii, & ſortis ſuæ venturæ incerti, chimæras ſibi pro veris rebus effinxerint, quieſcere, & ſorte præſente in tranquilla pace frui

uti neſcii, ita inſueti. Sed eccur metui potius quam ſpei id genus idearum origo tribuatur, non ſane video. Aut num magis eſt, quod timere religio nos doceat, ſi mali, an quod ſperare, ſi boni ſimus? Deinde metus ſine cauſſa, & absque omni argumento, ſane ſtultitia eſt, univerſe humano generi utique tam temere non imputanda. Unde Puffendorſius (de offic. hom. ſecundum legem naturæ in Præf. §. VI. & ibid. lib. I. c. IV. §. 8. ſeqq.). Eundem communem de immortalitate animarum ſenſum potius a deſiderio & ſpe beatitudinis innata repetit. Quodſi rationem revera habuerit is futuri metus, eaque ſpes, quam aliam verius dabis, quam de DEO ſumme benigno, iuſto, & provido præviam opinionem, quam prævia ante metum omnem atque ſpem ſana ratio omnibus ingerebat? Longe itaque veriſimilius eſt, imo ſolum veriſimile, quod metus iuxta ac ſpes rerum futurarum vulgo in omnibus hominibus nata ſint primo quidem ex ſparſa revelationis a DEO de ſua Providentia factæ notitia, quæ deinde attentionem animi ad proprium quoque communem naturæ ſenſum, eidem dogmati adſtipulantem, excitarit: quam quod ex metu illi finxerint ſibi exiſtere DEUM vindicem malorum, quem ſi tantum metuiſſent, utique fugere potius, quam fictione adſciſcere ſibi, de eius exiſtentia opinionem debuiſſent. Quin itaque multo meliore iure dicimus, ac quod res eſt, fatemur, ſceleratos homines, malum ſibi a DEO metuentes, nec boni quidquam ab eo expectantes, pacandi iſtius metus cauſſa DEI opinionem, quæ illum incuſſerat, veluti inviſum hoſtem a ſe excuſſiſſe. Iſtud enim revera medium erat ad metum illum conſopiendum perquam accommodum, non item rei nullo probabili argumento exiſtentis pure hypothetica effictio.

* * * * * *Volunt* iidem 2do. Eundem ſenſum communem de religionis principiis ex ignorantia natum, qua homines rudes cauſſarum ignari, ex quibus naturæ mirabilia paſſim effecta naſcerentur, univerſalem aliquam eorum

rum cauſſam ſibi mente effingebant, quam DEUM dixerint. Sed enimvero, recte illos cauſſam ultimam ab hoc univerſo mundo adſpectabili diverſam intuliſſe ex ipſo mundi ædificio, demonſtratione metaphyſica a poſteriori hodiedum oſtendi ſolet. Hoc ergo ex fonte ſi natus ille communis de DEO & religione ſenſus fuerit, ex illa confuſa quidem *entis ab alio* idea revera natus eſt, quæ, ſi diſtincte evolvatur, cum exiſtentia entis a ſe illius exiſtentiam connecti mox evidenter intelligitur: atque adeo veritas illi ſenſui communi omnino ſubeſt.

* * * * * * * *Volunt* illi 3tio, a legislatoribus & ſummis principibus nutritum ac ſtudioſe dilatatum communem illum de religione ſenſum eſſe, eo quod regimen illi & auctoritatem ſuam ex eo mirifice firmari in ſubiectis ſibi gentibus facile perſpicerent. Sed quæro equidem 1mo. An tantum ſe profecturos ſperare illi potuiſſent, ut paſſim nullo alio argumento quam vana aſſertione res tantas populis omnibus conſtanter perſuaderent, niſi a natura earum ſenſum mentibus iam alioquin inſcriptum præſciviſſent? Quæro 2do: cur ſummi illi legislatores cordi habuere talia de religione dogmata ſubditis ſuis perſuadere? nimirum quia ſumme utiles eſſe eiusmodi opiniones paſſim vulgatas ad bene regendam rempublicam probe noverant. Eccur autem, quod tam utile, imo neceſſarium, ad commune bonum prorſus intelligebant eſſe, id ipſum non verum potius, quam falſum eſſe ipſi quoque ſibi perſuaderent? An ergo chimæras, aut non entia, vel entia imaginaria, plus valere ad firmandum reipublicæ cuiusvis bonum crederent, quam veritatem? Aut num quid vere naturæ univerſæ utile, & non idem etiam verum? Quo ergo fundamento tam præciſe aſſeveratur, ſummos legislatores perſpectis ſibi fabulis illuſiſſe populis, atque iſtorum ſimplicitate abuſos ſubdole in rem ſuam fuiſſe, nec potius communis boni cauſſa in illis naturæ ſenſum, iam alioquin omnibus communem, in publicæ ſalutis remedium ſapienter

pienter convertiſſe? Aut cur calumniari abſque ratione ulla ſummos omnes principes malimus; cum laudandi illos plurimum rationes ſufficientiſſimas in eodem conſilio habeamus? Sed quæro 3tio: Nonne, cum omnis iſthæc quæſtio circa factum verſetur; an videlicet religio a ſummis legislatoribus arte politica inventa ſit, & ſubiectis populis obtruſa; nonne, inquam, ex monumentis hiſtoriæ authenticis decidi eam præciſe oportebit? Atqui omnium gentium annales docent, primos quosque earum legislatores, quoscunque novimus, non tum primum religionis principia ſuis quemque ſubditis inſtillaſſe, cum leges illis conderent; ſed a religione, quæ pridem in quavis gente vigebat, auctoritatem ſuis legibus adſciviſſe; cum eas divinitus ſe accepiſſe fingerent. Sed uno ictu totum fabulæ iſtius ſolvamus nodum. Eadem iudicia ſenſui communi vulgo tribui ſolita, & ad moralitatis religionisque naturalis regulas pertinentia, pleraque hodie demonſtrari ab accurratioris Metaphyſicæ & Iuris Naturæ peritis poſſunt, ut quæ de ordine mundi DEI exiſtentiam probante, de DEI Providentia ſingularibus hominum actionibus ſe miſcente, de libertate hominis, de alterius vitæ pœnis & præmiis ſimpliciter, de regulis honeſtatis & inhoneſtatis &c. enuntiant &c. ergo non ab hominum quorumcunque dolo, ſed a ſuaſu ipſius naturæ, & a lumine rationis ſufficientis ſaltem confuſe per eam ſe infundente illorum aſſenſus fidesque communis in rite attentis ad hoc naturæ magiſterium animis enaſci ſuapte ſponte ſolet. Quidquid itaque ſeu Atheus, ſeu Theiſta ſenſui communi tanquam veritatis genuino criterio in materia religionis habet opponere, id omne non niſi temere aſſumtum, nullisque vel probabilibus innixum fundamentis eſt.

* * * * * * * Hic iam mihi, quæſo, lubricos homines iſtos atque verſatilia ingenia, Theiſtas inquam, obſerves. Sola illi demonſtratione in materia religionis ſtandum ubique volunt; quamvis ultro ipſi videant, atque fatean-

fatentur etiam, ne a milleſima quidem parte hominum capi demonſtrationes illas poſſe, nec ipſis Philoſophis in omni illa demonſtrationum luce inſuperabiles deeſſe difficultatum tenebras, quibus circa varia DEI attributa, ad religionis ſummam inprimis ſpectantia, circa mentis humanæ libertatem atque immortalitatem, æternitatemque pœnarum, paſſim ipſi inexplicabiliter involvantur. Senſus communis vel ſolus iſtis rebus omnibus compendio decidendis par eſſet, idemque multo aptior regula tam pro vulgo hominum, quam pro doctorum ſelecta modica cohorte. At non placet illis hoc compendium: ignorantiæ aſylum pro poteſtate appellant: eccur autem? an non ideo fortaſſe; quia ſenſus communis nimis aperte illis religionis principiis favet, quæ liberioribus illis ingeniis præ ceteris ſunt exoſa? Quidquid vero de hoc ſit; ſi ſenſus communis criterium nil plane in religionis argumento valet, debellatum iam penitus nobis cum Theiſtis, demonſtrataque revelationis neceſſitas eſt: cum nimis quam evidens ſit, ſola demonſtratione regi maximam partem hominum haud abſolute poſſe, & auctoritas mere humana, vel ipſis maxime volentibus Theiſtis, nullatenus pro regula admitti queat. Verum maior nobis æquitatis & totius ſanæ rationis ratio habenda eſt. Dabimus ergo, ut par eſt, liberaliter, communi hominum ſenſui, ubicunque is quidpiam decidat, ceu veritatis criterio moraliter ſaltem certo, omnem reverentiam a quocunque ſano homine deberi, qui illum ſatis compertum habeat. Sed nimirum non iſtuc iam quæritur, utrum *per ſe* criterii rationem ſenſus communis habeat: hoc enim æque facile illi, quam demonſtrationi, privilegium, cuique ſcilicet pro ſuo modulo, addicimus. Contra an magis in promtu iſtius criterii uſus, quam demonſtrationis, vulgo & maximæ parti hominum in ea, quæ in præſens eſt, rerum humanarum conditione eſſe videatur, iſtud iam decidere incumbit nobis.

§. 40.

§. 40.

Senſus communis criterium circa regulas primas ac generales veræ religionis hactenus memoratas (§. 26.) æque parum vulgo hominum accommodatum, & longe maximæ eorum parti inſufficiens eſt in præſente vitæ humanæ conditione, atque ipſa demonſtratio.

* Demonſtrationis aſſerti huius ut vim certiſſimam quisque capiat, quicunque Chriſtianis dogmatis a puero imbutus eſt, in ea mentis comparatione ut ſe ipſum prius ſtatuat neceſſe eſt, in qua illi omnes fuerant, qui divinum Chriſti Magiſterium nunquam exaudivere, atque adeo nec aliter inſtructum communem habebant ſenſum, quam qualia abſente ab hominibus omni divina revelatione univerſe futurus eſſet. Hoc adnotato:

Dem. Ut ſenſus communis criterium apud vulgus hominum paſſim vim habere ſufficientem poſſet ad eos certos reddendos de veritate primarum illarum religionis veritatum, tria abſolute requirerentur, *primo* ut rationis illius confuſæ naturalem impulſum, qua mens ad aſſenſum earum obſcurum inclinatur, attentione ad eundem converſa ſatis reflexe perpetuo ſentirent, & in ſe ipſis experirentur; *deinde* ut eundem omnibus probis & ſapientibus hominibus communem eſſe, *tertio* imo & per ſe ſolum ſatis comprobatam certitudinem inferre agnoſcerent circa veritates, ad quarum aſſenſum impellit. Iam vero pone, hominum non philoſophorum (quales uſque ad Thaletis Græci tempora omnes fuere, & hodiedum longe maxima pars illorum eſt) turmam, omni primarum illarum veritatum demonſtratione prorſus deſtitutam, omnis quoque revelationis altioris ac divini Magiſterii expertem, uni huic confuſæ rationis ductui relinqui: ecquid primum omnium futurum putas?

Digitized by Google

putas? Illud ſcilicet, ut obſcuri iſtius luminis quam plurimi paſſim incurii, ad omnia alia convertant animos ac curas ſuas. Quid vero deinde? ut perverſis exemplis invaleſcentibus, & pravis affectionibus ipſo flagitiorum frequentiore uſu roboratis, rationis tam obſcuræ vividior ille ſenſus in pluribus identidem extinguatur. Ac demum quid? Ut ex moribus hominum paſſim depravatis de ipſius rationis, confuſe ſolum veritates hominis genio tam moleſtas proponentis, inanitate concludatur, id genus veritates pro puerilis ætatis præiudiciis habeantur, vanis rationibus impugnentur, atque etiam contradictiones quædam apparentes inter illas inveniantur, ſicque prorſus explodantur. Quod quidem cum aliquando contigerit, quodnam ſuperſtes ruinæ generalis remedium erit? Atque poſterius quidem apud ſemidoctos primo omnium contingere in promtu erit; qui videlicet partim illius impulſus naturalis ſenſu, partim ad ſcelera, quæ ille inhibet, inclinatione moti, veritates illas, ſic obſcure propoſitas curioſius examinabunt, &, prout difficultatibus implicatiſſima illarum demonſtratio eſt, ſic facile offendicula in eis invenient, quæ potius negandas illas, quam affirmandas, ſuadeant. Sic porro ſenſus illarum brevi ad imperitum vulgus redigetur, acutiores vero quique, prout ſimul flagitii amantiores erunt, publice eundem abnuent. Rude vulgus iſtorum iudicio ſuam quoque abſolvi ſimplicitatem tuto volensque iudicabit, imo communem omnibus illam naturæ vocem eſſe, non iam ſibi perſuadere poterit, quam abiudicari a tam multis doctrina & factis intuebitur. Certe difficillimum, h. e. moraliter impoſſibile erit, ut quisque invaleſcente paſſim humani generis corruptione, qualem omnis mundi ætas experta eſt, unius i-

ſtius

ſtius tam tenuis & obſcuris luminis ductu in virtutis via inter tantas tamque publicas vitii ſeductiones ſe conſervet, ac contineat; quæ tamen una via ad felicitatis humanæ terminum, finemque creationis noſtræ ducit. Itaque ſenſus communis &c. &c.

Brevius. Etſi ſenſus communis criterium veritatis uti in rebus aliis, ita & in primis religionis illis principiis certum *per ſe* haberi poſſit: nihilominus vel maxime pronum eſt, ut propter obſcuritatem brevi a quamplurimis eius attentio negligatur, imo & ab acutioribus argumentis ſpecioſis impugnetur, ac contemnatur, ſicque pravis doctrinis & exemplis invaleſcentibus publica & communis morum corruptio ſuccedat: qua ſemel libere graſſante (etſi doctioribus ſenſum naturæ eiusque vim etiam tunc percipere licebit) vulgo ſaltem communi hominum, i. e. longe maximæ eorum parti, difficillimum, i. e. moraliter impoſſibile erit, in tam publica contradictione aut illam communis naturæ ac ſenſus vocem exaudire, aut iuſtam ac ſufficientem in ea auctoritatem, & obligandi vim agnoſcere, qua ad illi obſequendum obſtringatur. Igitur, cum eiusmodi & morum & doctrinæ corruptionem extare in mundo inde a remotiſſimis ſeculis compertum ſit; in præſente rerum humanarum ſtatu ſufficere ſenſus communis criterium non poteſt &c. &c.

* Cui iſtius rei proclivitas, hoc argumento expoſita, nondum ſatis perſpecta fortaſſe eſt; is, quæſo, experientiam temporum præteritorum conſulat, qualem nobis omnium hiſtoriarum fides teſtatur. Nonne olim extra Palæſtinam, in qua ſola a tot ſeculorum luſtris ad divinæ revelationis lucem vita hominum exigebatur, cum ſanæ rationis

tionis lumine brevi vera omnis religio atque honeſtas motum per orbem totum reliquum eſt extincta? Nonne DEI unius veri idea, qualem communis ratio naturæ indiderat, prorſus obliterata, falſorum innumerabilium Numinum cultus mentes hominum ubique locorum infatuavit? & prô quorum Numinum! non hominibus modo, iisdemque manifeſto flagitioſiſſimis, aræ conſtructæ, ſed iſtis beſtiis divinitas affiſta eſt. Vitium itaque ipſum, & quod in vitio abiectiſſimum eſt, in ipſis Numinibus publice adorabatur. Neque barbaris duntaxat incultisque populis is mos erat, ſed vel maxime omnium politis, ac ſcientiarum cultu eximio inter ceteras florentibus, Chaldæis, Ægyptiis, Græcis, Romanis ipſis orbis dominis; quorum vel ante alios prona in omnem ſuperſtitionem religio fuit; ſic, ut nullam tam abſurdam devicti ab eis populi tenerent, quam reſpuere victores illi non religioni ſibi ducerent. Quis iam in tam publica inſania ſanæ rationis exaudiret vocem? Quis virtuti pretium haberet? ubi ſcelera in ipſis Diis colenda proponebantur, utique non alio magis ritu, quam ſimilium ſcelerum publica & propudioſiſſima reiteratione. Sic feſta Bacchi, ſic proſtitutæ Veneris ſacra Athenis & Romæ agebantur: cum ſcilicet inter merobibuli DEI & Deæ propudioſæ laudes cum iubilo cantatas, mentes & corpora cultorum ſimili libidine proſtituerentur. Neque in rudi vulgo hæc morum inſania ſe continebat; quin vel ſapientiſſimorum non exemplis modo, ſed vel maxime doctrinis, certoque magiſterio, firmabatur, ut ex dictis §. 36. abunde patet. Quodſi vel ſapientiæ laude ceteroquin conſpicuus aliquis contra communem atque publicum iſtum furorem veritatis vocem extollere auſus eſſet, aut morte cum Socrate inſaniam ſcilicet luere, aut exilii pœnam ſilentio celeri ſubterfugere cum Platone, cogebatur. Imo controverſia id genus mota non alio ferme ſerviebat, niſi ut, hominum vaniſſimus quisque ad impugnandas rationis ſanæ reliquias ſe o-

mni

mni ſtudio transferret, innumerasque argutias inveniret, ex quibus DEI providentiam negaret modo, modo fati ineluctabilem vim adſtrueret. Inde Scepticorum tot diverſæ ſcholæ extiterunt, quæ ſaltem in dubium vocarent veritates, quarum ſenſum omnino extinguere nondum in ſe ipſis plane poterant. Hem! ad quantas tenebras obſcura illa rationis lux apud omnes ferme orbis nationes antiquis illis ante Chriſti, divini illius Solis, exortum ſeculis redacta fuerat. Iam, quid Theiſtæ, non tam pro ſuo demonſtrationis criterio defendendo, quod tamen unum iactant, quam pro ſenſu communi tanquam ſufficiente in religionis rebus criterio tuendo, ſolidi opponere habeant, videamus. Revera enim præcipuæ illorum obiectiones non niſi ad iſtum tuendum contra revelationis divinæ neceſſitatem reipſa utcunque ſufficerent, ſi aliunde fundamento non deſtituerentur: etſi communem ſenſum vel ipſi maxime explodant, cur autem? pars ſaltem aliqua eorum ex ea fortaſſis non ultima cauſſa; quia ex eo nimis prona probatio immortalis vitæ & æternorum ſuppliciorum petitur.

* * *Aiunt* itaque 1mo. Si rationis naturalis tanta eſſet obſcuritas etiam circa prima religionis dogmata, ut nemo, vel non niſi pauciſſimi, earum demonſtrationibus capiendis pares ſint, Pyrrhoniſmus apud hominum omne genus civitatis ius merito obtinebit ſaltem in materia religionis. Quis vero iſtuc probet? *Reſpondeo:* ſi non niſi demonſtratione diſcenda ſint omnia, certiſſime profecto non modo Pyrrhoniſmus, id eſt, perpetua dubitatio, ſed plena ignoratio dogmatum religionis, apud longe maximam hominum partem invaleſcat neceſſe eſt: quia nec probabiliter eadem hac via plerique diſcent, nec obligari ſe ad diſcendum credent, quod intelligere non niſi pauciſſimi capaces ſunt. Unde niſi ſenſus communis pro aliquo ſaltem religionis veræ criterio ſufficiat, actum prorſus de religione tota, univerſoque fine hominum plerorumque, ac

beati-

beatitate erit. Senſus porro iſte communis in prudentioribus acutioribusque, quibus ille rite cognitus, & ſecundum momenta §. 39. in adnot. 2. allata perſpectus eſt, nullum quidem prudenter dubitandi relinquet locum: ſed quemadmodum nec Theiſtarum acumen vulgo ſufficit ad eius momenta rite capienda, vel æſtimanda; cum paſſim illum a criteriorum numero excludant; ita multo minus vulgarium ingeniorum, i. e. maximæ partis hominum, capacitas eo uſque pertinget, imo ne attentio quidem diu *in publica ac late pervagata morum corruptione* ſe extendet. Itaque, ſicut ſapientes illi veteres excuſandi non ſunt, multoque minus, qui noſtra ætate hoc nomen ſibi expetebant; quod cognita naturæ voce, ſolum propter evidentiæ metaphyſicæ defectum præbere huic aſſenſum in rebus graviſſimis noluerint: ita ſane miſeratione dignum quovis ævo erat commune indoctorum vulgus, cui rationis naturalis vis ipſa & auctoritas vix ac ne vix quidem ſatis perſpecta per ſe ipſam erat, & ſapientiorum illo ipſo contemtu graviter etiam ſuſpecta reddebatur. Verum ex hoc ipſo alterius criterii magis obvii neceſſitas clariſſime comprobatur, quo prioris iſtius auctoritas ſpreta fulciatur.

* * *Aiunt* 2do. Tantus luminis naturæ in ipſis religionis ſumme neceſſariis principiis homini promulgandis defectus, ſiquidem revera is ſubeſſet, redundaret in ipſum naturæ auctorem DEUM. Quid abſurdius? *Reſp.* Nego id vero prorſus. Sicut enim rerum eſſentias mutare, ne divini quidem opificis eſt proprium; ita nec ipſius eſt perfectum efficere naturæ lumen ſolitarium, quod natura ſua valde imperfectum eſt. Sufficit, quod DEUS pro ſuo in rationales creaturas perfectiſſimæ benevolentiæ affectu laboranti naturæ potenti revelationis & proprii ſui magiſterii remedio mox amanter ſubveniat. Interim utique nec culpa ex parte hominum abeſt, reflexione ſuper naturæ magiſterio in rebus tanti momenti ſuperſedentium:

quam quidem ipſam culpam paſſim committi, ſummum eſt, idemque generale ac proximum periculum; niſi revelationis divinæ inſtitutio ſuppetias ferat.

* * * * *Aiunt* 3tio. Ex vita & exemplis hominum male de eorum religionis notitia, vel ignoratione, ſtatuitur. Aliter omnes non plane ſtupidi de eius officiis ſenſere, aliter plerique egere. Pervolve hiſtorias omnes; & inter religionis ritus maxime inhumanos, in maxime infræni morum licentia, honeſtatis regulas conſtanter easdem, eadem ſemper boni & mali principia, conſcientiis hominum inſcripta perduraſſe invenies. Fruſtra a cælicolis auctoritatem flagitium ſibi conſciſcebat: ſenſus naturæ omnibus validior illud e terricolarum animis proſcribebat. Qui Iovis libidines celebrabant, iidem Xenocratis continentiam ferebant in cœlum. Venerem impudicam caſta colebat Lucretia. Intrepidus Romanus timori tanquam DEO ferebat tura; quique parricidale venerabatur Numen, idem genitoris ſui imperio vel ipſum feriendum præbere iugulum non renuebat. Naturæ imperium Deorum exemplis ipſis fortius paſſim reverentiam ſui obſequiumve extorquebat. Ita noſtri ævi notus Theiſta Iean Iacque Rouſſeau in ſuo Emilie in Edit. Amſtelod. 1764. Tom. II. p. 38. ſtylo elegantiore quam profundiore iudicio probat, non quidem demonſtrationes (quod tamen ſecundum ſua principia deberet) ſed communem naturæ ſenſum *de plerisque virtutum officiis*, puta caſtitatis, Iuſtitiæ, obſequii erga parentes &c. &c. etiam in tanta morum apud veteres Polytheiſtas corruptela ſuperfuiſſe. At non iſtius iam hic agitur; extra rhombum omnia hæc ſtyli parerga proſiliunt. Neque enim id quisquam negaverit, *obligationes imperfectas* (§. 22.) officiorum virtutis maxime communium etiam cum evidentia vel vulgo hominum, niſi omnino rudiſſimi illi ſint, facile ſolius ope ſenſus communis perſpectas eſſe poſſe, e. g. non adulterandum, non furandum, parentes honorandos, nulli malum faciendum eſſe: ſed

illud

illud quæritur, utrum, *ſalva illa non morum duntaxat, ſed doctrinæ etiam ſapientum eius ætatis,* inter Romanos, ac Græcos, *corruptione,* locum habuerit ſatis valida naturæ vox, promulgans *obligationes* id genus *officiorum perfectas,* i. e. omnia illa religionis prima dogmata proponens de DEI providentia, de præmiis & pœnis alterius vitæ, mentisque humanæ libertate, ac immortalitate &c. &c.; quorum certitudo ad obligationes perfectas agnoſcendas circa id genus virtutum officia requirebatur. Fruſtra enim profecto, quid bonum, quidve malum, quid honeſte amplectendum, quid fugiendum ſit, natura illorum intellectui dictabat; niſi etiam motiva illa congrua ſuggereret, quæ ad actiones his primis remotis dictaminibus (§. 24.) conformandas voluntatem valide impellerent. Iam vero liberaliter & hoc adverſario concedam, ne iſtorum quidem dogmatum ſenſum illis miſeris penitus defuiſſe; ſed quam is obſcurus erat! quam contrariis non modo exemplis, ſed etiam doctrinis obliteratus. Nonne ſaltem ipſa pravorum exemplorum copia in perſonis etiam maxime illuſtribus, nonne publica licentia impunitati per civiles etiam defenſæ leges coniuncta, ſtipata item ipſis magnorum ingeniorum, male de Providentia DEI, ac libertate hominum &c. &c. ſentientium, ac docentium, auctoritatibus firmata, nonne, inquam, iſthæc omnia ſimul ſcopulus ſaltem tam vulgaris ſimul ac periculi plenus erant pro vulgaribus ingeniis & animis, ut, niſi fortiore quadam & altioris ordinis auctoritate alia abſtinerentur, & in ſenſu naturæ rebus omnibus præferendo firmarentur, proni ruerent eo, quo illos & turba hominum omnis ſtatus & conditionis, & proprius naturæ perverſæ impetus rapiebat?

* * * * * *Aiunt* 4to. Luminis naturæ communis defectibus per remedia varia ſuccurri poteſt, nempe cœli ac ſyderum contemplatione, Philoſophiæ ſtudio, & bona educatione; quibus bona illa ſemina ad frugem ſuſcitentur, ac nutriantur. Ergo ſufficere id poterit. *Reſp.* Næ

 male

male Theiſta, qui oggerit ſimilia, ad vulgi hominum conſuetam indolem reflectit animum. Ipſe nimirum Caffrum aliquem, aut Laponem, curſum cœli, aut bombycum artes, cum reflexione ſeria ad religionis dogmata reſpicere iubebit. Apage has, quæſo, nænias? Id genus meditatio rudes homines iuxta fatigat, atque manum calamo ſolum tractando aſſuetam aratrum frangit. Imo experientia docet, ſpeculationi ſyderum præter cauſſas alias idolomaniæ originem deberi. Aut quid demum ex aſpectu ſyderum de DEI Providentia, de libertate hominum, de animorum immortalitate rudis ac barbarus homuncio addiſcet? Philoſophia, putasne, malo facilius medebitur? vetus, ain, an nova? Illius prodigia ſupra enarrata (§. 36.) magnum ſcilicet argumentum ſunt pro Theiſtarum cauſſa. Huius vero exortum ſeramque lucem num denique fuiſſe expectandum cenſes hominum generi univerſo, ut rectius de vera ad beatitudinem ſemita ſentire diſceret? An etiam hanc ita comparatam putas, ut mediocribus ingeniis ſatis quadret. His tu Theologiæ Naturalis demonſtrationes introſpiciendas nimirum offeres? Educationis demum melioris introducendæ cauſſa neceſſe erit videlicet, ut parentes philoſophos effingas primum: ſecus enim iſtorum morbus, remedio non allato, more inde ab orbis incunabulis conſueto, etiam in liberos redundabit. Sed vereor, ne philoſophica quoque educatio paucis nimium & parentibus & liberis noſtris congruat. Certe utut quadringentis iam ab annis ante Apoſtolos IESU Chriſti, rudes illos ac indigeſtos homines, acuti Philoſophi cathedram magiſterii occuparint; tamen ne unum quidem iſti a vitæ licentia, vel ab avita ſuperſtitione, leguntur abſtraxiſſe. In quo negotio ſane multum ii concedere piſcatoribus illis, revelationis divinæ tamen nuntiis, nî fallor, debent.

ARTI-

Digitized by Google

ARTICULUS IV.

AN AUCTORITAS HUMANA RELIGIONIS CRITERIUM, SALTEM PRO VULGO HOMINUM, APTE STATUATUR?

§. 41.

Fides eſt aſſenſus alieno teſtimonio propter teſtantis auctoritatem præſtitus; diciturque *hiſtorica*, ſi de meris factis teſtimonium fertur, *dogmatica*, ſi de dogmatis, ſeu veritatibus generalibus, & abſtractis, ut vocant. *Auctoritas teſtis hiſtorici* in factorum certa notitia, quæ ſenſuum teſtimonio inter homines accipitur, *teſtis dogmatici auctoritas* contra in ſcientia dogmatum, utraque item ſimul in teſtantis veracitate, ſeu firma voluntate dicendi verum, conſiſtit.

§. 42.

I. *De auctoritate teſtium,* i. e. de notitia & veracitate, *prius moraliter certo conſtare debet, quam certa fides eorum teſtimoniis haberi prudenter poſſit.*

II. *Si teſtimonia variantia circa idem factum, vel dogma, ſibi mutuo opponantur, nec de auctoritate unius teſtis magis quam alterius conſtet, non niſi dubia ad ſummum, & probabilis, neutiquam vero certa fides habere locum poteſt.*

§. 43.

Multo facilius de auctoritate teſtis hiſtorici, quam dogmatici, certitudo ut plurimum obtineri poteſt. Cum enim circa *veracitatem* utriusque teſtis dignoſcendam par ſit ratio ac difficultas; circa *notitiam* tamen teſtis hiſtorici facile ex teſtimonio ſenſuum aliorum teſtium conſtare poteſt, an quis oculatus teſtis facto alicui interfuerit, nec ne; cum ex ad-

Digitized by Google

verſo de ſcientia ſufficiente dogmatis in teſte nullo ex criterio conſtare queat homini ipſius illius dogmatis ignaro, neque ex demonſtratione videlicet, neque experientia, neque auctoritate alterius teſtis; cum ne huius quidem ſecundi teſtimonii valor, item a ſecundi teſtis eruditione pendens, ab indocto æſtimari queat.

* Iam rurſus probe animadvertendum eſt, non id iam quæri, an humana auctoritas nullo in caſu ſufficiens criterium, ſeu per ſe & abſolute, ſeu per accidens in aliquo peculiari caſu, eſſe queat. Nemo enim prudens dubitet, pro certo habendum eſſe a quovis indocto, ceterum tamen prudente homine, quodvis ſeu factum, ſeu dogma, quod nemine magnopere contradicente magnus ſapientum cetera hominum numerus, ac ſufficiente probitate & peritia palam conſpicuorum, conſenſu unanimi atteſtetur. Verum iſtuc præciſe in quæſtione ponitur, ac in præſente rerum humanarum ſtatu, & variantibus tantopere hominum, tum philoſophantium, tum non philoſophantium, ſenſis, atque atteſtationibus, circa prima illa & maxime generalia religionis principia, auctoritas humana recte pro religionis veræ criterio univerſe conſtitui ſaltem in uſum vulgi hominum & indoctæ plebis, ac feminarum &c. poſſit? & ita quidem, *ut adſtipulari eidem omnes graviter obligentur?*

§. 44.

Auctoritas humana nullo pacto pro certo dogmatum veræ religionis criterio immediato ſervire poteſt, ne vulgo quidem hominum indoctorum. Dem. Conſtat enim ex dictis §. 36. & §. 40. not. 1. quanta omni tempore fuerit varietas & contradictio opinionum tum inter diverſas gentes ac provincias, tum inter eiusdem etiam provinciæ, atque adeo urbis, ſapientes doctosque, circa prima illa & maxime generalia

lia religionis rudimenta. Imo hodiedum paſſim vulgi etiam aures pervagantur hinc quidem Atheorum ſcommata, §. 40. in adnotationibus relata, religionis originem meticuloſitati inani hominum, ignorantiæ, & principum artibus politicis tribuentium, illinc vero Theiſtarum dubia de DEI providentia particularibus hominum negotiis ſe miſcente, de immortalitate mentium humanarum, & ſuppliciorum æternitate, iſtorumque dogmatum modo veritatem abſolute, modo ſaltem certitudinem negantium. Sed neque fieri aliter poſſe per ſe in propatulo eſt inter homines, quorum cerebrum cum ceteris organis tam diverſimodis eſt comparatum, ut impoſſibile ſit, ut pari modo omnes ab iisdem argumentis afficiantur; quin, quod uni evidens eſt, idem alteri ſæpe vix probabile videatur. Iam vero inter auctoritatem tam contrariorum teſtium dogmaticorum, nec modica acuminis & doctrinæ opinione utrobique pollentium, qua demmum ratione plebs illa indoctorum hominum decidet (§. præc.)? Neceſſe itaque eſt per Cor. II. §. cit., ut non niſi dubia ac probabilis utramque in partem oppoſitam fides, & animi incerta ſuſpenſio naſcatur: neque adeo tam incerta & contraria ſibimet auctoritas pro certo criterio ſervire ullo pacto poterit.

* Hæc ipſa ſcilicet ratio erat, cur *ſenſum communem*, cuius tota vis revera conſentiente auctoritate hominum continetur, ſupra a dignitate apti criterii in præſente argumento reiecerimus; quod videlicet de eius conſenſione, atque adeo ipſa exiſtentia, in præſente morum iuxta ac doctrinarum perverſione generali, ſatis conſtare vulgo hominum iam non ſatis queat.

** Sed multo minus auctoritas mere humana acutis & doctioribus paulo hominibus pro criterio *dogmatum*

ſufficiente quadrat. Iſti enim, cum ſuo ipſi ingenio confidant, primum omnium rationes ſufficientes dogmatum exquirent, & niſi ſolidas poſt examen accuratum inveniant, ex earum momento ipſam auctoritatem eadem dogmata affirmantium æſtimabunt. Hæc vero ipſiſſima eſt cauſſa, cur Theiſtæ, homines ſcilicet ultra omnem modum acuti, non modo auctoritatem omnem humanam in argumento religionis a dignitate criterii excludant, (Vide Emilii auctorem edit. cit. T. III. pag. 78. & 79.) ſed ipſum etiam ſenſum communem velut ignorantiæ aſylum explodant. Verum ut iſthac, ita & illa in parte, graviter boni viri hallucinantur, quod *facta, ſingularia*, quæ ſub ipſos prorſus humanos ſenſus cadunt, a *dogmatis generalibus* non diſcernentes, cum in *dogmatis* aſſerendis ſola auctoritate *humana* univerſe ſtari poſſe recta abnuant, id ipſum contra Chriſtianam religionem pugnantes de *factorum* fide adſtruant, & Apoſtolorum Chriſti, de meris factis ſenſibilibus ac publicis teſtantium, auctoritatem temere contemnant, ac præterea Eccleſiæ a Chriſto conſtitutæ auctoritatem in proponendis *dogmatis* ab eodem revelatis pro mere humana habeant; cum reapſe participare illam de *divina* illa infallibili auctoritate ex Chriſti promiſſis certiſſimis plane conſtet. Ubi ſane locus & occaſio eſt, eximiam Theiſtarum ſuperbiam arrogantiamve cominus veluti obſervandi. Cum enim ipſimet IESU Chriſti, quem virum ſaltem ſumma ſapientia & altiore lumine præ cunctis mundi Philoſophis clarum fuiſſe, doctrinæ ac legis ab eo propoſitæ inaudita ſapientia convicti, abnuere omnino ipſi nec poſſunt, nec ſolent, auctoritatem recipere in credendis dogmatis quibusdam ab eo propoſitis omnino reſpuant; eo quod iſtorum altitudo acumen ipſorum fugiat; etſi is ſtupendis ſane & ante eam diem inauditis prodigiis divinam ſuam ſapientiam mirifice comprobarit: nihilominus iidem gravi ſupercilio ſuam auctoritatem in naturalis religionis dogmatis credendis, etſi nihil ſupra humanum modulum illa omnino

nino habeat, univerſis ceteris hominibus non Philoſophis pro indubitata regula ſervire volunt; quibus æque parum in promtu ſufficiens acumen eſt ad prima illa religionis naturalis principia per rationes ſufficientes cum plena evidentia demonſtranda, nec tamen ulla certa indicia ſuppetunt eius auctoritatis dignoſcendæ, quam Theiſtæ ſibi hac in parte vendicant. Quo quidem ex capite nihilo plane meliores ſunt omnibus Sectariis, quos tamen ipſimet merito alias de neglecta doctrinæ conſenſione & conſequentia, ut vocamus, toties incuſant. Nam & iſti, dum auctoritatem Eccleſiæ Catholicæ vere divinam in Chriſti verbis ac doctrina explicandis reſpuunt, rudi plebeculæ ſuam paſſim auctoritatem, etſi mere humanam prorſusque incertam, non in factis ſolum, ſed in ipſis dogmatis atteſtandis, incredibili ſupercilio pro regula obtrudunt. Atque iſthac quidem in adnotatione tantum momenti eſt, ut in ea velut in imagine exili ad univerſum diſcrimen, quod inter Catholicam religionem, & inter Sectariorum (vulgo Proteſtantium) quorumcunque, atque etiam inter Theiſtarum ſyſtemata inprimis intereſt, proſpectus illuſtris pateat. Catholici enim, cum in dogmatis credendis nullam niſi divinam reipſa auctoritatem, Chriſti nimirum partim propriam, partim Eccleſiæ ſuæ conceſſam, agnoſcant & revereantur; in factis tamen illis ipſiusmet Chriſti Domini credendis, quibus & ſuam ipſius divinam auctoritatem, & eam, quam Apoſtolis & eccleſiæ ſuæ in perpetuum contulerit, ille comprobavit, Apoſtolorum, teſtium nimirum oculatorum, & nullo probabili argumento ſuſpectorum, atteſtationibus, per nova etiam prodigia confirmatis, omnino certa humana fide ſtandum ſibi prudenter exiſtimant. Contra Theiſtæ, teſtimoniis Apoſtolorum penitus omnibus repudiatis, Sectarii vero, illis ſaltem reiectis, quibus iſti de auctoritate Eccleſiæ a Chriſto conceptis verbis collata, teſtantur, utrique ſe ipſos Iudices ac teſtes dogmaticos univerſæ plebeiorum & indoctorum hominum turbæ con-

ſtituunt; primi quidem, quid ratio demonſtrativa de primis generaliſſimisque religionis dogmatis ac fundamentis doceat; alteri vero, quis verborum Chriſti ſenſus genuinus, & quæ Myſteriorum ab eodem revelatorum vera ratio ſit. Nec iure cum ſtomacho omnis prudens exclamet: apage mihi teſtes dogmaticos mere humanos, tam ſibi mutuo contrarios, fallique iuxta incertos, ac ſæpe fallere certos. In factis ſolis teſtandis valere ſatis humanam auctoritatem, quotquot oculis ipſi auribusque valemus, ſat certo novimus. Quidni ergo Apoſtolis credamus potius, teſtibus mere hiſtoricis, & auctoritatem ſuam, uti in ceteris dogmatis a Chriſto acceptis, ſic & in promiſſa Eccleſiæ auctoritate falli neſcia atteſtanda, etiam per prodigia comprobantibus.

§. 45.

Auctoritas tamen humana, ſi de ſincera voluntate dicendi verum in teſtibus conſtet, in factis ſenſibilibus aſſecurandis pro facili & ſufficiente criterio omnino ſervit. Dem. Cum enim ſenſuum perceptio omni labore careat, & mediocri attentione ſatis recte abſolvatur; præterea vero ſenſuum organa in hominibus prorſus ſimilia, parique modo per ſe comparata ſint; inprimis inter plures teſtes oculatos, vel auritos, periculum non eſt, ut ſententiæ tantopere varient de facto ſenſibili, ac auribus vel oculis explorato, atque vulgo ob ingeniorum inæqualitatem de dogmatis variare opiniones ſolent. Tum vero facilius circa facta diſcernere licet, quinam teſtes ſufficiente notitia imbuti ſint, qui non ſint, quam circa dogmata (§. præc.). Igitur, modo conſtet, teſtes ſinceros eſſe, facile & ſatis certum in eorum auctoritate pro factis eiusmodi aſſecurandis criterium cuivis ſuppetet.

ARTI-

Digitized by Google

ARTICULUS V.

AN AD NOTITIAM VERÆ RELIGIONIS CUIUSCUNQUE SUFFICIENTEM HOMINIBUS VULGO ET UNIVERSE COMMUNICANDAM NECESSARIA SIT ALIQUA REVELATIO DIVINA?

§. 46.

Medium neceſſarium alicuius finis obtinendi dicitur, quæ vibratio exiſtentiæ finis, ſine qua finis obtineri non poteſt. Dividitur in metaphyſice, phyſice, & moraliter neceſſarium. *Medium metaphyſice neceſſarium* eſt, quod ita eſt ratio exiſtentiæ finis, ut absque illa nulla alia ſufficiens ratio poſſibilis ſit. *Medium phyſice neceſſarium* dicitur quævis ratio exiſtentiæ finis creata, quæ ita eius ratio eſt, ut inter vires creatas nulla alia ratio ſufficiens, adæquate ab illa diſtincta, actu exiſtat, neque proxima, neque remota. *Medium moraliter neceſſarium* denique eſt ratio ſufficiens alicuius finis, ſine qua adhuc alia quidem ratio ſufficiens etiam in ſolis viribus creatis ſupereſt, cuius ope poſſit finis idem obtineri, attamen tot impedimentis tœdiis, ſive difficultatibus, ſubiecta, ut per eam actu obtentum iri finem rariſſime ſperari poſſit.

* Sic in homine cognitio obiecti voliti *metaphyſice neceſſaria* eſt ad eius amorem concipiendum, & hoc ſenſu ſupra (§. 28.) diximus, aliquam religionis veræ notitiam homini abſolute neceſſariam eſſe ad beatitatem conſequendam. Motus ſine ſaltu *phyſice neceſſarius* eſt ad hominem transferendum ex uno loco in alium. Inſtitutio *moraliter neceſſaria* eſt ad artes pleraſque addiſcendas; etſi aliqui proprio marte artes quaſdam ipſi ſine inſtitutione invenere.

§. 47.

§. 47.

DEI revelatio dicitur notitia quævis homini a DEO data de aliqua veritate quacunque, quin id fiat per vires & modos cognoſcendi vulgo in hominum poteſtate poſitos. Eſt ea *interna*, ſi abſque ſigno externo DEUS agat immediate in hominis intellectu, *externa*, ſi per ſigna ſenſibilia.

§. 48.

Ad hoc, ut homines univerſe, & quoad maximam ſaltem partem, notitiam ſufficientem (§. 29.) *veræ religionis acquirant, in præſente rerum humanarum ſtatu & comparatione moraliter prorſus neceſſaria eſt aliqua revelatio divina.* Dem. De ſex criteriis veritatis (§. 31.) quæ ſola in univerſa vi intellectuali humana locum habent, tria, ſenſum nempe externum, intimum, & auctoritatem humanam, ad ſufficientem veræ religionis notitiam ab hominibus vulgo & univerſe acquirendam prorſus non quadrare, §§. 32, 33, 44, oſtenſum eſt. Demonſtrationis viam, etſi aliquibus poſt tot ſeculorum ſtudia, nec ſine impedimentis a vulgo hominum vix ac ne vix quidem ſuperabilibus, patuerit hactenus, tamen pauciſſimis congruere §. 36. demonſtravimus. Idem de ſenſu communi oſtenſum eſt §. 40. Ergo nulla ſupereſt inter vires intellectus humani creatas ratio vulgo & univerſe acquirendæ ab hominibus ſufficientis notitiæ de vera religione, quæ graviſſimis impedimentis non ſit ſubiecta; adeoque ultimum criterium, i. e. auctoritas divina, Deique revelatio, moraliter eſt neceſſaria &c. &c. (§. 31.).

Aliter. Evidens eſt, aliquos fuiſſe primos homines, omnisque hiſtoria & ratio probat, omnes homines, quotquot hodie ſunt, & fuiſſe compertum

tum eſt, ab iisdem duobus primis parentibus eſſe exortos. Hos tu iam pro lubitu pone, aut infantili ætate ac ſpecie eſſe a DEO primum creatos, aut iam virili ac perfecta ætate. Unde iam illis, primisque eorum poſteris, per prima aliquot ſecula veræ religionis ſufficientem notitiam cenſebis obveniſſe? An demonſtratione mox tantum illi valuerint, quantum hodie vix acutiſſimi poſt omnes iam artes inventas & accurata excepta magiſteria valent? Atqui iſtud mere humano cognoſcendi modulo non plane convenit. An religionem ſenſu communi naturæ didicerint? Atqui ſenſus naturæ non niſi a conſentientium hominum ingenti numero, & eiusdem ſenſus uniformitate per plura ſecula continuata, vim omnem atque energiam criterii veritatis ſortitur. Præterea artis ſcribendi ſero inventæ ignoratio diu hominum inter ſe commercia maxime circa doctrinam retardavit. Neceſſitates item innumeræ, quarum ingens copia in illa prima humanæ vitæ egeſtate, opificiis nondum inventis, nec ſocietate hominum civili adhuc conſtituta, curam ſingulorum hominum occupabat, putasne magnum otium reliquerint, ſine revelatione prævia religionis rebus animum curioſius intendendi? Niſi ergo primis mox hominibus religionis veræ revelatio quædam a DEO facta fuerit; num tu putas, moraliter poſſibilem illis acquiſitionem certæ eius notitiæ ſaltem per plura ſecula fuiſſe? Aliud certe omnes barbararum nationum hiſtoriæ nos docent, de quibus compertum ſæpe eſt, vix DEI notitiam aliquam deprehendi in eis potuiſſe, quæ cum primis religionis veritatibus congrueret. Certe, quod factum eſſe reipſa omnes gentium (Iſraëlitis exceptis) hiſtoriæ memorant, id omnino fieri debuiſſe in hypotheſi, quod nulla exiſtat DEI revelatio, manifeſtum eſt; videlicet

Digitized by Google

delicet ut morum prius ſumma barbaries per genus omne humanum graſſaretur, & ſumma ipſius ſenſus naturæ corruptio, quam iſtius vox vulgo exaudiri poſſet. Agedum ergo, mi Theiſta, & hominum genus univerſe, ſola demonſtratione, ut tute quidem inquis, imo vel ope ſenſus etiam communis, ad ſufficientem religionis veræ notitiam pervenire potuiſſe, pro belliſſimo tuo ingenio fabulare.

* Enimvero ſunt, qui dubitant, an abſque prævia revelatione vel in mentem hominibus venturum fuerit, de religionis veritatibus a ſenſu tam remotis ut paulo diligentius cogitarent. Sed demus hoc futurum fuiſſe, quem reſponſurum his conatibus effectum credemus? Hunc ſane ex eo æſtimare certiſſime licebit, quem veterum philoſophorum, revelationis luce deſtitutorum, imo & novorum, qui eandem repudiant, amplum ſtudium & prolixa diſquiſitio adhucdum reipſa habuere. De veterum Philoſophorum inſomniis §. 36, & §. 40. in adnot. abunde dictum. Sed & hodierni revelationis oſores an multo illis amplius demum in argumento religionis ſapiunt? Reperire inter illos eſt, qui, quantalibet opinione de ſua univerſarum rerum ſcientia inflati, haud agunt aliud, quam cuncta ut in dubium vocent; quique evidentiæ ipſius luci tenebras affundere exoptarent. Iſti DEUM eſſe vel omnino nolunt, vel non alium certe quam naturam. Illi e cerebro ſuo nobis ſingunt aliquem, nunc quidem Providentiæ, bonitatis, & iuſtitiæ expertem, nunc nulla ſcientia, nec libertate præditum. Rurſus alii ſicut DEI, ſic & rerum naturalium, ideas pervertunt, atque circa naturam humanæ mentis heterocliti ingenii ſui inſaniam ultra quam omnes veteris Philoſophi protendunt. Pars namque iſtorum maxima mentem humanam pro ſubſtantia ab humano corpore prorſus diſtincta habuere: quam contra Materialiſtæ noſtri pro ſuo acumine cum corpore confundunt, commu-

neque

neque cum iſto fatum ſortiri volunt. Inde vero prô quam execranda pudendaque naturæ humanæ corollaria inferre ſolent. Omnes illi ſpurii ſenſuum appetitus, motusque animi, qui rationis omne conſilium & prævertunt, & excutiunt, innoxii illis ſunt, tuteque illis deferendum ab homine eſſe exiſtimant. *Totum hominem natura bonum, ac talem eſſe, qualem oportet,* pro principio certo aſſumunt: cum tamen vel ſolum rationis naturale lumen veteres omnes Philoſophiæ neceſſitatem certam edocuerit, cuius legibus pravi id genus corruptæ naturæ ac infrænium ſuapte ſenſuum appetitus ceu rationis frœno coërcerentur, atque in ordinem redigerentur. At illi videlicet pro boni & mali criterio hoc unum principium adſtruunt, *ut ne quid agatur, quod vitæ ſociali, quod aliis hominibus præiudicio, aut damno ſit; quod horum ſalvo & intacto iure factum fuerit, id omne bonum, vel minime certe malum, habendum eſſe,* ſtatuunt. Hinc eſt, quod ſuis in ſcriptis toti in eo ſint unice, ut contra adulterium declament, ſatis iſto aliorum vitiorum ſilentio innuentes, quod omne id, quo iura coniugalia non læduntur, innoxium, vel venia certe dignum, putent. Quaſi vero natura minus repugnaret mentis propriæ iura violari, ſecundum quæ corpus huic ſubiectum eſſe, nec niſi ex rationis imperio cupiditates ſuas moderari oportet. Siqua in eis explendis alterius hominis iniuria ſimul interveniat, enimvero id genus adiuncto crimen mirifice exaugetur. Verumtamen vel abſque iſto cupiditates illæ per ſe ipſas inhoneſtæ ſunt; quia ordini adverſantur, quem ratio mentem inter atque corpus eſſe iuſſit. Iſtud namque mancipium illius, illam huius dominam, ſana ratio conſtituit. Quoties ergo mens humili abiectione corpori imperium defert, &, cum imperare deberet ipſa, eidem ſervire non erubeſcit, toties gradu ſuo degener ſeipſam deprimit, & leges naturæ violat. Verum eſt, eſſe etiam inter Theiſtas hodie, qui ſanius de univerſis morum regulis ſentiant, ac doceant, quam

iſti,

iſti, de quibus modo res nobis erat, atque etiam quam omnes Philoſophi antiqui. Aſt ingratos iſtos homines, falſo lumina ſua omnia rationi propriæ accepta habere, iam ſupra §. 36. in adnot. 2da diximus; cum reipſa revelationi totum illud debeant, quo ſupra antiquos ſapiunt. Vide, quæſo, Tertulliani Apologeticum cap. 47. Aut num tu ſaltem illos absque id genus fulcro ſententiæ ſuæ ſatis certos fuiſſe futuros exiſtimas, nec inter tot ænigmata opinionum, totque ſibi e dimetro repugnantium ſententiarum captioſa ſophiſmata, & difficultates inſuperabiles, potius vacillaturos perpetuo, ac modo ſuſpenſo animo, modo in hanc, modo rurſus in alteram prorſus oppoſitam partem inclinato, futuros; quoties e. g. DEI immenſitas cum ſimplicitate, immutabilitas cum libertate, æternitas cum operationum eius novitate, præſcientia ipſius cum libertate hominum, bonitas ſumma cum malis naturæ, quibuscum in dies luctamur, ſanctitas cum flagitiis, quæ totum inundant orbem, iuſtitia demum cum præſente iuxta & futuro ſtatu hominum componenda eſſet. Quanta contra creationem hominis, quanta contra humanæ mentis immortalitatem obiiciuntur argumenta? Adde pravorum animi motuum vim, tam omni regulæ inimicam, & moleſtæ ſibi cuivis veritati pertinaciter adverſam, quam in ſui excuſatione ingenioſam. Frontemne immobilem obiectari tot ſimul hoſtibus, defenſurique aciem nos eſſemus conſtanter, nullo præterquam imbecilli rationis propriæ adminiculo & velut aggere muniti? Sed age! Theiſtarum, quæ aſſertæ revelationis neceſſitati ſolent opponere, porro argumenta audiamus.

§. 49.

Arguunt illi 1mo, ex male concepto præiudicio iſto, quod absque DEI ac Superum interventu i. e. ſine revelatione, regi ſatis in materia religionis homines non poſſint, omnes ad unam ſuperſtitiones

tiones illas reapſe natas eſſe, quibus quique ſingillatim novarum legum ſimul atque rituum auctores diverſarum orbis partium indigenis ita impoſuere, ut ſana omni ratione peſſumdata, ritus inſanos, nec raro etiam turpes, pro religione ſacra, & divinitus accepta, aſſumerent. Ergo merito ex fructibus de mala arbore iudicatur. *Reſp. nego antecedens aſſertum.* Non conceptum illud præiudicium in cauſſa unquam fuit, ut legislatores illi imponere hominibus vellent, ſed eorum ambitio, quæ homines ſibi cæco obſequio ſubiectos eſſe modis omnibus volebat. Poſtquam tamen ſemel id animo abſolute conſtituerunt, ut homines ſibi ſubiicerent, cum probe noſſent, nullam *humanam auctoritatem* plene ſubiugandis mentibus hominum iuxta ac corporibus ſufficere, divinam cælitus adſcivere. Præterea cum demonſtrationis iuxta ac ſenſus communis vim quoque aut parum in ſuis ipſorum animis poſſe ſentirent, aut minus etiam in ſubiectis ſibi populis effecturam pro mendacio dignoſcendo crederent; nihil illis magnopere obſtabat, quo minus fraudes & fabulas ſanæ etiam rationi adverſas pro ritibus a cœlo ac ſummis Numinibus acceptis tuto venditare ſuis ſubditis valerent. Aſt inde nil prorſus conficitur ad revelationis neceſſitatem evertendam; imo ex his ipſis amplius eadem firmatur: cum planum ſit, cuique etiam fraudi proſtare humanas mentes, nec ſatis contra impoſturas abſurdiſſimas defendi ſola a ratione naturali poſſe; niſi altiore tutela & diviniore magiſterio muniantur.

§. 50.

Arguunt 2do, nec revelationis quidem concepta ſemel præiudicia meliores homines feciſſe; non deeſſe flagitiorum omnis generis exempla in

Chriſtianis quotidiana &c. &c. Ergo non magis utilis revelatio, quam communis naturæ ſenſus in paganis; neque adeo ex iſtius inſufficientia illius neceſſitas inferenda. *Reſp. diſtinguendo:* ſi de fabuloſis & commentitiis revelationibus id affirmes tantum; iuxta tecum ſentio: At ſi de chriſtiana, quam ſolam veram eſſe ac genuinam alias demonſtraturus ſum, prorſus inficior. Quantum Chriſtianos inter & Philoſophos quidem veteres interſit, leges abunde in Tertulliani Apologetico cap. 46. Siqua vero eſt apud Theiſtas univerſis hiſtoriis adhuc fides; tempora, quæ ante Chriſtum fluxere, cum iis quæſo nobiſcum comparent, quæ poſt ſecuta ſunt. Fuitne remedium aliud, quo magis correcta & manſuefacta antiqui orbis barbaries eſt, & effectu latius patente, quam religio Chriſtiana? Aut quidnam idola aris atque dæmones deiecit: An non religio illa Chriſti? Quis Polytheiſmi inſaniam toto pæne orbe exterminavit? Nonne Chriſti religio? Quis inhumana illa ſacrificia, pugnis gladiatoriis, & hominum ſanguine fœdata, abolevit? Quis fidem falſis dæmonum oraculis, vanis auſpiciis, ſortilegiis, atque ſuperſtitionibus omnis generis, tam olim frequentibus, detraxit? Quis? niſi Chriſti nomen & Evangelium, ubivis gentium & terrarum per probos magis quam doctos homines divulgatum? Hoc mores hominum cicuravit; hoc inhumanum ſervitutis iugum inter homines vulgo ſuſtulit; hoc ſocietatis humanæ vincula inter utrumque orbem colligavit, firmavit mutua commercia, regimen paſſim antehac tam ſanguinarium ad humanitatis leges temperavit. Idem novo lumine circa morum officia univerſa omnes ætates, omnem ſexum, omnes conditiones hominum illuſtravit, & totius religionis magiſterium rudibus iuxta ac teneris ingeniis

Digitized by Google

geniis ita univerſe accommodavit, ut puer decem annorum certius iam firmiusque de Divinis attributis, deque univerſis hominis officiis ſentire ac differere inter Chriſtianos norit, quam Philoſophus quisque in omni retro antiquitate inter primores celebratus. Verbo: omnes ſimul Philoſophi ne unum quidem idololatram converterunt: at duodecim piſcatores, ingenio rudes, obiecta DEI revelantis auctoritate, ſignis authenticis conteſtata, toti pæne orbi pagano novam & meliorem faciem induxere. Quodſi minus hodie diſcrimen Chriſtianos inter & paganos noſtros incurrat in oculos ob extinctam idololatriam; at incurrebat certe olim primis Eccleſiæ ſeculis: de quo operæ pretium erit legere Origenem contra Celſum l. III. apud Fleurii T. II. l. VII. §. 18. Certe defectus in ipſa religione Chriſtiana non eſt, quæ præcepta morum ſufficientibus obligationum motivis ſuffulcit (§. 24.) i. e. pœnarum & præmiorum æternitate; quam ſola ratio nimis obſcure promulgat. Si, tanta intellectui accenſa luce, necdum tamen perfecta voluntati humanæ medicina inter Chriſtianos eſt allata; ſi flagitia non deſunt ipſorum fidei contraria; liberi arbitrii, quod nulla religio tollit, abuſibus ea tribuenda ſunt; ſimulque vel exinde ſtatuendum; quanto maiora & frequentiora illa omni ævo futura inter homines fuiſſent, ſi iudaica & Chriſtiana revelatio nunquam æterni ſupplicii terrorem inieciſſet.

§. 51.

Arguunt 3tio. Ne revelationis divinæ quidem exiſtentia magis certa eſt quam ſenſus communis naturæ; cum iuxta utrique hominum pæne par numerus factis & doctrina adverſetur. Ergo ſi ſenſus communis, ut §. 40. ipſi oſtendere co-

nabamur, vulgo non ſufficiat pro religionis criterio, nec ipſa revelatio amplius quid proficiet. *Reſp. nego antec. cum paritate*, qua revelatio & ſenſus communis inter ſe componuntur. Nam *primo* ſenſus communis ſimul & *exiſtentia*, & *auctoritas*, dubia, vel certe parum perſpecta indoctis hominibus vulgo eſt: at de *auctoritate* DEI revelantis, ſi modo de revelationis exiſtentia ſemel conſtet, nemo facile ita rudis eſt, ut dubitet. Tum vero revelationis etiam exiſtentia, cum *factis* tota *ſingularibus* conſtet, ubi per teſtes authenticos ſemel abunde comprobata eſt, ſola quantumvis multorum hominum, temere eam verbis, aut factis, negantium, repugnantia in dubium non vertitur, niſi iidem auctoritatem illis teſtibus, i. e. ſcientiam, vel veracitatem, rite abrogent; vel quod ipſi revelationi interfuerint, & falſam deprehenderint, vel quod alios paris auctoritatis teſtes prioribus adverſantes habeant opponere. Contra vero ſe res circa communem naturæ ſenſum habet. Omnes enim homines, uti illius ſenſus ipſi participes, ſic & æque apti per ſe teſtes ſunt. Quot ergo eorum ſunt, qui doctrina vel exemplis publice eidem contradicunt, totidem teſtes contrarios ſcelus pro ſe contra virtutem in vulgo hominum nanciſcitur. *Deinde* DEI revelantis vox nulla vitiorum opprimi poteſt conſuetudine, ut tamen opprimi eadem ſolet vox naturæ, vel ipſo D. Rouſſeau fatente in Emilio p. 69. Edit. Amſtel. 1764. Adde iam illud inſuper, quod ſenſus naturæ a DEI, eadem dogmata, quæ is obſcure docet, clare revelantis auctoritate, utut revelatio non magis certo quam ille exiſtere noſceretur, tamen momentum ingens certitudinis acquireret, & velut fulcro ſolido adverſus illam auctoritatem firmaretur, quam frequentia flagitioſorum hominum ſceleri conciliat. Siquidem duplex

moralis

moralis certitudo, ex diverſo fonte ac criterio nata, & in idem conſpirans dogma, multo utique potentius intellectum roborat ad contemnenda dubia imprudenter oboritura. Præterea atteſtationes, quæ pro veritate exiſtentiæ revelationis divinæ pugnant, non modo ſatis claræ ſunt, ſed etiam diſtinctæ, imo ſenſibiles quoque, ita, ut exaudiri facile ab hominibus, & examinari accurate poſſint. At teſtimonium naturæ obſcurum admodum & confuſum in quovis homine, & maxime in indoctis eſt, & ſenſus inſuper illius facile vitiorum aſſuetudine hebetatur. Quid quod revelatio divina more ſuo comites etiam peculiares DEI illuſtrationes internas & inſpirationes habere ſoleat in quovis ſingillatim homine, qui ad eas recipiendas ſe pro ſuo modulo diſponat: quod, etſi Theiſta nondum capiat, diſcet tamen experientia, ſi modeſte magis in veritatem indagando, quam adverſus illam pertinaciter pugnando, recipiendæ illius luci ſe aptare, & ipſe ſataget. Hoc unum namque utrum per teſtes authenticos ſatis probetur, *quod Chriſtus facta ediderit*, quæ quisquis edat, eum DEO auctore & participe agere & loqui neceſſe ſit, Theiſta inquirat oportet. Factorum iſtiusmodi ſi teſtes & conſcios & veraces cum morali certitudine inveniat; etſi totus mundus temere contradicat, dubitare, ſi prudens eſt, iam non porro poteſt, quin DEUS In Chriſto locutus ſit, aut quin vera ſit locutus. Atqui id genus teſtes adducturos nos ſpondemus, favente DEO, omni exceptione maiores.

§. 52.

Arguunt 4to. Ut revelatio divina huiusque auctoritas locum habeat, iam ante cognoſci ſolo ex naturæ lumine debet religio naturalis. Secus

enim nec credi DEO revelanti poſſet, niſi is exiſtere, eſſe ſapiens infinite, & verax noſceretur, nec homo ſubiicere teneretur intellectum eius auctoritati, niſi DEUM eſſe rerum omnium Dominum, boni & mali vindicem, eumque ſumme iuſtum ac potentem noſſet. Atqui ſi iam ante perſpectam quisque habet totam naturalem religionem, quid revelatione eiusdem præterea eſt opus?

Reſp. diſt. Ut revelatio locum habeat, iam ante nota eſſe debet tota religio naturalis, *nego:* perſpecta eſſe debent quædam ſaltem eius prima ac magis generalia principia, quibus revelationis vis & auctoritas innititur; *concedo.* DEI exiſtentia, ſapientia, veracitas, potentia, ac ſummum dominium, noſci haud dubie iam ante debet a quovis homine, ut revelatione divina diſcere queat, quæ porro ſuperſunt religionis naturalis fundamenta, quippe ſine quibus revelationi ſua conſtare auctoritas haud poſſet. Aſt an ipſe homo libertate plena arbitrii polleat, an DEUS omni efficacia iura virtutis perſequi, an iſtam remunerari, vitium contra punire, præmiis & pœnis æternum duraturis, velit; iſta etiamſi ignoret homo ſola rationis tenuitate ductus, diſcere tamen ex revelatione poterit, ſicut & ipſa diverſa virtutum officia & iura; de quibus magnam eſſe ignorationem in vulgo hominum, minus felicem nacto inſtitutionem, experientia quotidiana abunde docet. Porro obligari ſeſe DEO revelanti ſubiicere intellectum, homo ex ipſa quoque revelatione æternitatis præmii & pœnæ primum cum maiori perſuaſione diſcet, modo de revelationis exiſtentia ſit certus, ſimulque evidens eſſe norit, DEUM nec mentiri, nec ultra ius & æquum punire poſſe.

§. 53.

Digitized by Google

§. 53.

Arguunt 5to. Quidni DEUS contentus eſſe poſſit, ut quisque hominum utcunque rudis pro ſuæ naturalis conſcientiæ modulo & ſecundum notitiæ menſuram, quam de vera religione habet, ipſum colat, ac revereatur, modo is agat bona fide rectoque animo? Quid vero tunc revelatione opus? *Reſq. diſt. antec.* poteſt id quidem EEUS pro ſuo arbitrio, ſaltem quoad aliquos, & quantumlibet multos; eſto, *concedam* hoc: id ipſum valde exoptandum hominibus vulgo eſt, ut faciat; imo abſque ingenti malo ſic homines ſibimet ipſis in materia religionis a DEO relinquerentur? *nego, ac pernego.* Non iſtuc iam quæſtio eſt, quid poſſit, quid non poſſit DEUS. Sed, an notitia ſufficiens, & ad propriam beatitatem conſequendam homini abſolute neceſſaria (§. 28.), ita vulgo ac turbæ hominum in promtu ſit, ut illam paſſim ſaltem plerique hominum etiam ſine divinæ revelationis auxilio comparare poſſint, quin difficultates & obſtacula ſe opponant vix a pauciſſimis ac ne vix quidem ſuperanda. Atque iſtud prorſus equidem abnuo, aioque, revelationis divinæ beneficium, etſi a DEO non abſolute debitum, tamen ſic paſſim hominibus eſſe neceſſarium, ut abſque illo non niſi cum ſumma difficultate vix a paucis ſufficiens notitia veræ religionis (circa prima nimirum inprimis & præcipua eius fundamenta §. 26. IV. indicata) comparari, atque adeo nec beatitas huius vel alterius vitæ moraliter obtineri poſſit. Iam iſthæc moralis impoſſibilitas, etſi forte permitti a DEO poſſit, minime tamen exoptabilis profecto eſt humano generi.

§. 54.

Urgent vero 6to. Fieri ſane potuit, ut DEUS reipſa homines ſic revelationis auxilio deſtituerit ob culpam aliquam ab eis communi opera admiſſam, qualis e. g. eſſet illud ipſum originale peccatum, cuius ſe reos alioquin Chriſtiani omnes putant. Ergo incerta revelatio eſt. *Reſp. omitto* iam nunc prorſus, quod *antecedens* tua propoſitio affirmat: neque enim ulla nobis in præſens de iſto quæſtio eſt; quod fieri abſolute potuerit. At peſſime tu certe infers, idcirco revelationem aut actu non exiſtere, aut neceſſariam hominibus non eſſe. Quæ enim hæc illatio: potuit negari a DEO; ergo negata eſt; vel, ergo neceſſaria non eſt? Quodſi vero neceſſitatem invicto reipſa argumento probavi tibi: cur, quæſo, tu obſtinate velis potius præiudicata cauſſa deſtitutum a DEO in ſua egeſtate univerſum genus hominum temere ſupponere, quam potius invocato cœleſti lumine ad argumenta illa attente examinanda animum docilem transferre, quibus actu conceſſum hoc hominibus a DEO beneficium, tam iſtorum ſaluti neceſſarium, probetur. At peccatum originale veriſimile eſt in hominibus id genus DEI beneficio potius obſtitiſſe. Unde tu vero de admiſſa ab hominibus iſthac noxa certus es? ex revelatione, quam nos Chriſtiani affirmate adſtruimus? ergo dari revelationem credis? Atqui eadem revelatio id remiſſum nobis a DEO peccatum, & totius religionis factam revelationem eſſe, docet. Non credis revera, extare ullam revelationem? cur ergo culpam ſupponis, quam non niſi revelatione didiceris? Nonne hoc eſt manibus pedibusque infantis inſtar certo ſalutis ſuæ atque unico remedio ſe opponere? Tantumne ergo tu a revelatione divina times tibi? ut, quidquid effugiorum eſt, vel ſumme imprudentium, id

id omne conquiras, ne DEI vocem debeas exaudire? Unde vero pannicus hic timor? An, quod metuas, ne vitam immortalem, ne pœnas ſceleris æternas tibi revelet DEUS? quarum fidem metumque, in hanc diem tibi a ſolo rationis dictamine incuſſum, neſcio, quibus argutiis adhuc excutere utcunque potuiſti? Ideone vero abſolutum te a periculo iam putas, quod eius periculi notitiam effugeris? Quod hoc inſaniæ genus!

§. 55.

Aiunt denique 7mo. Ergo debita a DEO hominibus ſingulis atque univerſis erit revelatio actualis, nec tam ut beneficium ſed ut ius quoddam ſuum illam homines excipient? *Probant* id ſequelæ genus ex eo, quod DEUS a ſua pietate homini utique ut naturæ auctor debeat ea omnia remedia moraliter neceſſaria, ſine quibus beatitatem, ceu finem creationis ſuæ, homo quisque conſequi non poteſt. Atqui tale medium ſecundum nos quidem revelatio eſt. *Reſp. nego*, recte inferri *ſequelam* iſtam; *nego*, ſatis etiam probari poſſe, quod ulli *ſingillatim* homini revelatio *in actu ſecundo* a DEO ulla in hypotheſi *abſolute debeatur.* At conſultius iſtud per plura theſium capita explicabo. A-io itaque.

§. 56.

DEUS, ſicut nec creare ullum hominum, ſic nec religionis ullam notitiam tribuere, abſolute tenebatur. Dem. Libero enim dominio DEUS per eſſentiam in res omnes creatas pollet, neque neceſſitate ulla ad eas vel creandas, vel beatitatis actu participes reddendas, abſolute tenetur.

* De *abſoluto DEI dominio* mihi ſermo eſt; cui nego neceſſitatem imponi revelationis actu faciendæ. Non

tamen idcirco nego, decens eſſe, ut DEUS hoc beneficium rationali creaturæ, portanti imaginem ſuam, liberaliter largiatur: qualem decentiam etiam reſpectu gratiæ ſupernaturalis admittit S. Auguſtinus lib. IV. contra Iulianum cap. 3. num. 15.

§. 57.

Sicut itaque creatio in omni ſenſu DEI beneficium abſolute indebitum eſt, ſic & quæcunque communicatio ſufficientis notitiæ religionis & quorumcunque mediorum ad beatitatem reipſa conſequendam.

§. 58.

Poſita mundi atque hominum libero arbitrio pollentium creatione, DEUS religionis veræ aliquam ſufficientem notitiam aliquibus ſaltem a ſe creatis hominibus largiri omnino debuit. Dem. Creatio enim bonitatis divinæ reſpectivæ, ut vocamus, actus & exercitium quoddam eſt; cui finis ſapientiſſimus, & quidem efficaci affectu intentus, reſpondere omnino debet: nec is alius eſſe poteſt, quam DEI exinde redundans gloria, & hominis beatitudo (§.3.). Cum enim beneficentiæ divinæ actus ille per eſſentiam ſit; bene facere hominibus per illum DEUS debet: cumque finis idem ultimus inſeparabilis a DEI gloria omnino ſit (§.4.); ad gloriam quoque ſuam ultimo referre beneficium homini collatum debet. Iam vero nequit DEUS affectu efficaci utrumque hunc intendiſſe finem; niſi & media ad illum conſequendum abſolute neceſſaria, inter quæ ſufficiens aliqua religionis notitia utique cenſetur (§. 28.), non nullis ſaltem hominibus una largiatur. Poſita itaque mundi, atque hominum libertate utentium, creatione &c. &c.

* *Neque dicas:* Cultus religionis DEO inutilis omnino eſt, nec quidquam in ipſum ex gloria apud homines exor-

exorta redundat boni: ergo intendi a DEO pro fine non poteſt. Nam *reſp. diſt. antec.* eſt tamen cultus ille DEO omni iure debitus, & ipſi homini a ſe creato ſumme utilis; *conc.* eſt etiam indebitus DEO, aut homini quoque inutilis; *nego.* Quod igitur DEUS bonum hominis creatione iſtius actu libere intendat, beneficentiæ ipſius eſt; quod ad gloriam ſuam bonum referat, quod homini reipſa exhibet, ſummæ idem æquitatis. Neutrum ab altero disjungi abſolute poteſt (§. 4.).

§. 59.

Neutiquam tamen idcirco omnibus atque ſingulis a ſe creatis hominibus illam ſufficientem religionis notitiam DEUS in ipſo actu ſecundo conferendi ulla urgetur neceſſitate, ne infinitæ quidem benevolentiæ ſuæ erga creaturas rationales titulo. Ex una parte, modo tribuat multis, quos libertate ſua bene uſuros in ſuam gloriam & eorum proprium emolumentum prævidet, finem creationis abſolute neceſſarium iam, quantum eſt ſatis, conſequitur (§. præc.): ex parte altera ſapientiſſimas habere rationes poteſt, cur aliis in actu ſecundo eam notitiam non concedat; vel quod alioquin prævideat eadem male abuſuros damno ſuo tanto maiore; vel quod ipſo rationis lumine in occaſionibus, in quibus id circa operationem boni moralis, aut mali moralis fugam, adhuc ſufficeret, male utentes, ſe diſponere ad maius illud revelationis lumen recipiendum negligant. Denique nec illi idcirco omni alio creationis fine carent; ſiquidem nihilominus ceteris, qui ea notitia donati ſunt, medii inſtar ſervire poterunt ad varia religionis officia tum erga ipſos, tum erga DEUM occaſione ipſorum exercenda. Neutiquam ergo &c.

Eſt

* Eſt hæc ipſiſſima difficultas tum a Porphyrio primis iam religionis Chriſtianæ ſeculis huius neceſſitati obiecta, tum poſtea ſæpius ab aliis eiusdem hoſtibus oggeſta, & a S. Auguſtino (Epiſt. 111. alias 49. quæſt. 11.) ſimilem in modum reſoluta. *Alia item propoſuerunt*, inquit Auguſtinus loc. cit., *de Porphyrio contra Chriſtianos tanquam validiora decerpta. Si Chriſtus, inquiunt, ſe ſalutis viam dicit, in ſeque ſolo ponit animis in ſe credentibus; quid egerunt tot ſeculorum homines ante Chriſtum? - - Quid actum de tam innumeris animis, qui omnino in culpa nulla ſunt? Siquidem is, cui credi poſſet, nondum adventum ſuum hominibus commodarat. Sed ne, inquit* (Porphyrius), *dicant, lege Iudaica vetere hominum curatum genus, longo poſt tempore lex Iudæorum apparuit, ac viguit anguſta Syriæ regione, poſtea vero prorepſit etiam in fines Italos, ſed poſt Cæſarem Caium, aut certe ipſo imperante. Quid igitur actum de Romanis animabus, vel latinis? &c.* Ecce tibi difficultatem pridem a Philoſopho pagano motam! cuiusmodi hominum, ceu veterum iam idolorum, oracula quotidie ævo noſtro a Theiſtis recantantur. Sed eccum quoque reſponſa magni Auguſtini, cuius iſti certe ingenium præ ſuo acumine non ſpernant. Regerit *primo* Auguſtinus totum difficultatis pondus in idololatras eiusmodi philoſophos, quos nec a Deorum ſuorum ſacris in conſequendo beatitudinis fine, cuius cauſſa creati omnes haud dubie ſimus, quidquam adiutos fuiſſe conſtare affirmat. Tum directe obiectum ſibi nodum ſolvere adgrediens, hoc præbet reſponſum. *Quamdiu parvus & infirmus eſt intellectus hominis*, inquit magnus ille Doctor, *divinæ debet credere voluntati.* Innuit his verbis, alio in ordine providentiæ divinæ, in quo rationis lumen naturale ignorantiæ tenebris minus obſcuratum, nec tot graſſantium publice errorum corruptione infectum fuiſſet, fieri potuiſſe, ut ſolum etiam in religionis naturalis argumento pro duce ſufficeret: At quamdiu in hoc obſcuro & infirmo ſtatu conſtitutum eſt, divina

vina opus habet revelatione, huicque ducendum ſe præbere tenetur. Sed pergit continuo propius obiectis ſibi reſpondere: *Quid mirum ergo, ſi tam infidelibus plenum orbem terrarum Chriſtus prioribus ſeculis noverat, ut eis apparere, ut prædicari merito nollet, quos nec verbis, nec miraculis ſuis, credituros eſſe præſciebat? Neque enim incredibile eſt, tales fuiſſe tunc omnes, quales ab eius adventu uſque ad hoc tempus tam multos fuiſſe, & eſſe miramur. Et tamen ab initio generis humani alias occultius, alias evidentius, ſicut congruere temporibus divinitus viſum eſt, nec prophetari deſtitit, nec, qui in eum crederent, defuerunt. - - Cum enim non nulli commemorantur in ſanctis Hebraicis libris, iam ex tempore Abrahæ, nec de ſtirpe carnis eius, nec ex populo Iſraël, nec ex adventitia ſocietate in populo Iſraël, qui tamen huius ſacramenti participes fuerint; cur non credamus, etiam in ceteris hac atque illac gentibus, alios fuiſſe; quamvis eos commemoratos in iisdem auctoritatibus non legamus.*-- Concludit demum, *Ita ſalus religionis huius, per quam ſolam vera ſalus veraciterque promittitur, nulli unquam defuit, qui dignus fuit, &, cui defuit, dignus non fuit. Et ab exordio propagationis humanæ uſque in finem, quibusdam ad præmium, quibusdam ad iudicium prædicatur. Ac per hoc &, quibus omnino annuntiata non eſt, (iſti) in illorum exemplum demonſtrantur; quibus autem credituris annuntiatur, hi regno cœlorum & ſanctorum Angelorum ſocietati præparantur.* Verba profecto quam plena ſapientiæ, tam attentione omni ſingillatim digna. Similia prorſus habet S. Thomas Aquinas *de verit. quæſt.* 14. *art.* 11.

** Itaque D. Iean Iacque Rouſſeau, regerens in Emilio ſuō (T. III. pag. 78. Edit. Amſtelod. 1764.) Porphyrii gerram, non niſi ignorantiam ſuam & eruditionis in Chriſtianorum Doctorum libris inopiam detegit, cum dicit: *Si una ſit religio aliqua, quam DEUS hominibus præſcribat, ſique puniat, qui eidem refragantur; opus eſſe, ut eidem indiderit ſigna certa & manifeſta, quibus ceu unice vera diſtingui*

ſtingui & dignoſci queat; eaque ſigna oportere eſſe omnium temporum & omnium locorum, æque ſenſibilia omnibus hominibus, magnis & parvis, ſapientibus, & idiotis, Europæis, Indis, Africanis, barbaris. Si religio daretur aliqua in orbe, extra quam non eſſet æternæ pœnæ ſubterfugiendæ ulla ſpes, ſimulque vel unum rectæ mentis hominem in quocunque orbis loco reperire eſſet, qui eius religionis evidentia non perſtringeretur, DEUS auctor eiusmodi religionis foret tyrannorum omnium iniquiſſimus iuxta ac crudeliſſimus. Quam ſub lucido hoc verborum cortice caſſa nux & parum profundioris iudicii latet! Nihil facilius, quam exemplo D. Auguſtini totum nodum in hunc Porphyrii diſcipulum regerere. Cedo enim: an religio naturalis quam ſolam veram iuxta atque neceſſariam D. Rouſſeau pronuntiat, & modis omnibus propugnat, tam manifeſtis characteribus inſignitur, ut toto lumine ſe hominibus ſanæ mentis ad unum omnibus offerat conſpicuam? An demonſtrationum lux, quas Sabaudo ſuo Vicario in os ingerit, Indis quoque, Caffris, & Hottendotis, eadem claritate atque ipſius ingenio ſe infundit? An non ſaltem amentibus perpetuo, an non infantibus vitam in ipſo mox ingreſſu finientibus, fax illa beatæ vitæ cum ipſo rationis uſu deficit? Quodſi medium beatitudinis conſequendæ tam neceſſarium ſubtrahere nihilominus ob rationes ſapientiæ ſuæ notiſſimas iuſtiſſimasque poteſt; quippenî etiam revelatio ipſa divina neceſſaria ſimul eſſe, ſimul tamen ob ſimiles prorſus rationes non omnibus eius notitia in actu ſecundo conferri a DEO poterit, quin & certis conditionibus etiam in adultis & ratione ceteroquin utentibus affigi poterit, quibus per eos ex malitia neglectis illi iſthoc beneficio abſolute nunquam debito (§. 56.) iuſte ſpolientur. Porro rationes aliquas tum in §phi huius demonſtratione, tum in adnot. 1. ex S. Auguſtino, attuli, Aliæ innumeræ ſuppetere haud dubie poſſunt DEO infinite ſapienti, & omniſcio, qui præſertim ceu auctor & gubernator univerſalis, quid-

quid

quid decernit, aut permittit, nunquam ex rationibus particularibus, ſed ex univerſalibus ad totum relatione facta, decernit, atque permittit. Quæro iam viciſſim ex D. Rouſſeau, an, qui religionis naturalis actuali notitia per naturæ lumen caruere, æternæ pœnæ ſubterfugiendæ ſpem habeant? Dicet haud dubie; non habituros, ſi ſua negligentia hoc lumen tam naceſſarium non quæſivere, aut ultro oblatum deſtinata malitia reiecere; contra ſupplicio ſaltem poſitivo non puniendos eos, qui citra omnem ſuam culpam eodem caruere. Sciat vero, neque religionem Chriſtianam quemquam præciſe ob ſolam negativam ignorantiam, omnis expertem culpæ actualis, de revelatione a DEO facta, ad æterna ſupplicia mox ablegare; etſi teneat eadem, nec quemquam adultum rationisque compotem ſine eius actuali notitia aliqua & praxi æternum beari, tam parum videlicet, quam ſine ulla ſcientia & exercitio religionis mere naturalis. Adhuc ergo DEI revelatio unica moraliter & univerſe ſufficiens via ad notitiam veræ religionis etiam naturalis ad ſalutem neceſſariæ eſſe poterit, etſi non omnibus hæc notitia in actu ipſo ſecundo conferatur, imo adultis, ratione utentibus & circa faciliora ſaltem religionis naturalis dogmata iam ſolo lumine naturæ ſatis edoctis, præſcribi a DEO conditiones poterunt, quibus obſervatis ſeſe ad amplius percipiendum lumen diſponant. Unde temere profecto Vicarius ille D. Rouſſeau ab orandi neceſſitate ſe excuſat (loc. cit. pag. 71.): cum utique preces fervensque tanti luminis poſtulatio præcipua & maxime conveniens conditio & cooperatio illa ex ipſius parte ſit, qua neglecta ſe ipſum tali beneficio indignum reddat.

§. 60.

Etſi in præſente naturalis rationis obſcuritate, & corruptione morum iuxta ac dogmatum publica humani generis, ſenſus communis naturæ citra DEI revelationem

Digitized by Google

nem pro religionis naturalis criterio vulgo & univerſe non ſufficiat (§. 40.); *tamen in alio humanæ iſtius vitæ ſtatu idem ſufficere poſſet, ac etiam in præſens ſufficere poteſt in facilioribus dogmatis religionis naturalis ſaltem ſub magna probabilitate agnoſcendis, & ponendis diſpoſitionibus, queis homines ſe ad ipſum divinæ revelationis lumen recipiendum præparent, ac diſponant.* Namque impedire utique DEUS in alio feliciore quodam humanæ vitæ ſtatu poſſet, ne prava dogmata circa ipſa religionis naturalis prima illa capita ac maxime generalia principia (§. 26. IV.), atque his adverſantia prava & publica flagitiorum exempla, inter homines tanta cum auctoritate, tamque communiter integris in gentibus, invaleſcerent. Quo in ſtatu, cum de generali omnium ſaltem doctiorum conſenſu circa prima illa principia & perfecta morum officia publice conſtaret, etſi factis eidem particularibus quandoque contradiceretur, ſua tamen ſenſui communi naturæ exiſtentiæ certitudo & auctoritas, ceu a nemine in dubium vocata, nec uſquam impugnata, conſtaret, atque adeo is ipſa inconcuſſa ſua certitudine & notitia ſufficienti religionis naturalis criterio ſerviret. Præterea in præſens quoque, etſi certitudo illi in communi hominum vulgo raro & difficulter conſtet, tamen vel ipſum dubium, & ingens probabilitas, quam menti de religionis naturalis officiis & primis dogmatis idem per ſapientum complurium meliora exempla & conſtantiam in bono ingerit, naturali gravitate ſua ſufficit ad hoc, ut homines vulgo tamen DEum timeant, ut mali vindicem & boni remuneratorem revereantur, & ab eo maius lumen, quod ſibi ad felicitatem conſequendam hoc ipſo neceſſarium ſaltem ſub dubio agnoſcunt, demiſſa prece flagitent, atque adeo hoc ipſo ad idem actu a divina eius bonitate recipiendum ſe diſponant.

* Nimis

* Nimirum §. 40. id ſolum agebamus, ut ſenſum communem abſque DEI revelatione ſecundum ſe immediate non ſufficere, & in præſente perverſionis doctrinæ & morum ſtatu, doceremus. Secus enim, ſi nullo in humanæ naturæ ſtatu ſolis naturalis rationis viribus religionis etiam naturalis notitia obtineri poſſet, foret hæc per §. 67. iam non ſimpliciter naturalis, ſed *ſupernaturalis quoad ſubſtantiam,* dicenda.

§. 61.

I. *DEUS itaque aut prohibere generalem illam doctrinæ ac morum corruptionem publicam, qua ſenſus communis naturæ in præſens opprimitur, peculiari providentia debuit, aut certe revelationis medium eidem in actu ſecundo aliquorum ſaltem reſpectu applicare* (§§. 58. 60.).

§. 62.

II. *Revelationis divinæ beneficium de religione naturali in præſente corruptionis ſtatu cuivis homini rationali lumine rite utenti, ſeque pro ſua virili parte ad id recipiendum diſponenti, DEUS certiſſime, non quidem ex aliquo operum humanorum iure, aut debito inde orto, ſed vi ſuæ ſummæ in rationales creaturas ſemel a ſe creatas benevolentiæ, impendet.*

§. 63.

III. *Poteſt vero DEUS pro ſupremo ſuo arbitrio a quovis homine adulto & rationis compote ſingillatim exigere, ut ſe ad hoc beneficium recipiendum prævie diſponat obſequendo ſenſui naturæ, ſeu privato ſuo, ſeu communi, in peculiaribus rerum adiunctis minus dubiis, præſertim circa diligentiam inquirendi in veram religionem, circa petitionem luminis a DEO, eo præſertim primo vitæ tempore, quo ſenſus ille naturæ reſpectu cuiusque ſingillatim nondum pravarum doctrina-*

rum & morum alienorum frequenti experientia eſt corruptus.

* Ecce tibi, quisquis es Theiſmi tui obſtinate amans, quid tibi faciendum præ omnibus ſit, ſi ab affectata tua ignoratione veritatis liberari velis. Atque hoc, ut in decurſu lectionis operis iſtius utcunque tenuis, & bono tuo unice ſcripti, ſæpius animo ſincero, & veritatis iuxta atque ſalutis æternæ cupido, & vero etiam fidente DEO, facias, impenſe hortor, atque etiam rogo.

* * Si ex me *quæras:* cur neceſſitatem revelationis divinæ non probem ex vulgari argumento, quod ex neceſſitate cultus externi, DEO exhibendi, vulgo repetitur, cuius rationem opus ſit omnino ab ipſo DEO ordinari, ut ei gratus eſſe univerſe poſſit. *Repono* candide: quia ſolidum id mihi argumentum non videtur. Profecto enim ſuprema externi divini cultus ratio ſacrificiis abſolvitur; quibus res creata, homini cara, ab eo ſupremo Numini immolatur; vel ut iſtius ſummum in res omnes dominium ille conteſtetur; vel ut palam faciat affectum & amorem ſupremum erga DEUM, quo ipſius placitum cuivis amori, rerum creatarum, quantumvis ſibi alias gratarum, prorſus præferat. Iam porro non equidem video, cur revelatione abſolute ad iſtud opus ſit: cur non homo quivis ipſe, aut paterfamilias quisque pro ſua domo, conſtituere pro arbitrio ſacrificii modum & materiem poſſit: aut cur gratum id eſſe DEO nequeat; modo non deterrima ex ſua penu, ſed quæ vere cara & pretioſa ipſimet ſunt, ad ſacrificia id genus ſecundum rationabile ipſius naturæ dictamen eligat. Sic Abel DEO placuiſſe legitur, quod optima ex pecoribus quæ alebat, Cain contra diſplicuiſſe ſummopere, quod deterrima ex terræ, quam colebat, frugibus DEO in ſacrificium obtulerit; quin DEUS ipſe ſacrificii illis modum aut præſcripſerit, aut vetarit. Mecum certe Doctor Angelicus & Suarius noſter ſentit

Tom.

Digitized by Google

Tom. III. in 3. p. d. 73. ſ. 8. Cavendum ſane, ne infirmis argumento adverſus Theiſtas pugnemus; ex quorum debilitate male illi cauſſam totius religionis noſtræ præiudicent. Certe D. Rouſſeau in Emilio ſuo (p. 75.) ſupponit, hoc uno argumento revelationis neceſſitatem probari: quod falſum eſſe, ſatis, ut puto, omnia adhuc a me dicta evincunt.

*** Illa tamen probatio non ſane mihi diſplicet, quæ pro revelationis neceſſitate exinde petitur; quod abſque illa, cum neglectu officiorum quorumdam graviter aliquando in DEUM peccaſſemus, ignari prorſus, an veniam delicti is indulſiſſet, an eam abnueret plane eſſemus hæſitaturi. Unde ſortis noſtræ incerti prorſus, perpetuo dubitaremus, præmiine adhuc capaces poſthac futuri eſſemus, nec ne, pro virtutum officiis deinceps exercendis recipiendi; an vero pœnis alterius vitæ æternis iam irrefragabili ſententia addicti. Quod ſane novum implendorum accurandorumque diligentius eiusmodi officiorum deinceps obſtaculum, non ſane leve ac contemnendum, futurum per omnem reliquam vitam eſſet. Nec facile diſſipare metum iſtum liceret recordatione clementiæ DEI infinitæ: cum eius *exercitium* non totum ab libero DEI arbitrio dependere nemo facile auſit dicere, etſi *facultas* miſerendi ſit infinita. Niſi ergo DEUS gratuito dandam mihi poſt lapſum veniam revelet, ſuperſtes ſemper hoc mihi vel ſemel lapſo cum vita dubium erit: odio, an amore DEO dignus ſum? Enimvero moleſta, gravis, imo miſerabilis animi ſuſpenſio!

**** Denique nec illud argumentum placet, quod poſt Blaſium Paſcalem (in opere poſtumo, *Penſées de M. Paſcal* inſcripto) Cl. Antonius Genuenſis in Elem. Metaph. Tom. III. pag. 232. edit. Neapol. 1751. ex corrupto humanæ naturæ ſtatu præſente repetit, qui & crimen aliquod pro origine, & remedium habere debeat; quorum neu-

 trum

trum niſi ex DEI revelatione diſcere poſſimus. Neque enim facile vel Theiſta aliquis admittet, certum eſſe, ſine magni alicuius criminis reatu hominem in eo naturæ ſtatu, quo nunc ſolet, creari a DEO non potuiſſe.

§. 64.

IV. *Summa temeritas eſt, ſiquis in præſente humanarum rerum ſtatu oblatum liberaliter a DEO ſatis certæ revelationis de vera religione beneficium pertinaciter auſit reſpuere.* Is enim neceſſarium extremæ ſuæ imbecillitatis ſubſidium in re omnium graviſſima, h. e. in beatitate conſequenda, & implendo creationis fine, putida ſuperbia recuſando, & DEI pietatem contemnendo graviſſime offenderet (§. 11.), & ſibi maxime ipſi quam graviſſime noceret.

§. 65.

V. *Cui vel probabili tantum argumento de revelationis divinæ exiſtentia iam actu conſtat, is graviter obligatur, ut congrua diligentia in eam ulterius inquirat, ac ſe ipſum de eius veritate certum reddat.* Medii enim ad finem conſequendum neceſſarii ſtudioſa inquiſitio negligi ſine ipſius contemtu finis, i. e. beatitudinis, ac fruitionis ſummi boni non omnino poteſt. Atqui evidens eſt, iſtiusmodi contemtum a DEO graviter prohiberi (§§. 13. ſeq.).

§. 66.

VI. *Iuxta revereri DEI revelantis vocem homo quisque tenetur, ſive illa ad ipſum immediate dirigatur, ſive ad alios immediate directa fuerit: modo ſufficiente certitudine de illa conſtet.* Beneficium enim ſumme egenti collatum recipi cum gratiarum actione & reverentia oportet, ſive immediate, ſive per alios exhibeatur. Lex item a ſupremo Domino

mino, ſeu immediate, ſeu per alios, ſubdito promulgata, reverentia pari excipi ab hoc debet. Atqui ita ſe res circa DEI revelationem habet.

CAPUT III.

POSSIBILITAS RELIGIONIS ALICUIUS SUPERNATURALIS IN GENERE, ET REVELATIONIS EIUSDEM A DEO NOBIS FACIENDÆ, DEMONSTRATUR.

Arcem Theiſmi præcipuam hic recta adgredimur, qua is adverſum univerſam Chriſtianæ religionis vim inprimis defendi ſe putat, hoc eſſe principium illud, a ſpurio ingenii acumine excogitatum: *nec revelari a DEO poteſt, nec credi ab homine debet, quod demonſtrari, aut ratione ſaltem percipi, non poteſt.* Ita vero everſuros arcem hanc funditus nos ſperamus, ut, niſi deſperatione ultima ſe hoſtis tueatur, deditionem merito expectemus.

§. 67.

Religio naturalis tantum dicitur ea pars ſummæ regularum, religionem componentium (§. 25.); cuius & notitia comparari, & executio fieri ita abſolute per ſolas naturæ humanæ creatas vires poteſt; ut beatitudo, eidem naturæ hominis conveniens, demum obtineatur. *Religio ſupernaturalis* contra vocatur ea pars regularum religionis; cuius neque notitia obtineri, nec executio fieri, aliter quam per vires natura altiores poteſt; quarum tamen notitia per altius lumen a DEO ſemel accepta, & per vires itidem ſublimiores executioni tradita, ad beatitudinem longe excellentiorem, nec humanæ conditioni abſolute debitam, perducit.

* *Religio* naturalis, ſi magiſterio divino-forte ab aliquo diſcatur, etſi ſolo naturæ lumine intelligi abſolute poſſit (§. 36. not. 2.) *quoad modum ſupernaturalis* dici poterit. At nobis de *religione quoad ſubſtantiam ſupernaturali* præſente toto capite & deinceps ſermo erit. Theiſta talem poſſibilem eſſe abſolute negat. Nos in præſentiarum quidem alicuius religionis quoad ſubſtantiam ſupernaturalis in genere, & cap. ſeq. Chriſtianæ religionis in ſpecie poſſibilitatem, tum vero alias etiam actualem exiſtentiam, totius humani generis bono & ſolatio, demonſtrabimus.

§. 68.

Si DEO religionem naturalem nobis revelari placuit, in arbitrio ipſius erat, ut eam hominibus univerſe aut cum demonſtratione veritatum, aut abſque demonſtratione revelaret. Dem. Dubium enim non eſt, quin DEUS revelare demonſtrationes ipſas veritatum ad religionem naturalem pertinentium potuerit: cum vel ab hominibus ſolius ope luminis naturalis ſæpius inventæ fuerint. Aſt neque neceſſarium id fore, ex eo manifeſtum fit; quod ſola DEI atteſtatio utique abunde auctoritatis ad hominum promerendam fidem habeat. Ergo in ipſius arbitrio erit &c. &c.

§. 69.

Si DEUS religionem naturalem univerſos homines vulgo revelatione docere voluit; niſi multiplicare nimium quantum miracula voluerit, citra demonſtrationem id eum facere convenit. Dem. Niſi enim miraculo ſuccurrere hominibus, demonſtrationis percipiendæ natura ſua & pro vulgari vitæ conditione incapacibus, voluerit DEUS; æque parum ab ipſius ore, atque a Philoſophis hodiernis, longe maxime hominum pars demonſtrationum illarum vim atque emphaſin erant percepturi. Inutilis

lis ergo pro parte hominum multo maxima demonſtrationum talium additio extitiſſet. An dices, ingens ſaltem acceſſurum ex ea philoſophicis & magis capacibus ingeniis beneficium fuiſſe. Atqui non decebat maiora unis opera quam alteris imponere, rudes quidem obligando ad intellectum ſoli auctoritati ſuæ ſubiiciendum, & eodem officio exſolvendo acutiores magisque doctos, imo nec callidioribus anſam dare indoctos altiore ſupercilio deſpiciendi. Ex adverſo decens omnino erat, ut omnibus æquale officium imponeret, non ut voluntatem modo ſummo ſuo imperio, ſed intellectum item ſupremæ ſuæ auctoritati, omnes pariter ſubiicerent. Ergo ſi DEUS &c. &c.

* *Dicas* forte: ſic neque dignum DEO futurum fuiſſe, capacius uni quam alteri naturale ingenium dare, atque hoc ipſo difficiliorem aliis, aliis faciliorem religionis naturalis cognitionem reddere. At memineris, haud verum eſſe, quod ſupponis; nempe faciliorem per ſe magnis ingeniis certam religionis notitiam eſſe, quam exiguis & tenuibus: cum æque facile illa in ænigmata difficultatum incidant, quarum ne quidem iſtis cogitatio occurrit, & econtra rudibus æque facile communis ſenſus ſua certitudine, quam acutioribus rationis diſtincta demonſtratio ſatisfacere ſua evidentia conſueverit.

§. 70.

Si religionis naturalis dogmata ſic DEUS actu revelaſſet, ut ſatis de revelatione eiusmodi conſtaret: etſi demonſtrationem eorum nec revelaſſet, nec eadem vulgus hominum capere per ſe ipſum poſſet, e. g. quomodo præſcientia DEI cum libertate humanarum actionum, DEI bonitas cum permiſſione tot malorum naturæ & culpæ &c., componi queant; *credere tamen DEO revelanti æque vulgus hominum*

 rude,

rude, atque eruditi quique Philoſophi, deberent. DEM. Eſt enim ex primis veritatibus una hæc longe evidentiſſima, DEUM nec falli ipſum poſſe, nec vero etiam alios fallere: ſimul item quotidiana experientia cuique de vulgo hominum compertum eſt, ſe plurima in rebus obviis, etſi multo certiſſima, ac palpabilia plane ſint, tamen capere non poſſe. Quodſi ergo ſat certo conſtaret, DEUM religionis naturalis dogmata revelaſſe, ſeu caperet ea, ſeu non caperet de vulgo hominum quiscunque, credere tamen eadem DEO revelanti prorſus fide firmiſſima deberet non minus, quam Philoſophus quisque demonſtrationum earundem apprime gnarus.

* Negare haud poteſt evidentiam iſtius theſis Theiſta, quisquis is ſit. Nam cum demonſtrationum capax haud eſſe vulgus hominum ipſe fateatur; ſenſum communem vero a criteriorum numero vulgo ſoleat proſcribere: non alius profecto modus ſupereſt, quo innoteſcere rudi hominum plebi religio poſſit, quam auctoritatis divinæ, vel humanæ, inſtitutio. Iam vero auctoritatem humanam ſufficere indoctis admittitne ille; an vero negat? Si admittit: parem profecto ſaltem DEO competere, neceſſe eſt, ut fateatur. Si negat: ergo aliud indoctis religionis criterium non ſuppetit, quam DEI revelatio: qui ſi & ipſe auctoritate ſufficiente careat; actum cum illis, h. e. cum hominum parte longe maxima, omnino erit.

§. 71.

Itaque pari modo, hominum ut doctiſſimus & maxime Philoſophus quisque ſit, ingenioque quantumvis potens, DEO tamen, utcunque ardua dogmata revelanti, fidem certam adhibere tenebitur, etſi nihil illorum dogmatum comprehendat: modo de revelatione eidem ſatis reipſa conſtet. Siquidem nec DEUS cum Philoſopho compoſitus

poſitus minus falli atque fallere eſt neſcius, nec Philoſophus, utcunque eruditus, in veritatibus quam plurimis minus, quam rude vulgus quodlibet, ignarus eſt.

* Quid ex duobus his negare Theiſta queat, equidem non video. An dicet, ſe nihil veri uſpiam ignorare? an credet, cuncta ſe funditus comprehendere? Mirum, ni caput tanta ſcientia turgens (an inſania?) illi vertigine agitetur. Sed palpare inſaniam ſuam hominem, age faciamus, quamque multa non modo ignoret, ſed nec comprehendere capax omnino ſit, meridiana luce clarius ei demonſtremus.

§. 72.

Dantur veritates quam plurimæ, a nullo homine per naturæ vires, uſquam demonſtrabiles, tam neceſſariæ, quam contingentes, tum de DEO, tum de creaturis, ſive operibus DEI. Demonstrare theſin, quæ nulli ſano homini ambigua eſſe poteſt, per partes accurate iuvat, ut Theiſtarum inſania luculentius pateſcat.

Aio itaque 1mo. *Dari veritates neceſſarias de DEO, a nullo homine naturæ viribus demonſtrabiles.* Dem. Eſt enim idea, quam homo quiscunque præformatam de DEO habet, evidenter finita, & incompleta, h. e. neutiquam omnes perfectionum notas, quæ DEO, ut enti infinite perfecto, reipſa inſunt, ſeorſum exprimens. Aut num quis noſtrum aliter quam ex creatis rebus, harumque perfectionibus, ſenſu vel intellectu cognitis, DEI ideam effingit ſibi; componendo videlicet in unum perfectiones omnes, quæ vere creatis rebus ineſſe obſervantur, & removendo ab hac congerie limites, imperfectionumque defectus omnes, quibus in iſtis diverſæ perfectiones perpetuo miſcentur.

Digitized by Google

Iam vero neque rerum creatarum perfectiones omnes qui noverit ex integro, ullum reperire inter homines eſt uſquam; ut mox §. ſeq. oſtendam; multo vero minus, qui nominatim ſint rerum creatarum omnium ac ſingularum limites ac defectus, noſcere omnino poſſumus. Aut num via quædam alia eſt defectus quosque & negationes dignoſcendi quam per realitates ac perfectiones, quæ eis e diametro opponuntur? Atqui, perfectiones iſtæ cum per ipſos defectus & limites oppoſitos a creatis rebus omnibus excludantur, nec adeo ipſis inſint; qua via aut ipſæ cognoſci in his, aut defectus omnes ipſis oppoſiti diſcerni, ab humano intellectu poterunt? Num a priori? aut ex ipſa DEI idea? atque in hac non niſi ſub confuſo *omnium realitatum* ſeu *perfectionum* nomine, veluti exercitus quidam in imagine, ſumma non niſi ingentis hominum multitudinis capita, cum haſtilium ſummis apicibus, repræſentante, exprimuntur. Num vero a poſteriori? aut ex rebus creatis, tanquam effectis DEI? Atqui ne his quidem reale earum veſtigium, quod cognitione reipſa diſcerni poſſet, ſed ſoli earum defectus, ceu umbræ obſcuriſſimæ, duntaxat inſunt, nulla mentis oculorum acie dignoſcendæ. Itaque nihil evidentius eſt, quam ideam noſtram omnem de DEO, quamcunque formare nobis per vires humanas licet, nunquam non ita finitam ac incompletam fore, ut plurimæ perfectionum notæ in DEO reipſa ſuperſint, quas nunquam nobis demonſtrare, ac diſtincte cognoſcere erit integrum, vel quod DEO reipſa inſint, vel qua ratione cum ceteris eius perfectionibus citra contradictionem ullam componantur. Notæ porro illæ perfectionum nihilominus idcirco DEO inſunt: vereque de DEO affirmari poſſunt; etiamſi nos eas cum demonſtratione

ne

ne aſſerere, (i. e. cum criterio ſenſus intimi ceu contentas in ſubiecto, ſive in idea DEI, affirmare) aut intelligere nequeamus. Demum perfectiones in DEO omnes eſſentiales, atque æternæ, ac neceſſariæ ſunt. Dantur igitur veritates de natura DEI neceſſariæ, & a nullo homine naturæ viribus demonſtrandæ.

* Mirum, ſi dubitare ullus Theiſta de hac theſi poſſit. Quis enim fuit adhuc Philoſophorum omnium tanto ingenio; qui *demonſtraret*, qua ratione DEUS futura contingentia ſalva & libertate hominum & DEI ſupremo dominio præevideret? quomodo æternitas cum novitate mundi recens conditi componatur: qua ratione combinanda eius libertas cum infinita perfectione, bonitas cum malis, quæ inundant orbem ab eo conditum: quomodo orbem e nihilo condiderit &c. &c. An amicitiæ cum DEO ineundæ capax homo, nec ne.

§. 73.

Aio 2do, *dari veritates neceſſarias de rebus creatis, a nullo homine naturæ viribus demonſtrabiles.* Dem. Ideæ, quas de rebus creatis formare in noſtra poteſtate eſt, nec ipſæ niſi valde incompletæ eſſe poſſunt, & neutiquam adæquatæ. Omnis enim idearum iſtiusmodi origo a ſenſibus exorditur, quorum organis actiones impulſionesque, a rebus queiscunque externis venientes, excipimus, exceptasque, & ad cerebrum usque continuatas, ibidem mente percipimus. Iam quis in phyſica non plane peregrinus ignorat, quanta ſenſuum humanorum iuxta atque idearum ex eis naſcentium imperfectio; quam multa ab eis neceſſario confundantur; quam nihil prorſus explicate & adæquata diſtinctione ſentire poſſimus: cum ne ſimplicia quidem unquam elementa, ſed ſolum compoſita

poſita iam corpuſcula attingere ſeu oculi, ſeu aures, ſeu ceteri ſenſus noſtri queant; ita, ut nunquam ipſas ſimplicium ſubſtantiarum eſſentias, ſed ſemper non niſi iam immenſum compoſitas corpuſculorum ſenſibilium actiones percipere omnino valeant. Impoſſibile itaque prorſus eſt ipſas elementorum corporeorum ſimplices eſſentias humano intellectu perſcrutari: cum utique, quod in primis ideis iam prorſus involutum & plane confuſum eſt, nulla alia noſcendi facultate porro valeat penitus & integre explicari. Hoc eſt, cum ideæ rerum ſenſibilium confuſæ & incompletæ in nobis ſint; neque per iudicia affirmativa cum intuitu ſenſus intimi omnia prædicata de illis ut ſubiectis affirmare poſſumus, quæ revera eis inſunt, neque negare omnia cum evidentia, quæ ineſſe non intuemur; quia, etiamſi ineſſe non intueamur, tamen ineſſe poterunt, quin nos ob imperfectionem idearum advertamus. Unde, quoniam rerum omnium eſſentiæ æternæ ſunt, ac neceſſariæ, eo ipſo rurſus dabuntur veritates neceſſariæ de eſſentiis elementorum corporeorum creatis, a nullo homine naturæ viribus demonſtrabiles. Quod de corporibus dixi, idem de mente quoque humana dici poterit, cuius eſſentia non niſi ex eius actionibus, ſenſu intimo perceptis, a nobis noſcitur: quæ cum itidem maximam partem compoſitæ ſint, utpote ex ideis ſenſualibus præexiſtentibus ut plurimum pendentes, itidem adæquate diſtingui nequeunt.

* Demonſtret mihi ſane, ſi tantum intellectu valeat, Theiſta quisque, corporane ipſa in ſe mutuo, atque in mentem noſtram, agant, cum tam varie moventur; an ſolus omnia DEUS agat, quæ motu corporum eveniunt. Demonſtret mihi, quot combinationum, & qualium præter

ter eam, quam modo in hoc mundo accepere, capacia hæc eadem mundi totius elementa eſſent. Demonſtret, ſi Alchymiæ fortaſſis metam primus attigit, demonſtret, inquam, quomodo naſcatur aurum: quomodo in Solem illum Saturnus ignobilis vertatur: lapis quînam philoſophicus paretur. Dicat ſaltem, an quadratura circuli ſit poſſibilis: an non fruſtra in mobile perpetuum inquiratur: an mundi præſens conſtructio talis ſit, ut adhuc dum mille annos durare queat. Quodſi in his omnibus illi aqua hæret; quidni IESUS Chriſtus, cuius doctrinis habere fidem reſpuit, quod non intelligat, quidni, inquam, recte illi exprobret: *terrena dixi vobis, & non intelligitis: quomodo, ſi dixero cæleſtia, intelligetis?*

§. 74.

Aio 3tio. *Dari veritates contingentes innumeras nulla ratione humano intellectui naturæ viribus demonſtrabiles.* Dem. Sunt enim res multæ poſſibiles, quas actu exiſtere aut ſoli DEO liberum eſt, aut DEO ſimul ac menti humanæ. Eſſent item multa per liberum arbitrium humanum ſub certis conditionibus futura, quæ reipſa & abſolute nunquam futura ſunt. Quod vero a libertate, vel DEI, vel hominum eſt, id omne contingens eſt, ſimulque hoc ipſo neque ex rationibus a priori, nec, antequam ſit, a poſteriori demonſtrari omnino eſt poſſibile per vires humanæ naturæ. Ergo &c. &c.

* Demonſtret ergo Theiſta, an DEUS, cum æternum virtuti præmium ex ipſius mente abſolute forſan non debeat, demonſtret, inquam, an daturus id libere ſit, nec ne. Demonſtret, an homini ſemel graviter in ſe peccanti daturus ſit veniam; an vero unius noxæ reum a beatitudine etiam naturali ſit abſolute repulſurus. Cum porro varios utique DEUS gratuitos favores homini exhibere

pro

pro poteſtate poſſit; demonſtret ille, quos præ aliis reipſa ſit exhibiturus; quos non: An, qui ſemel vitio ſe addixit homo, pœnitentia acta in gratiam recipiendus, an male potius ſit mox ob primam admiſſam noxam periturus: an nullam DEUS homini probo beatitudinem niſi certo debitam iure daturus ſit; an pro ſua benignitate etiam ultra menſuram debiti heroes ſuos potius remuneraturus. Quanta DEI magnalia in hac parte nobis Chriſtus Dominus annuntiavit! Univerſu illa num reſpuet Theiſta hac ſola de cauſſa, quod DEUS grandia facturus nobis, & ultra, quam nos capere valeamus, beneficentiam ſuam extenſurus, quædam bonitatis ſuæ prodigia ipſi offerat, quæ limites intellectus ipſius ſupergrediantur?

§. 75.

Veritates illæ neceſſariæ & contingentes, de quibus hactenus dictum, etſi naturæ viribus non demonſtrabiles, ad religionis ſupernaturalis regulas ita pertinent, ut, ſi nobis a DEO revelarentur, ad beatitudinem longe excellentiorem, naturæ noſtræ per ſe indebitam, ac ſupernaturalem, nos diſponerent. Dem. Regulæ enim religionis ſunt omnia illa iudicia, ſeu veritates, quarum cognitio intellectum dirigit, & movet voluntatem ad quæcunque officia, perfecta, & imperfecta, exequenda erga DEUM, ſe ipſum, atque alios homines; quorum exercitio DEO gloriam reddimus, & beatitudinis prœmium promeremur (§. 25.). Porro horum officiorum omnium primum eſt, ac principium ceterorum, amor DEI, ac noſtri, aliorumque hominum, propter DEUM (§. 5.); qui quidem amor unice ex cognitione boni naſcitur, ac pro magnitudine boni, & cognitionis eiusdem excellentia, creſcit, aut viciſſim decreſcit pro cognitionis eiusdem imperfectione. Aucta itaque per revelationem veritatum illarum non demonſtrabilium cognitione noſtra de DEI, boni illius infiniti,

finiti, excellentia (§. 72,), de operum ab eo creatorum atque ſimilitudinem ipſius participantium nobilitate (§. 73.), de gratuito etiam ipſius in nos benevolentiæ affectu, de ipſius parato animo altiorem etiam nobis beatitudinem, naturæque noſtræ indebitam conferendi, de aliis gratuitis eius in nos beneficentiæ prodigiis &c. &c. (§. præc.), evidens eſt, etiam hoc ipſo voluntatem noſtram diſponi, potenterque impelli ad bonum illud ita cognitum ardentius amandum, ad amandam quoque iſtiusmodi beatitudinem nobis gratuito oblatam, ad amandos item magis alios homines, DEO tam ſingularem in modum caros, atque adeo ad omnia illa officia maxima integritate implenda, quibus DEUS altiorem illam beatitudinem, ceu præmium liberale & gratuitum promiſiſſet. Ergo evidens eſt, veritatum illarum revelationem ad excellentiorem beatitatem nos magnopere promoturam &c. Porro hoc ipſo, quod veritates illæ naturæ vitibus non ſint demonſtrabiles, & beatitudo, ad quam nos diſponerent, indebita; ad religionem ſupernaturalem eas pertinere, & ad ſupernaturalem quoque beatitatem dirigere in comperto eſt (§. 67.).

§. 76.

Evidens eſt, dari item veritates, quæ non ſolum naturæ viribus demonſtrabiles non ſint, ſed etiam lumine naturæ demonſtratis veritatibus contradicere & opponi in ſpeciem nobis hominibus modo videantur. Dem. Evidens nempe, & Philoſophis inprimis in accuratione Metaphyſica probe verſatis experientia compertiſſimum eſt, tum ideas noſtras de DEO iuxta ac rebus creatis non ſolum incompletas & inadæquatas, ſed inſuper vel maxime *confuſas* & obſcuras eſſe: tum vero etiam *ideas* eiusdem plane

ne rei *diſtinctas* a *confuſis* ita diſcrepare, ut, ſi confuſam ſolum habenti ideam de quacunque re offeras diſtinctam, quin rationem oſtendas ſufficientem; cur, & quomodo in eandem prorſus rem reipſa utraque conveniat, quin reapſe omnino differat; is omnino alienum quid eidem rei a te affingi pro certo exiſtimet. Rem probis Philoſophis notiſſimam uno alterove exemplo illuſtrare ad omnium, etiam qui Philoſophiæ minus gnari ſunt, faciliorem captum mirifice iuvabit. Age, homini recentioris Phyſicæ experti, nec niſi confuſis ex veteri Philoſophia notionibus præoccupato, diſtinctam *ſoni* aut *coloris* ideam explica. Dic, tonum acutiorem a gravi non niſi vibrationum, quibus organi auditus fibræ titillentur, celeritate differre. Pulverem ex flavo & cæruleo probe commixtum, atque viridem hoc ipſo colorem oculis ſiſtentem, veteri cuidam Peripatetico offer, atque affeveratione quanta potes maxima affirma, flavum atque cæruleum huic pulveri colorem eſſe. Quid ab eo niſi ſannas & ludibria expectes? Viridem ſcilicet pulveris colorem dici debere ab omni, qui oculis non ſit captus, reponet ille bonus vir; flavum & cæruleum haud dici poſſe, per omnes ſuperos iurabit. Repone tu illi porro, eundem eſſe poſſe colorem viridem cum cæruleo & flavo, atque adeo nullam ſententiarum te inter & ipſum pugnam revera eſſe. Mirum, niſi vertigine prorſus tibi caput circumagi, ille homo antiquæ fidei apud ſe conſtituat. Tum Microſcopio ſumto, explorare illum granula pulveris ſingillatim iube: ſi inſtrumenti conſtructio ipſi ſit ignota; iurabit rurſum millies, fallaciam machinæ ſubeſſe, alienumque intus pulverem ſupponi. Iam unde demum hæc omnis pugna? An nullam colorum differentium ideam vir bonus omnino menti impreſſam habet? Imo fla-

vum,

vum, viridem, cæruleum, aliosque millies oculis aſpexit. Sed nempe acumen, quod microſcopium ſuppeditat, deerat eidem, quo grana pulveris ſingillatim cerneret, ac flava a cæruleis diſtingueret. Coloris utriusque huius iuxta ac viridis non niſi confuſam adhuc ſortitus a ſenſibus ideam fuerat, cui cum diſtinctam, a te primum oblatam, compararet, res prorſus duas, inter ſe plane diverſas, atque invicem oppoſitas, ſibi cernere videbatur. Nec vero aliter fieri ab eo omnino poterat: quì enim diſcerneret, flavum colorem, aut cæruleum, in idea viridis latere poſſe; cum nuſquam in confuſa viroris imagine ſimilitudinis quidpiam cum illorum alterutro ſe offerat. Nimirum omnis idea confuſa plura ſub una communi ratione compoſita intellectui obiectat, quæ diſcreta proprias ſingula ſeorſum, & ab illa compoſita ratione reipſa diverſas, ſimplices rationes cognoſcibiles habent. Unde ſi ſingillatim ea cum idea rationem compoſitam repræſentante componas, ac compares, prorſus diverſa ab illa eſſe, ac eidem repugnare etiam, neceſſario videri debent; donec ex diſtincta ſimplicium idea poſſibilitatem intelligas, qua ex eorum combinatione, aut coniuncta actione, idea illa confuſa, ſeu compoſitam illarum actionem repræſentans, naſci poſſit. Sic ſi diſtinctam viro illi ideam coloris in genere, tum vero etiam coloris flavi, cærulei, & viridis explicaveris; quod nempe color ipſe formalis in genere non niſi in certa vibrationum celeritate, celeritas in certo earundem numero, intra idem abſoluto tempus, conſiſtat; quod alia ſit celeritas vibrationum in flavo, alia in cæruleo, & rurſus in viridi alia; quodque numerus vibrationum eiusdem temporis, qui in flavo eſt, & qui eſt in cæruleo, ita attemperetur, ut ſimul iunctus æqualem numerum conſtituat cum

eo, qui colori viridi eſt proprius: hæc, inquam, explicando ſi ex diſtinctis ſimplicium colorum notionibus poſſibilitatem ei oſtenderis, qua ex eorum compoſita actione viridis color naſci poſſit; tum enimvero omnis apparens differentia & oppoſitio mox diſparebit, isque pari facilitate intelliget, viridem colorem ex flavi & cærulei mixtione, atque motum per diagonalem parallellogrami ex motu gemino ſecundum duo latera impreſſo, naſci poſſe, Iam vero quis non videt, eam eſſe tum ſenſuum noſtrorum, tum ipſius intellectus, hoc ipſo, quod finitus ille ſit, imperfectionem atque eos limites, ut omnia diſcerni a nobis in quibuscunque obiectis per naturæ vires impoſſibile prorſus ſit; neque fieri aliter omnino poſſe; niſi ut multas notas, in ideis compoſitis contentas, omnino nuſpiam diſcernamus, aut certe ipſas compoſitas pro ſimplicibus habeamus, & quod ſimplicibus ſeorſim convenit, aut repugnat, id etiam compoſitis convenire, aut repugnare, vel viciſſim, quæ compoſitis conveniunt, aut repugnant, eadem convenire, aut repugnare ſimplicibus ſeorſum acceptis, reipſa quidem nulla, ſed in ſpeciem tamen maxima evidentia, exiſtimemus. Quodſi ergo quis contrarium circa id genus obiecta veriſſime affirmet nobis; cum naturæ lumine ac ipſis ſenſibus pugnantia nobis loqui videatur neceſſe eſt. Evidens ergo eſt &c. &c.

§. 77.

Quoties ideas rerum non niſi incompletæ habentur, neceſſe eſt multa confundi, ſive pro eodem haberi, *quæ reipſa diverſiſſima ſunt.* Dem. Res enim vel reipſa diverſiſſimæ multis tamen in notis paſſim conveniunt, rerumque ipſæ ſpecies non niſi per unicam ſæpe determinationem contradictoriam diſcrimi-

ſcriminantur. Quodſi ergo ideas rerum diverſarum non niſi incompletas habes, id eſt, quæ non niſi notas cum aliis rebus communes, non item proprias & differentiales, exhibeant; iis inter ſe comparatis inſtar ſubiecti & prædicati, obſervataque mutua ſimilitudine, unam eſſe alteram putabis, h. e. diverſa inter ſe confundes.

* Sic aurichalcum pro auro, ſpuriam pro genuina gemma, ſæpe habemus; quia incompletas auri & genuinarum gemmarum ideas habemus: quæ notas earum differentiales diſtincte non exhibent, ſed ſolum, quæ ipſis cum ſpuriis ſunt communes.

§. 78.

I. Quoniam itaque nihil evidentius, quam noſtras tum de rebus creatis, tum multo amplius de divinis rebus ideas & valde incompletas, & nunquam non confuſas eſſe: *neceſſe omnino eſt, nos multas veritates in ſe certiſſimas tum de DEO, tum de rebus creatis, partim comprehendere non poſſe* (§. 72. & ſeqq.), *partim earum aliquas nobis omnino evidentis pæne falſi ſpeciem offerre.*

* Enimvero ad alterutrum ex his duobus fontibus omnis dogmatum Chriſtianæ religionis apparens difficultas, imo exiſtimata repugnantia, revocatur. Vel *incompletæ* ſunt *notiones* noſtræ, e. g. *de natura corporum:* & hinc *extenſionem,* quæ ex actione & reactione elementorum multo ſe repellentium naſcitur, atque adeo non niſi proprietas reipſa & effectus phyſicus eorum eſt, cum eſſentia elementorum confundimus; & ſicut eſſentia ab eis tolli non poteſt, ſic neque extenſionem vi divina ab eis adimi poſſe in SS. Euchariſtiæ Myſterio exiſtimamus. Vel eædem *notiones* quoad ſe iam *confuſæ* ſunt, e. g. dum *eſſentiam* cum *perſona* idem omnino cenſemus: & ſicut

 eſſentia

eſſentia rei eiusdem ne formaliter quidem cum fundamento in re diſtingui & multiplicari abſolute poteſt, ita nec perſonalitates reipſa multiplices in re una eademque eſſe poſſe, pro certo habemus. Inde eſt, quod Myſterium SS. Trinitatis repugnare, aut certe comprehendi non poſſe videatur. Pari modo Incarnatio DEI impoſſibilis apparet incompleta *unionis* & *compoſiti phyſici* idea laborantibus &c. &c.

* * Origo omnium difficultatum, in ipſa finitudine & eſſentiali imperfectione omnium mentis facultatum noſtrarum reipſa reponenda eſt, quæ capaces non ſunt ad totam cuiuscunque obiecti cognoſcibilitatem exhauriendam; indeque, quidquid ultra id nobis aſſeritur, quod ipſi omni diligentia in ſcrutandis rebus adhibita cognoſcimus, quomodo, & cur verum ſit, capere non poſſumus.

§. 79.

I. *Niſi quis exiſtimet, ſe omnia comprehendere,* quæcunque vera ſunt; i. e. de rebus omnibus diſtinctas iuxta ac completas, imo adæquatas ideas habere; *ſine ingenti ſtultitia hoc ſolo nomine dogmata, ſufficiente auctoritate conteſtata, pro falſis repudiare non poteſt, eo quod ipſe eadem non capiat.* Quod ipſum cum nemo prudens de ſe opinari poſſit; utpote quod finiti intellectus modum omnem excedat: *evidens eſt, non niſi ſtulte repudiari veritates* ſufficiente, i. e. *divina, auctoritate conteſtatas ideo præciſe, quod homo easdem capere non poſſit.*

* Cæcum tibi a primo ortu hominem finge, qui ideas plani & ſphæræ tactu, quo apprime pollet, probe exploratas habeat, noveritque, eas *ideas tactiles* plane ita ſibi mutuo repugnare, ut coniungi in una re ſine contradictione nequeant. Huic, ita limitatos ultra communem modum ſenſus habenti, ſiquis oculatus affirmet, alium ſibi ſen-

ſum

Digitized by Google

ſum longe acutiorem tactu, oculos nempe, competere, iſtumque ſenſum pari prorſus modo a plana quadam tabula, in qua ſecundum perſpectivæ artis regulas globus depictus ſit, atque a ſphæra affici, communemque, imo eandem prorſus illi plano atque ſphæræ *ideam viſualem* reſpondere: quid pronius, quam ut oculis orbatus ille ac miſer capere iſtius aſſerti reipſa veriſſimi veritatem nullo pacto poſſit. Nempe uti *tactilem ideam,* quæ plano & ſphæræ iuxta communis ſit, repugnare exploratum ipſi eſt, ſic & *viſualis idea,* utrique communis, repugnare illi prorſus itidem videbitur? Pone tamen, illi conſtare evidenter, tibi talia aſſerenti ſenſum longe excellentiorem, quo ille careat, reipſa competere, ſimulque te ſumme veracem eſſe in affirmanda quavis re: an adhuc abſque inſigni ſtultitiæ nota dubitare de dictorum tuorum veritate vel cæcus poterit? Ecce! ut ad apparentes ſolum evidentias diſſipandas quæ divinarum revelationum quarumcunque fidei adverſantur, hæc duo apprime valent, ſcire videlicet, & ſe cæcum eſſe (id eſt, in incompletis ideis, ac ſecundum unam tantum, non ſecundum omnem rationem cognoſcibilem, res quasque intueri) & DEUM perfectiſſime omnia videre, nec ſimul loquendo falli eundem poſſe.

§. 80.

DEUS nullo pacto nobis revelare poteſt veritatem, quæ vere repugnet alicui principio lumine naturæ vere evidenti ac demonſtrato. Dem. Cum enim vere oppoſita & ſibi contradicentia nunquam ſimul vera eſſe poſſint: aut DEUS falleret revelando, aut naturæ lumen evidentiam vere & ſecundum omnes rationes ſufficientes proponendo, e. g. hanc, bis duo ſunt quatuor. Atqui hoc atque illud iuxta impoſſibile eſt. Æque enim fieri nequit, ut DEUS omniſcius non omnem rationem ſufficientem cuiuscunque veritatis perſpectam habeat,

 atque

atque ut in homine rationum vere ſufficientium veritatis alicuius reipſa detur intuitus (id quod ad veram evidentiam requiri docet Logica) quin tamen is veritatem reipſa cognoſcat. Ergo DEUS nullo pacto &c. &c.

* Pridem exploſa eſt illa Petri Pomponatii, Mantuæ circa an. 1462. nati, ſententia, qui Patavii primum, deinde Bononiæ docens, aſſeruit, plura etiam religionis chriſtianæ myſteria contra rationem naturalem pugnare; poſſe vero aliquid verum eſſe philoſophis, quod falſum ſit Chriſtianis, vel contra. Negans itaque mentis humanæ ſpiritualitatem & immortalitatem, mundumque eſſe æternum affirmans, cum Atheiſmi palam accuſaretur, eo uno ſeſe excuſabat, ex Philoſophiæ principiis ratiocinari ſe, non ex principiis religionis Chriſtianæ, idemque a Chriſtiano ut verum aſſeri debere ob revelationis divinæ auctoritatem, quod negandum Philoſopho philoſophicæ demonſtrationes perſuaderent. Similem ferme excuſationem repoſuere Carteſius, & Henricus Regius, cum multa in rebus philoſophicis ſtatuiſſe arguerentur, quæ cum dogmatis Chriſtianæ fidei pugnarent; ſcilicet de rebus naturalibus ut Philoſophos, ſe ex ſolius ductu naturæ luminis locutos eſſe, non ut Chriſtianos ex lumine fidei divinitus accepto. Vide Tournelyum Tom. I. Curſus Theol. edit. Venet. 1755. diſput. prævia quæſt. 1. art, 4. pag. 12. Pomponatii opinionem pluribus poſt Benedictum Spinozam confirmare nititur Petrus Baile (quem vide in Diction. hiſtor. & critico, articulo *Pomponatius*) aſt ea mente, ut myſteria fidei, ſicut rationi adverſa, ita tanquam falſa, & commentitia reiiciant. Damnata eſt ea Pomponatii opinio anno 1513. in Concilio Lateranenſi V. ſub Leone Papa X. Seſſ. 8.

** At nempe & doctis utcunque hominibus ſæpe numero evidentia mere apparens & exiſtimata pro vera ſub-

ſubrepit: ſicuti indocti plurima vix ſatis probabilia pro certis habent.

§. 81.

Si DEUS nobis veritates utcunque captu difficiles, imo etiam in ſpeciem cum principiis lumine naturæ evidentibus pugnantes, revelet; modo de revelatione facta morali cum certitudine conſtet, nec evidente demonſtratione ſimpliciter falſam eſſe probare poſſimus; nunquam non ſubiicere eius auctoritati imbecillem intellectum noſtrum, fidemque habere indubitatum prorſus tenemur; ſeu Philoſophi eruditione omni inſtructiſſimi, ſeu pingui ſolum minerva homines ſimus. Dem. Eſt enim ex primis veritatibus lumine ipſo naturæ demonſtratis una hæc, DEUM abſolute falli non poſſe, & intellectum errori prorſus ex omni parte obnoxium, ſummæ illi & illimitatæ intelligentiæ ſubiici debere in omnibus, in quibus ſubiectio quædam locum habet, ſeu poſſibilis eſt. Atqui omnis intellectus humanus, quoties vera & plena demonſtrationis evidentia non dirigitur, errori obnoxius eſt, ſimulque ſubiectionis erga divinam auctoritatem capax, ſi de huius teſtimonio ipſi ſufficienter conſtet. Sufficit vero ad hoc omnino ea certitudo de DEI revelatione, qua ſtante prudenter dubitare de illa nequit, i. e. moralis; parique modo ſe hac in parte habent doctus philoſophus, & ruſticus ignorans; modo neutri prudens dubium de revelatione ſuppetat. Ergo ſi DEUS nobis &c. &c.

* Extra caſum itaque, quo vere demonſtrare cum omni evidentia Theiſta poſſit, falſum eſſe, quod Chriſtus revelavit, non poteſt is ſine ſtoliditate negare ullum dogma ab eo revelatum, utcunque id captu ipſi difficile videatur: modo cum morali certitudine ipſi probetur, DEUM

in Chriſto eſſe locutum. Atqui, hunc caſum nuſpiam in illo Chriſtiano dogmate habere locum, demonſtrandi officium nobis incumbere & libenter fatemur, & volentes ſeq. cap. exequemur. Nugatur itaque D. Rouſſeau toto illo dialogo ſuo, quo hominem divinitus inſpiratum cum Philoſopho committit (Emil. pag. 85.). Supponit enim, non demonſtrat, pugnantia ſecum ipſis a Chriſto Domino uſpiam doceri.

* * Id Theiſtæ non denegabo, licere ipſi, ut poſt primo ſe offerentem revelatæ veritatis arduitatem inquirat, tum quis verus revelationis iſtius ſenſus reipſa ſit, tum an prorſus certa ſit ipſa revelatio. At poſtquam penſatis momentis omnibus de utroque ipſi iam ſatis conſtat; quamcunque difficilis intellectu veritas iſtiusmodi videatur, ſic ratiocinari ſecum ipſe tenebitur: nulla veræ demonſtrationis vis, vinciens reipſa intellectum, mihi in præſens obſtat; quo minus huic a DEO certo revelatæ adſtipuler veritati utcunque porro illa mihi videatur ardua intellectu, nihil iſtud quidem ſeu veracitati ipſius DEI præiudicat, ſeu morali certitudini de exiſtentia revelationis: cum, niſi ſtolide ſuperbiam, ultro utique fateri cogar, plurima eſſe reapſe vera, quorum capere nihil ego omnino queam, imo falſa plurima veriſimiliora veris mihi in dies videri. Quidni ergo regulæ infallibili (DEI nempe teſtimonio) ſatis cognitæ me conformem? Plane, quam certum eſt mihi, locutum eſſe DEUM, tam certum quoque eſt, me auctoritatem DEI graviter contemnere; ſi hoc ſolo nomine non credam, quod ipſe non intelligam. Hem tibi ipſiſſimum cæci noſtri (§. 79. not.) ratiocinium: quod ego captus oculis non videam, nihil plane obſtat, quo minus idem illi videant, qui oculis apprime valent; etſi ne mente quidem concipere valeam, qui videri hoc ab illis queat. Ergo cum certum mihi ſit, illos oculis valere, idemque ipſos teſtari, quin decipere me velint; ſane imprudens ſum, ſi credere detrectem, ita eſſe, quod videre illi

illi ſe oculis tam graphice affirmant. Sed iam rurſus Theiſtæ obiectanti varia his dictis argumenta aures ſedulo præbeamus.

§. 82.

Obiicit ergo Theiſta 1mo. DEUS eſt ipſe auctor luminis naturæ ac rationis noſtræ: ergo is revelare non poteſt, quod ei adverſatur; ſecus ſibi ipſe contradiceret. *Reſp. diſt, antec.* DEUS eſt auctor facultatis ipſius naturalis intellectus; *omnino:* eſt auctor etiam omnis illius uſus iuxta ac naturalis defectus; *nequaquam. Diſtinguo* etiam *conſeq.* ergo nihil is revelare poteſt, quod recto eius uſui reipſa adverſetur; *ita plane;* nihil quoque, quod omnem eius facultatem tuendi ſuperet; nihil, quod eius abuſui, vel errori, etſi is maxime pro pero habeatur, contrarium ſit; *iſtuc minime vero.* Itaque DEUS quidem ipſe lumen rationis creando contulit nobis; aſt uſum liberum fecit, ſic ut recte, aut male, uti eo poſſimus. Quis enim tam vanus, ut, falli ſe poſſe ratiocinando, inficias iverit? Limites præterea, quos ipſe neceſſario ſecum humanæ ſcientiæ modulus fert, divinum Numen nos creando haud ſuſtulit. Itaque & veritates multæ ſuperſint neceſſe eſt, ad quas naturæ lumen haud plane pertingit; & ipſo illius abuſu peccare profecto ita poſſumus, ut ſæpenumero multa confundendo eadem certiſſime putemus, quæ multum reipſa inter ſe differunt. DEUS itaque aut veritates nobis plane incognitas revelando, aut diverſa eſſe docendo, quæ nos male confundimus, non ſibi ipſe contradicit, ſed aut ignorantiæ noſtræ ſuppetias venit, aut imbecillitati noſtri acuminis medetur. Nunquid enim & cæcus rationis lumen DEO habet acceptum? Nunquid vero idcirco is DEO huius auctori contradi-

cet, qui illum viſus expertem, quid oculus actu videat, etſi capere minime valentem, amanter edoceat?

§. 83.

Obicit 2do. Intellectus facultas neceſſitate ad evidentiæ aſſenſum trahitur; quin eidem reſiſtere poſſit. Ergo ſi veritas revelata cum evidenti lumine naturæ evidenter pugnare videtur; aſſenſus præſtari eidem non poteſt. Atqui DEUS impoſſibilia neutiquam iubet. Bella argutia! cuius *antecedenti* propoſitioni *diſtinctione reſpondeo:* intellectus neceſſitate ad aſſenſum trahitur ab evidentia reali, quæ vere eſt talis: hoc *aſſentior* quidem; at talis nunquam revelationi divinæ obſtabit: idem neceſſitate trahitur æque ab evidentia mere ideali, ſeu apparente, & exiſtimata; *iterum diſtinguo*, trahitur ad aſſenſum circa veritatem mere idealem, *conc.* circa ipſam veritatem realem, *nego* rotunde. Res tota ex *evidentiæ* & veritatis utriusque accurata definitione, & non nullis exemplis, planiſſime patebit. Prius autem declarandum eſt diſcrimen inter veritatem realem & idealem. *Veritas realis* eſt ipſa veritas logica actus, ſeu conformitas iudicii cum aliquo obiecto reali poſſibili, vel exiſtente, quæ tribus abſolvitur, nempe iudicio ipſo, obiecto, & utriusque ſimilitudine, iudicii quidem in repræſentando, obiecti vero in modo eſſendi, uti loquuntur, vel exiſtendi. *Veritas idealis* contra eſt ſola convenientia ideæ prædicati cum idea ſubiecti in affirmativis, & diſcrepantia in negativis iudiciis, ſeu ideis iſtis reſpondeat, ſeu non reſpondeat obiectum reale poſſibile, vel exiſtens, ſeu ipſæ etiam obiecto ſuo reſpondeant ideæ, cui ſupponuntur, ſeu non reſpondeant. Iam porro alia quoque eſt evidentia realis, alia

alia idealis tantum. *Evidentia realis* eſt intuitus mentis in omnes rationes ſufficientes (ſeu criteria ſufficientia) veritatis realis ſuorum iudiciorum, i. e. talis intuitus, quo mens non ſolum intuetur convenientiam, vel diſcrepantiam, idearum ſubiecti & prædicati, ſed etiam realitatem ideæ ſaltem ſubiecti, vi cuius videlicet ei reſpondeat obiectum poſſibile; item quod ſint ambæ ideæ ſatis claræ, diſtinctæ, & completæ &c. &c. Niſi enim conſtet, *ideam ſubiecti eſſe completam*, etſi ab illa diſcrepet notis aliquot idea prædicati, inferri iſtius cum illa repugnantia non poterit; cum eædem notæ, etſi propter obſcuritatem minime notentur, in idea tamen ſubiecti obſcure reipſa ineſſe, vel certe in eius obiecto, poſſint. *Niſi completa ſit idea prædicati:* etſi cum idea ſubiecti conveniat, convenientia tamen etiam obiecti illius cum obiecto iſtius inferri non poterit; cum in obiecto prædicati notæ ineſſe queant ab idea eiusdem non diſtincte repræſentatæ, quarum cauſſa idem obiecto ſubiecti reipſa repugnet. *Evidentia idealis* ex adverſo eſt ſolus intuitus ſufficientis convenientiæ in affirmativis, & diſcrepantiæ in negativis iudiciis inter ideas ſubiecti & prædicati, prout hæ ſunt actu in mente expreſſæ; quin detur etiam intuitus ſufficientium criteriorum veritatis realis: id quod tum e. g. contingit, cum idea ſubiecti deceptrix eſt, quin eius impoſſibilitas advertatur. Iam ex intuitu evidente utriusque iſtius veritatis realis, & idealis, naſcitur quidem neceſſitas quædam aſſenſus; cum viſa ratione ſufficiente cuiusque veritatis, utique veritas ipſa non videri non poſſit: at videlicet ex intuitu veritatis ſolum idealis ſolum neceſſitas quædam exiſtit ad aſſenſum de *ideali* iudiciorum noſtrorum veritate præſtandum, nullo modo item de veritate eorundem *reali:* hæc quippe ſalva illa,

uti

uti poteſt non dari, ita & credi, imo & ſciri poteſt, quod minime detur. Porro evidentia illa mere idealis ſine reali oritur ſæpiſſime in iis, qui aut incompletas, aut ſolum confuſas de quibusque rebus ideas mente temere conceptas circumferunt. Sic auri incompleta idea præditus, videns aurichalcum, evidenter id aurum eſſe ſerio credet, dicetque cum evidentia reipſa ideali: *hoc, quod video, eſt aurum.* Similiter quoque antiquioris ævi Philoſophus, confuſa non niſi colorum idea inſtructus, evidenter falſum putabit, *virorem ex cæruleo & flavo conſtare.* Quæro: an uterque horum hiſce evidentiis apparentibus ad aſſenſum etiam de reali veritate ſuorum iudiciorum propterea neceſſitate aliqua fertur? Minime ſane gentium. Experiere iſtuc facile ipſus, ſi demonſtrationem petas ab eis, qua primus probet, *aurichalcum,* quod videt, reipſa aurum eſſe, alter, *virorem* ex flavo & cæruleo reipſa conflari non poſſe. Mox enim in obſcuro palpitari advertes, & cum a definitione *auri* ille, alter a definitione *coloris viridis*, exordiri deberent, in primo iam ingreſſu eis hærere aquam videbis. Facilitas ergo illa aſſenſus de ipſa *reali* veritate iudiciorum in utroque nequaquam ab ulla neceſſitate, ſed præciſe a præcipiti impetu iudicandi exoritur: cui, quis prudens credat, reſiſti non poſſe; quamprimum vir ſcientiæ phyſicæ & ſinceritatis fama clarus affirmate opponat, aurum, quod a parte rei exiſtit, compluribus ab aurichalco notis differre; ex flavo autem & cæruleo colore viridem componi omnino poſſe. Paria porro ſemper eveniunt, quoties revelatio quædam divina cum veritate evidente pugnare nobis videtur. Revelet e. g. DEUS, *tres dari in una Deitatis eſſentia perſonas.* Iam tu mox ſecundum ideas, quas de *perſona*, & *eſſentia*, ſeu *re*, tua in mente effictas

effictas poſſides, tecum ſtatues, *tres perſonas fore tres res in una re*, evidentiamque ipſam a te ſtare prorſus putabis. At num vere neceſſitas aliqua eſt, quæ ſic pro *reali* etiam veritate iſtius iudicii concludere te cogat omnino? Aut an plus quam *idealis* hæc revera evidentia eſt? Experire iſtud mox, ſi demonſtrationem moliri incipias theſis iſtius: *perſonalitas eſt idem ac res*, ſive, *perſonarum diſtinctio rerum diſtinctio eſt.* Non vivam, niſi aqua tibi undique hæreat. Unde ergo proclivitas illa realem ipſam evidentiam tam liberaliter iactantis? Ex eo haud dubie, quod perſonæ propria & diſtincta idea deſtitutus, communem *rei* vel *eſſentiæ* ideam illi mente ſubſtituas, etſi prorſus demonſtrare non poſſis, genuinam eſſe, quam tu mente præconceperas *perſonæ* ideam, atque in rebus ipſis (non in tuis ſolum ideis) *unum plane eſſe rem & perſonalitatem.* Aut edic: cur una eſt in homine perſona; cum tamen duæ ſint res, corpus & mens, & in corpore tot res, quot diſtincta elementa? Quod ergo concipere non poſſis, iuſtarum nempe idearum realium defectu, quomodo differat perſona a re ſive eſſentia; an ideo iam cogi te dices, ut *reali* cum evidentia credas, unum eſſe ambo ac idem? Ergo (NB.) & cæcus recte cogi ſe dicet, ut, *communem eſſe poſſe ſphæræ & plani viſualem ideam*, neget, ac perneget. Vide ſis autem, an recte is quidem. Similem iu modum clarus ille noſtræ ætatis Theiſta, Iean Iacque Rouſſeau, cum ideali evidentia ſcilicet, infert: ſi Chriſtus in Cœna cum Apoſtolis, uti SS. Patres quidem volunt, & ipſe conſecratam ab ſe hoſtiam acceperit, futurum, *ut* os Chriſti maius toto corpore, i. e. *pars maior toto fuerit*, quod evidenter falſum. Putas autem, neceſſitate actum hominem, ut falſum reipſa ſequi ex dicta hypotheſi, inferret? Experiamur

riamur ſane. Evidens revera homini erat, *totum phyſicum parte ſua phyſica magnitudine reali haud minus eſſe poſſe.* At non de magnitudine reali comparanda iſthic agitur, ſed de extenſionis localis ſolum magnitudine. An vero & hoc eſſe evidens tenebit, *partem phyſicam toto phyſico maiorem extenſionem localem haud habere poſſe?* Dicet hoc ſane: ſed ſi demonſtrare debeat, ita me ſuperi ament, hærebit & ipſi vox, & ſenſa deficient. Aut num unciam aëris præ libra alterius aëris valde compreſſi maiorem habere extenſionem poſſe negabit? Atqui de iſtiusmodi extenſione ſolum agebatur, ut ne paradoxum quid, ut ipſi videbatur, ex eo Chriſti facto recte inferri poſſet. Ille vero bonus vir ſuis, quas de extenſione in mente coram habebat, ideis, harumque veritati ideali, præciſe intentus, falſitatem realem ex illis ſe recte inferre, ſecurus ſtatuebat. Hem itaque, ut facile exiſtimatis evidentiis decipiamur quidem, ſed ſponte tamen, & omni abſque neceſſitate, quin ita ſaltem ſuſpendere aſſenſum ullo uſquam prohibeamur pacto; ut ne ultra veritatem idealem, nec ad ipſam veritatem realem, mox ſine ullo criterio concludamus. Nihil ergo impoſſibile iubebit DEUS, ſi ſtante ſpuria id genus evidentia præbere aſſenſum contrariæ ſuæ revelationi de veritate quadam reali imperabit: modo ne de uno hoc principio, mille experientiis intimis cuique notiſſimo, dubitemus, videlicet, pleraſque omnes ideas noſtras prorſus incompletas & confuſas eſſe, nec uſquam fere rebus ex æquo reſpondere. At nempe iſtuc ipſum inviſum hominibus ſui plus nimio amantibus eſt; qui ita ſuas paſſim ideas adamant, ut omnia cogitata ſua pro veritatibus ſummis realibus haberi velint: etſi vix prudentis ſomnii aut commenti nomen mereantur.

§. 84.

§. 84.

Obiicit 3tio. DEUS, qui lux eſt ipſiſſima, tenebrarum eſſe amator non poteſt, nec adeo auctor tam obſcuræ revelationis; in qua nihil uſquam comprehendas. *Deinde* quorſum obſcura revelatio ſerviet, quæ reipſa nihil revelet? cui etiamſi aſſentiaris, reipſa nihil affirmas. *Demum* ad quid inutilis ſpeculatio ſpectet? quæ inde ad praxin, quam unam religio fovet, quæ ad bonos mores utilitas? Quid opus eſt Myſteriorum nimis quam obſcurorum revelatione & obligatione credendi tam difficili impoſita, novum innocentiæ humanæ & fidelitati laqueum parare? Ita non tam bonis moribus ſtudioſe intendens, quam ſuarum amans & tenax idearum Theiſta argutatur. Verum *ad primam argumenti partem*, DEUM ipſam eſſe lucem quoad ſe, nec uſpiam tenebras in ſua ſcientia admittere, facile *concedam:* attamen *nego*, clariſſime idcirco veritates quasque nobis illum revelare, debere; quippe quod nec univerſe fieri abſolute poſſe, nec vero etiam conditionem noſtram præſentem decere, multo certiſſimum eſt. Fieri, inquam, id univerſe non poteſt; quia ipſa curta illa intellectus noſtri ſphæra nec ſummæ claritatis, nec omnimodæ ſcientiæ omnium arcanorum Deitatis eſt capax. Sed idem ne decet quidem omnino hunc vitæ noſtræ præſentem ſtatum; in quo mereri ſummum cœleſtis gloriæ lumen illud modeſta intellectus noſtri erga divinam auctoritatem ſubmiſſione primum debemus. Certe ſi vis argumento ineſſet, ne luminis quidem eius naturalis DEUS eſſe auctor poſſet; quo DEUM exiſtere vulgo cognoſcimus. Quam enim multa in eo cimeriis tenebris obvoluta! quam ægre attributorum DEI inter ſe conſonantiam capimus! an recte ſecundum te idcirco Atheus argueret, a DEO, qui lux ipſa eſſe deberet, tam obſcurum

ſcurum proficiſci lumen non poſſe? Quod ad *alteram obiectionis partem;* falſum eſt, obſcuram revelationem nihil omnino revelare; falſum, aſſenſu eidem licet præſtito nihil a nobis tamen reipſa affirmari. Namque etſi: *cur* aut *quomodo* res ita ſit, DEUS minime revelet; ſatis tamen eſt, *quod* res ita ſit, vel *quod* non ita ſit, nos ab eo doceri; non quidem ut *ſcientiam* inde rei capiamus diſtinctam & abſolutam; attamen ut, rem ita ſe habere, certiſſime & ſine erroris periculo *credamus.* Nunquid enim multo plura ſcimus, *quod* ſint; quin, eadem *cur* ita ſint, rite ſciamus. An, ſi tibi Urbem, Romam exiſtere, valdeque ſpatioſam eſſe, affirmem, nihil affirmo? Aut num tu facta omnia, quæ in hiſtoriis narrantur, tibi demonſtrari voles, cur, & quomodo fieri potuerint; priusquam fidem adhibeas? Quam illum hominem a bona deſtitutum eſſe Logica oportet, qui talia obiicere non dubitet! Sed nec minus falſitate *argumenti pars tertia* laborat. An enim tu altiorem de DEO, de eius operibus, de eiusdem in nos gratuito amore, de maximis beneficiis aut iam præſtitis, aut præſtandis deinceps, notitiam ad praxin plane eſſe inutilem exiſtimas? An non liberum DEO erit altioris iſtud genus obſequii a rationalibus ſuis exigere creaturis, quod multo altioris etiam ipſis prœmii & beatitatis origo futurum eſt? Nonne ipſa *fides* magna demiſſione animi & proprii iudicii ſubiectione præſtita, genus cultus eſt divini, uti novum, ita excellens prorſus, nec ulli alteri enti tam univerſe, tam integre, quam DEO ſoli debitum, & conveniens? Nonne eius exercitio nobiliſſima hominis pars, intellectus videlicet, cum ingenti quodam merito divini Numinis veracitati venerandæ conſecratur? Nonne ex fide tam eximiorum DEI in nos beneficiorum iuxta, ac promiſſorum, excellentioris item

&

& *ſpei*, & *amoris*, in DEUM virtus naſcitur, nullum in ſtatu religionis mere naturalis locum partemque habitura? Nonne eædem virtutes iſtæ vi pollent prorſus mirifica ſuo influxu omnes virtutes alias nobilitandi, puta caritatem in ceteros homines, a DEO tam ſingularem in modum nobiscum dilectos, iuſtitiam, temperantiam, ceterasque omnes ex motivo caritatis erga DEUM longe altioris colendas &c. &c. Taceo uſus alios, quos revelatio mediorum præſtat, quibus noxarum veniam gratuito favore nobis remitti, auxilia varia conferri, meritorum noſtrorum ceteroquin valde tenuium vim eo uſque elevari diſcimus, ut non temporalem ſolum ſed æternum, non naturæ noſtræ debitum, ſed altius quoddam ſupernaturalis beatitudinis, præmium liceat a DEI gratuita liberalitate expectare. Ceterum ut fides illa & maior fructus divinæ gloriæ & humani meriti locum habeant, tam nobis revelari Myſteria noſtro captu altiora, quam non omnino pandi cum omni ſua luce, opus erit. Non iſta obſcuritas, ſed ſola mentis arrogantia, in laqueum nobis cedet; modo dogmatum obſcuritas ſufficiente revelationis certitudine compenſetur.

§. 85.

Pergit Theiſta 4to. paulo ſubtilius ſic *argutari*. Id ſaltem omnino dabis mihi, quod evidens repugnantia dogmatis, quod proponitur credendum, prætenſam revelationis evidentiam evertat. Quo iure ergo a me exigis, ut dogmati revelato adſtipuler, quod evidenter repugnare mihi videtur? An non iuxta errare poſſum in evidentia morali revelationis agnoſcenda, quam in detegenda evidenti dogmatis repugnantia, quod cum morali evidentia ut revelatum divinitus proponitur? *Reſp.*

Digitized by Google

Fruſtra nodum in ſcirpo quæris. Si uſquam in dogmate quodam revelato vera evidensque repugnantia obſtaret: recte utique ad examinandam revelationis exiſtentiam animum transferre poſſes. At erras magnopere, ſi quamvis obſcuritatem, quæ ex ſola incomprehenſibilitate Myſterii naſcitur, continuo evidentem repugnantiam dicas.

* *Quærit* demum Theiſta. An non ſaltem examinare dogmata licebit mihi Philoſopho, priusquam revelationi aſſentiar? Et ſi repugnare poſt examen ſedulum videantur; an tamen credere tenebor? *Reſponſionis* loco ſervient regulæ ſequentes, quæ Corollariorum inſtar ex dictis huc uſque fluunt.

§. 86.

I. *Omnino fas eſt, imo oportet etiam, ut in obiectis credendis, quæ humana ratione ſunt altiora, nec niſi revelatione divina diſci poſſunt, diligens quisque ſuſcipiat examen; an revelatio divina ſatis ſit conteſtata, & num eius exiſtentiæ certitudo illum moralis evidentiæ attingat gradum, qui rectæ mentis ac ſapientis hominis aſſenſum omnino exigat.* Neque enim, quamdiu prudens de hoc dubitandi ſupereſt ratio, aſſenſus ipſe firmus ille & abſolutus cadere in virum prudentem poteſt.

§. 87.

II. *Ubi de revelationis divinæ exiſtentia ſemel quisque ſatis certus eſt, nullo examine ipſius dogmatis de ſe obſcuri opus eſt, ut prudenter quis eidem aſſentiatur ob divinam revelationem.* Dem. Quodſi enim revelationis divinæ exiſtentia ſupremum moralis evidentiæ gradum ex hypotheſi attingat; hoc ipſo divinitatis eiusmodi in ſe characterem impreſſum habet, qui ab obiecto ſic revelato, non quidem omnes

omnes umbras, & ſpeciem, attamen certiſſime ſubſtantiam, & evidentiam, contradictionis excludat. Sufficit itaque ad eximendos prudentes quosque ab hoc onere examinis ipſa tot ſapientum primi nominis inde à tot ſeculis multitudo, qui eidem dogmati ut divinitus revelato, huc uſque citra ullam repugnantiæ latentis metum firmiſſime ſunt adſtipulati. Quoniam credibile nullo pacto eſt, evidentem contradictionem, ſi forte ſubeſſet, omnium illorum oculos ſubterfugere potuiſſe.

* *Neque dicas:* fieri ſæpe, ut paradoxa vel maxime inveriſimilia, præſertim iam ſemel auctoritate aliqua conſecrata, ſpeciem myſterii inſcrutabilis in mentibus ſuperſtitioſis & timidis aſſumant; de cuius veritate ne dubium quidem ſibi unquam permiſſum eſſe exiſtimant. *Reſp.* Talis obiectio primi nominis viris & athletis facta, quos Chriſtiana religio ſuos inter diſcipulos numerat, nimiam profecto præſumtionem & licentiam ſonat. Aperiat modo temerarius eiusmodi cenſor ſimplicitatis Chriſtianæ oculos; & experietur, quam caute ac prudenter ſummi religionis noſtræ heroes, poſt omnem reverentiam certis & diſtinctis fidei articulis habitam, ab iſtorum ſumma excludant multa obiecta particularia, etſi voce tenus in ſacris Scripturis contenta; eo quod evidentem in eis contradictionem intellectus detegat. Id genus obiecta ſunt, cum e. g. Scripturæ videntur DEO vero membra humani corporis, affectusque humanos doloris, iræ, vel pœnitentiæ attribuere. Num enim idcirco quisquam vel rudiſſimus fidelium eſt, qui DEUM eſſe merum puriſſimumque ſpiritum non credat, nulliusque imbecillitatis nobis propriæ capacem? In omnibus ſimilibus caſibus, in quibus apertæ id genus repugnantiæ, & cum evidenti rationis lumine manifeſto pugnantes contradictiones, occurrunt, nunquam non ipſa verba revelationis, quibus illa concepta eſt, & auctoritas ad eam interpretandam ſtabilita, argumentum

iuxta atque certas regulas ſufficiunt dogmatis propoſiti tenorem rationabili explicatione definiendi.

§. 88.

III. *Nihilominus vetitum non eſt homini docto ſobrium examen ipſius dogmatis revelati: attamen duas ſervari in hoc examine conditiones oportet, ut plane innoxium ſit; nimirum* 1mo. *ut ulterius ſe non extendat illius prætenſio, quam ut detegatur, quod nulla certa & evidenter demonſtrabilis contradictio inter dogma revelatum, & veritatem lumine naturæ evidentem, intercedat: minime vero id expetendum eſt, ut omni ex ipſo dogmate ſublata obſcuritate, omnis eius ratio ſufficiens, poſſibilitas, & exiſtendi modus, ad fundum quaſi intime introſpicienda offerantur.* 2do. *Ut pia ſimul animi præparatio, ac devotæ mentis ſtudium, cum plena cordis rectitudine ſemper conſervetur, qua paratus omnino ſit, pleno aſſenſu intellectum proprium atteſtanti DEO ſubiicere, quamprimum omnem contradictionem manifeſtam abeſſe intellexerit; quamcunque cetera obſcurum & incomprehenſibile Myſterium revelatum ſibi videatur.*

* Harum duarum conditionum quæcunque in tali examine deſideretur, præſumtionis gravi culpa id carere nullo pacto poteſt: Cum enim DEUS quid revelat, una ſimul & *poſſibile* eſſe, & actu *exiſtere* revelationis ſuæ obiectum affirmat. Iam ſicuti ad hoc, ut DEO *exiſtentiam* obiecti revelanti aſſentiri teneamur, neceſſe nequaquam eſt, ut certi aliunde poſitivis, ut vocamus, argumentis a DEI revelatione diſtinctis, de *exiſtentia* iſta anticipato ſimus: ita nullo item pacto neceſſe eſt, nos anticipato abſolutis ex rationibus ſufficientibus intelligere, & demonſtrare *poſſibilitatem* Myſterii revelati poſſe, ut credere idem teneamur; ſed ſufficit, non poſſe nos demonſtrare evidenter, id abſolute *impoſſibile* eſſe. Cum enim revelationis

certi-

certitudo aliquando gradum evidentiæ ſufficientem attigit, ſana ipſa ratio dictat, DEI teſtimonio iam nihil amplius præter evidentem contradictionem opponi poſſe; quo minus ad aſſenſum eidem præſtandum continuo obligemur. Eſto itaque, Philoſopho ius ratiocinii iſtiusmodi transmittamus: *Evidens eſt, obiectum, quod credendum mihi proponitur, manifeſta contradictione laborare: non itaque vere a DEO revelatum eſſe poteſt:* imo fidenter concedamus, ſuppoſita antecedentis propoſitionis veritate, tali caſu ad examen ipſius ſactæ revelationis omnino redeundum eſſe, & ſecundum regulas, ab ipſo DEO ſtabilitas, illius explicationem exquirendam; quæ deeſſe nunquam poterit, ſi vere DEUS fidei aſſenſum circa tale obiectum, ceu ſalutis medium, a nobis abſolute poſtulet. Aſt hoc ratiocinium tolerari perinde poſſe, prorſus inficias imus: *Non intelligo dogma, quod a DEO revelatum eſſe certis & evidentibus indiciis probatur; nec qua ratione id poſſibile ſit, percipio; quin obſcuritas illius omni adhibita ingenii acie illuſtrari a me huc uſque nullo pacto potuit: ergo revelatum non eſt, nec id ego credere hoc ipſo teneor.* Altera hæc illatio temeraria, falſa, religioni omni erga DEUM inimica, & ipſi ſanæ rationi e diametro adverſa eſt: cum nihil evidentius eſſe queat, quam finitum intellectum capere haud poſſe omnia, & cedere intellectui infinito, omniſcio, & ſumme veraci, omni tempore debere. Atque hæc de prima conditione. Alteram quod ſpectat, experimento compertum, atque etiam per ſe certiſſimum eſt, nihil magis revelationis evidentiæ pernoſcendæ, & ipſius dogmatis fidei (h. e. divinæ gratiæ, ſine qua nulla fides ſupernaturalis locum habere poteſt) obſtare, quam animum nequam, & ſuperba præſumtione plenum; qui irreverenti oculo religionis a DEO revelatæ Myſteria ſcrutatur, non ad vincendam, ſed potius augendam pertinacem propriæ rationis ſuæ adverſus eadem renitentiam & oppoſitionem. Meminerit ergo, quisquis ad examen eiusmodi ſe accingit,

ſe divinæ Maieſtati non niſi cum reverenti quodam horrore appropinquare debere; niſi opprimi ſe a gloria iſtius velit.

§. 89.

Qualiscunque tamen ſit religio illa ſupernaturalis, quæ dicatur a DEO eſſe revelata, primus tamen & præcipuus veritatis character erit, & eſſe debebit, quod nobis religionis naturalis capita prima & præcipua quam diſtincto modo revelet. Dem. Cum enim abſque certa & clara notitia de DEI providentia, de noſtra libertate, de mentis immortalitate, de præmiis bonorum & malorum pœnis, nulla religio ſtabilis, id eſt, nulla perfectorum officiorum (§. 23.) aut cognitio, aut conſtans executio, locum abſolute habeat: cum præterea religionis naturalis (ut ex iure Naturæ hic ſupponi poteſt) præcepta omnia neceſſaria ſint, liberum vero DEO iſtis addere ſupernaturalia: digna DEO non eſt religionis revelatio, quæ, maxime neceſſariis ad finem creationis noſtræ dogmatis neglectis, alia non neceſſaria, imo hoc ipſo inutilia, obtrudat.

CAPUT IV.

DEMONSTRATUR, QUOAD OPUS EST, POSSIBILITAS RELIGIONIS CHRISTIANÆ IN SPECIE, ET REVELATIONIS EIUSDEM A DEO.

Ut credibilis cuiusdam religionis in ſpecie facta a DEO revelatio evadat, ſequentes *characteres intrinſecos* habeat neceſſe eſt. 1mo. Neceſſitati primo omnium ſatisfacere illi debet, qua vulgo homines altiore DEI lumine in cognoſcenda ipſa religione naturali magnopere indigere cap. II. toto oſtendimus. Vide modo dicta §. 89. 2do. Quoad ea

ea item omnia, quæ religioni naturali ſuperaddit, digna DEI ſapientia, & ſanctitate, eſſe ex integro debet, atque ad ultimum maioris DEI gloriæ finem, unaque ad felicitatem hominis, tota collimare. 3tio. Denique non quidem poſſibilitatem eius religionis ullo pacto a priori demonſtrari poſſe ad hoc opus eſt (§. 88.): attamen illud oſtendi oportet, nulla eam in parte cum certis rationis naturalis principiis evidenter pugnare (§. 80.). Quinque ergo Articulis ſequentia explicabimus: I. Quis ortus atque indoles univerſe religionis Chriſtianæ. II. Quæ eius excellentia in religionis naturalis omnibus dogmatis clara in luce ponendis. III. Quænam illa religioni mere naturali ſuperaddat, quatenus ipſa eſt quoad ſubſtantiam ſupernaturalis. IV. Quam illa ſecundum iſthæc omnia digna ſit ſapientia, ſanctitate, & bonitate divina. V. Examine ſobrio præcipuorum eius dogmatum, nihil in his uſpiam cum certis naturalium veritatum principiis pugnare, oſtendimus. Atque hoc præciſe, non alio, ſenſu demonſtrari a nobis Chriſtianæ religionis poſſibilitatem profitemur.

ARTICULUS I.

ORTUS ATQUE INDOLES RELIGIONIS CHRISTIANÆ UNIVERSE OB OCULOS PONITUR.

§. 90.

Revelatæ a DEO religionis exortus, ſi rem ex æquo metiri velis, ortu ipſius mundi minus eſſe antiquus non poteſt. Neceſſitas enim revelationis æque, imo magis etiam, primos homines, atque eorum poſteros premebat; cum iſti adminiculis

variis noſcendæ religionis naturalis, puta, ſenſu communi, humana inſtitutione, & exemplis, potiri ſaltem ex parte poſſent, quibus omnibus illi neceſſario caruere (§. 48). Et licet demus hoc, quidquid eſt, beneficii, DEUM non omnibus, neque adeo primis etiam mox hominibus abſolute debuiſſe; nihilominus congruum omnino ideæ bonitatis illius divinæ, quam omnes habemus, eſſe videtur, id ipſum omnibus liberaliter a mundi primordio obtuliſſe (§. 56. not.). Neque vero iuſtam quis de Chriſtiana religione ideam mente circumferret, qui non niſi in IESU Chriſti prædicatione primo exortam, nec ante cultam in orbe ab hominibus fuiſſe crederet. Minime id vero gentium. Communia illa cum orbe incunabula reipſa habet; ad omnes omnium ætatum iuxta ac regionum homines ex æquo pertinet; & communi omnium bono cum ipſo mundo condito a DEO revelari cæpta eſt. Quod ut eo accuratius, quomodo effectum reipſa fuerit, exponamus, iuvat paucis repetere principia, iam ſuperius quidem a nobis ſtabilita; ſed quæ familiaria nobis eſſe multum proderit ad univerſam Chriſtianæ religionis œconomiam probe dignoſcendam.

§. 91.

Enimvero mox atque ſub DEI nomine quis ſpiritum quemdam ſibi repræſentet æternum, infinitum, omnipotentem, in ſuis conſiliis ſumme ſapientem, & perfecte liberum in ſuis operationibus; qualem ſub iſthac voce veneratur omnis non Chriſtianus modo, ſed quisquis recte ratione utitur: profecto is facile intelliget, quod, cum creatio univerſi tam excellens ſit opus, ut requirat in DEO vires potentiæ omnino infinitas, eadem ſola ſapientiæ illius ſupremæ finis eſſe ultimus in hoc opere

pere non potuerit. Creando DEUS vocabat ea, quæ non erant, tanquam ea, quæ ſunt, & obtemperabat ei rerum omnis natura, antequam eſſent. Attamen digno fine careret tam illuſtris actio, niſi cum irrationalibus creaturis DEUS rationales ſimul creaſſet, quæ & ex tanto opere beneficium acciperent, & ex eo illius auctorem gloria coronarent. Res omnes inanimæ ac materiales, quæ de omnipotentis manu prodierant, paratæ erant ſua pulcritudine, ordine, ac ſapienti diſpoſitione illius magnitudinem & potentiam annuntiare. Sed, quœ illarum mutam hanc vocem exaudirent, atque intelligerent, quæ teſtimonio naturæ univerſæ ſubſcriberent, quæ illius elogiis libere applauderent, mentes ſpirituales & intellectu præditæ requirebantur. Poterat his atque illis ſuperſedere Numen ſe ipſo plene beatum. Attamen poſtquam ſemel utrasque liberrimo ſupremi arbitrii ſui conſilio creaverat; neceſſitas continuo naſcebatur, in natura DEI creatoris fundata, ut pro ſuo ambæ ingenio ad eius gloriam conferrent, atque etiam, quoad aliquarum capacitas ferebat, viciſſim de ſui conditoris beatitate participarent (§. 58.). Et vero uti gloriæ vere tali DEO reddendæ, ſic & felicitatis eius participandæ, ſolæ rationales creaturæ capaces erant: cum non niſi in clara ſummi illius boni notitia & amore utraque conſiſtat, (§. 5.). Interim cum maior utique minorve poſſet eſſe, tum DEI gloria ex ſuo opere referenda, tum felicitas inde a creaturis rationalibus participanda & utraque certos pateretur gradus: haud dubie penes ſolum DEUM erat utriusque modum ac certos fines pro libero arbitratu conſtituere. Neutiquam omnibus ad unum hominibus, actu etiam a ſe creatis, debuiſſe abſolute regularum earum actualem notitiam vi-

Digitized by Google

detur; cuius ope pervenire actu ipſi ſingillatim ad ultimum illum divini operis, ſeu creationis univerſi, finem valerent: cum, ne recte uſuros quidem in rem ſuam tanto beneficio multos, ab eo æterna ſcientia prævifum fuiſſe, ipſa triſtis experientia nos doceat (§. 59.). Sed neque ampliorem altioremve regularum illarum religionis notitiam ac facultatem vel uni creaturarum rationalium debebat divinum eius Numen, quam quæ naturæ iſtarum viribus per ſe congrueret; atque ſufficeret, tum ad gloriam illam reddendam conditori ſuo, quæ creationis præciſe beneficio & operi reſponderet, tum ad tantam beatitatem propriam promerendam, ad quantam attingere per meritum redditæ DEO fideliter id genus gloriæ valerent. Si ſolum conſulas naturæ lumen; ſane quam difficile eſt definire, quod æternam reddere illam & ſuam gloriam & hominum ſaltem aliquorum a ſe creatorum beatitudinem DEUS abſolute debuiſſet: cum ne communis quidem ſenſus hominum, qualis in præſens eſt, ultra quid nobis indat, quam in præſente æternorum DEI conſiliorum comparatione, immortalem quidem mentium humanarum vitam extituram; nemo vero, quod abſolute & citra liberum DEI conſilium talis in quovis alio rerum ſtatu eſſe debeat, facile audeat aſſerere. Ecce! quam multa ſint de præſente religionis ſtatu a DEO reipſa conſtituto capita, quæ aliter prorſus quam ipſiusmet Numinis revelatione diſcere nos homines non omnino poſſumus. Nulla hic ſubtilis rationis demonſtratio, nulla humana auctoritas, non ſenſus externus, vel internus, ullum habere locum poſſunt. Ipſe communis ille ſenſus, quoad de mentis noſtræ immortali in præſens vita nos ille edocet, dubites merito, an naturalis ac neceſſarius revera ſit; an vero ſolum revelationis

quod-

Digitized by Google

quoddam divinæ liberæ tacitum veſtigium, omnium mentibus aut divinitus ſingillatim impreſſum, aut ex revelationis, quæ ſolis primis hominibus, at univerſe tamen facta ſit, notitia generali quidam radius tenuis ſingulis tranſmiſſus.

§. 92.

At enim hic ſola Chriſtiana religio ignorationi noſtræ ſuppetias venit, admiranda prorſus in nos omnes divinæ largitatis, eaque prorſus gratuita, prodigia nos docens: nimirum 1mo DEUM primis mox hominibus, ac ceterorum omnium parentibus, ita præſentiæ ſuæ ac mutui commercii copiam feciſſe, ut inprimis ſe ipſum illis, ſuam de rebus noſtris omnibus providentiam, boni & mali rationes ſcitu neceſſarias, imo & libertatem cuivis homini ad bene vel male agendum conceſſam, ac demum præmia & ſupplicia æterna iſtius recto vel malo uſui a ſe conſtituta, verbo omnia, quæ vulgo ad naturalis religionis regulas ſaltem generales creduntur pertinere, clariſſime & diſtincte revelaret, ſicque iam religionem quoad modum ſupernaturalem conſtitueret (§. 67. not.). Sed enim hoc minimum erat eius in homines beneficiorum. 2do. Docet itaque porro religio Chriſtiana, hominem, qui creationis ſolius beneficio non erat niſi ſervus natura, & mancipium DEI, non potuiſſe modo elevari, ſed actu elevatum eſſe, gratuita quidem prorſus liberalitate eiusdem conditoris ſui, ad gradum ac dignitatem filii DEI adoptivi, neque iſtius nomen ſolum, ſed iura ipſa accepiſſe virtute ſanctificantis ipſum gratiæ & amicitiæ divinæ; quæ elevando ipſum longe ſupra naturæ conditionem, quin nova illi officiorum genera imponeret, aliam tamen prorſus eisdem eamque ſupernaturalem indolem tribueret, ac pretium

tium ſufficiens ad promerendum prœmium item ipſius novæ dignitati commenſuratum. Inſuper vero 3tio. docet illa, DEUM prodigio quodam ſua Maieſtate digno conſtituiſſe univerſos homines a ſe creandos præſervare a congenitis illis tot imbecillis, caducæ, & mortalis, naturæ ſuæ miſeriis & infirmitatibus, ac ſpeciali privilegio eos eximere a moleſtiis, morbis, & triſti illa moriendi neceſſitate; largiri eisdem imperium quoddam magis abſolutum ſupra res mundi iſtius univerſas, animantia præcipue; diſſipare tenebras innatæ ignorantiæ; illuſtrare intellectum puriſſimis luminibus; concupiſcentiæ naturalis inquietos ſtimulos ſedare; nobilitare denique libertatis ipſorum naturalis privilegium libero conceſſo affectionum animi omnium imperio, & ſumma ſupra omnes earum motus dominatione.

§. 93.

In hoc iam elevatæ conditionis humanæ ſtatu non ceſſabat homo eisdem officiis DEO, ſibimet ipſi, ac ceteris hominibus obſtringi: at eorum tamen principium ac finis multum differebant. Supremum DEI Numen ſemper veneratione, timore, & amore manebat digniſſimum. Homo illi maiore etiam nunc titulo mentis ſuæ homagium & obſequium debebat. Verum omnis iſte officiorum cultus iam filium inter & Patrem intercedebat: illius principium gratia adoptionis erat, finis autem hæreditas filiorum. Poterat DEUS creare hominem omnibus privilegiis iſtiusmodi expertem; quin religionis iuribus uſpiam aliquid decederet. Imperfectio enim vitæ ſtatus nihil habet, cui cum eorum officiorum praxi male conveniat, quæ omnis ſubſtantia rationalis, modo creata ſit, ac libertate polleat, creatori ſuo debet. Veri DEI, hoc

Digitized by Google

hoc eſt, ſpiritus infinite ſapientis, & a nullo dependentis, notio nequaquam docet, illum non niſi per homines a naturæ moleſtis effectibus exemtos honorari, aut poſſe, aut debere. In ſolo liberrimo DEI arbitrio erat gloriæ illo gradu contentum eſſe, qui ex eo naturali & neceſſario religionis inter ipſum & hominem commercio in illum fuerat redundaturus; tum remunerari iſtum, aut punire pro eo, ac bene, aut male, conceſſa libertate ac ceteris divinis donis erat uſurus. Eadem omnia in hoc ſtatu officia DEO homines debebant, nec fas erat illis ad maius aliquid aſpirare. Et ſiquidem conditi reipſa in hoc ſtatu fuiſſent homines, ne quidem felicis illius ſtatus fortunam, de qua modo dixi, mente poterant, aut primam ſibimet ipſi ideam cogitatione præformare. Solius DEI erat tam ſublimia conſilia fovere de creaturis ſuis, eaque hominibus revelare. Fovit eadem reipſa ab æterno, & iam, quantum in ipſo erat, dederat executioni. Non niſi penes primum hominem ſtabat in tanto gloriæ & felicitatis faſtigio ſe ipſum ac ſuos poſteros ſuſtinere. Unicus obſequii actus ipſum iuxta atque hos confirmaturus erat in poſſeſſione tam beata.

§. 94.

Verum ceſſit Adam tentationi, vinci ſe paſſus eſt, & ſtudio placendi uxori ſuæ, DEO ſuo rebellis fieri non dubitavit. At momento illo ipſo merebatur ab eodem reprobari: crimen vix admiſſum cum ſanctificante gratia, & adoptionis charactere, dona omnia pretioſa illi rapuit; quorum origo eadem ipſa DEI gratia extiterat. Filius iſte adoptivus DEI, tam ſublime per gratuitum benefactoris ſui favorem elevatus, abiecerat ſe ipſum infra ipſam conditionem naturalem hominis. Subiectus

iectus defectibus, morbis, & mortalis naturæ caducitati priſtinæ, momento uno deperdidit omne illud dives patrimonium ſtatus innocentiæ. Infrænis cupiditas violentum recapeſſivit imperium. Caro ſpiritui, ſpiritus DEO rebellis factus. Creator offenſus ſui imaginem in homine requirebat, imo potius deformatam turpiter abhorrebat. Probaſſet is obſequia puri hominis, quem in ſervitute naturali reliquiſſet. Dedignabatur vero eadem recipere a filio ingrato, qui ad ſuam divinam amicitiam admiſſus, iſtius iura violaverat. Et ipſe quidem Adam, præter adiectitiæ illius dignitatis iacturam, pœnas ipſas graves & ſupplicia æterna præcepti prævaricatione promerebatur; quod tantum erat momentum habiturum ad ſuam æque ac poſterorum omnium fortunam aut confirmandam, aut penitus evertendam. Poſteros tamen, ceu paterni ſceleris non reos voluntate propria, ſed hæredes tantum ſola quidem bonorum illorum non debitorum integra premebat iactura, non item ſupplicia cetera manebant. Attamen, ut nec creationis, nec cognitionis ſui, beneficium gratuitum ulli eorum ſupremus ille conditor debebat; ita poterat creatione illorum ac propagatione tam inviſæ ſtirpis, deinceps penitus ſuperſedere. Etſi nec ante omne æternum DEI aliud expreſſe ſtatuentis conſilium ac decretum ex graviſſimorum auctorum ſententia impoſſibile futurum fuiſſe videatur, ut, inſuperhabito parentis peccato, poſteros tamen in ſtatu naturali, naturalis item beatitudinis adhuc capaces, reliquiſſet. Attamen de felici illa prima conditione ex parte una quoad parentem non magis, quam filios, iam certe actum erat: parte vero altera mens certa Numini ab æterno ſteterat haud alios quam fideles *amicos* atque *filios*, non meros ſervos, ſui admit-

tere

tere cultores. Pro mali cumulo morbi ratio ex parte hominis inſanabilis, accedebat, & lapſus pernicies irreparabilis. Proſcriptus a DEO, & condemnatus, haud ſane poterat liberos in mundum niſi infortunatos edere, patris videlicet macula in ipſo ortu iam notatos, hæredes proſcriptionis illius & deiectionis a ſtatu filiorum DEI, eoque nomine DEO ſuo creatori merito inviſos, & incapaces, qui præſens Creatoris conſilium de ſolo amicorum cultu, ac religione filiorum tantum recipienda, cum iuſto illius beneplacito implerent.

§. 95.

Atque iſti quidem neceſſarii erant effectus peccati ac lapſus primi hominum parentis. Nihilominus haud iſtos perdere, nec ſortis ſuæ infortunio permittere, ſed conſervare, & reſtituere, divinum Numen apud ſe conſtituit. Atque hic iam ex adorandis illis Myſteriis, quæ nec concipere mens humana, nec exequi omnes creaturarum vires coniunctæ ullo pacto ſe ſolis poſſent, unum aliquod inter prima præcipuum ſe pandit. Ad remedium vulneri afferendum, quo mancipium decumbebat, nulla res alia minor quam Omnipotentia & Miſericordia infinita Domini ſufficiebat. Vixdum lapſus homo fuerat, cum mox pia conditoris manus eundem revelatura, ex grandi malo omnis boni ſcaturiginem aperuit. Decreta æterno divinæ ſapientiæ conſilio fuit Religionis ſpecies quædam adhuc divinior, &, ſi ita loqui fas eſt, dignior auctore ſuo, quam ea fuerat, cuius curſum modo in primis incunabulis ſuis abruptum vidimus. Atque hoc ipſum eſt momentum (videlicet, ut eſt veriſimile, ipſa dies creationis, & lapſus primi hominis) quo conſtitui debet origo & fundatio religionis IESU Chriſti. Ecce tibi admira-

mirabile conſilium, quod lapſo homini mox revelare DEO placuit, in decurſu ſeculorum ad gloriam ſancti Nominis ſui reipſa a ſe complendum.

Enimvero facienda quidem homini in perpetuum iactura irreparabilis privilegiorum originalis iuſtitiæ decernebatur. In novo reparationis ordine nunquam non is ſtatuitur ignorantiæ tenebris, cupiditatum pugnis, naturæ imbecillitatibus, laborum moleſtiis, & mortis neceſſitati certiſſimæ ſubiectus. Innocentiæ decus, (hoc eſt, ius ad amicitiam divinam nunquam amiſſum) patres ad filios hæreditate amplius non tranſmittent; ſed certa lege remedium, quod patrem conſanaverat, ſingillatim applicandum poſteris præſcribitur; ut, quod in primo patre ſemel amiſere omnes, ſinguli recuperent. Homo ſuperbus & delicatus, idemque intelligens bonorum, quibus Adæ illum peccatum exuerat, pæne medelæ integritatem ſuæ audet reclamare, ac primorum memor privilegiorum, impatiente deſiderio ſuam iacturam deflet. At hoc inde ſolum eſt, quod redemtionis ſuæ pretium ignoret nec intelligat, quantum dignitas, ad quam de novo elevatur, illud, ex quo deciderat, faſtigium excedat.

Homo in medio curſu temporum naſcetur in ſalutem omnium reliquorum hominum, qui DEUS idem ſit, filius DEI, æqualis DEO. Naſcetur is de ſanguine puriſſimo unius filiarum Adæ, quæ exemta de communi contagione fuerit; formabiturque in eius ſinu virtute omnipotente ipſius DEI. Utut innocens ipſe, & altiſſimi DEI filius, naſcetur tamen naturæ habitu omnino ceteris ſimillimus hominibus, qui originis iam ſuæ privilegiis exciderunt, ſubiectus nempe ipſorum more neceſſitatibus

tatibus naturæ, imbecillitatibus humanæ vitæ, morti demum; verbo, cunctis effectibus primi illius peccati, ipſum peccatum ſi excipias, & ea, quæ per ſe dedeceant dignitatem ac ſanctitatem perſonæ eius. Homo DEUS hic ſponte ignominiis & cruciatibus ſe ſubmittet; vivet pauper & abiectus; ac ſanguinis ſui prodigus, morietur opprobriis ſaturatus. Hoc pretio cum prima illa originali culpa omnium quoque hominum ceteras proprioque arbitrio admiſſas culpas redimet; inſtituet cultum novum; inſtaurabitque ceu caput omnium hominum ſuo interventu inter iſtos & DEUM Patrem ſuum pactum novum, & commercium religionis; qua DEUS, ſanguine filii ſui iam plene denuo placatus, deinceps coletur, & adorabitur ab hominibus DEO Homini coniunctis, inſtar fratrum ac membrorum unius corporis.

Homines in mundo naſcentur Adæ filii & illius macula infecti: ſed renaſcentur in ſanguine primogeniti illorum, ac participes fient adoptionis novæ, quæ ipſos conſtituet filios DEI. Uniti, IESU Chriſto capiti ſuo, ſub ſuavi iugo legum iſtius, cum pretioſis gratiæ ipſius auxiliis, ceu membra corporis ipſius, reddent DEO cultum perfectum, dignum eius maieſtate, & duraturum uſque ad conſummationem ſeculi. Homagia illorum dignitatem de adoratione Hominis DEI accipient; eorum virtutes pretium ex illius meritis ſortientur; ius illorum ad prœmium æque fundabitur in iure Filii hæreditario & in cruenta expeditione, qua is illud ſibi iuxta atque illis per ſanguinem proprium acquiſivit; ea tamen conditione, ut de illius redemtione ipſimet fructum capere, & illius participes ſuo merito efficere ſe contendant. De originali labe, quam naſcentes ſecum in hanc vi-

Digitized by Google

tam afferent, nulla eis coram DEO macula reſtabit; quamprimum in Redemtoris ſanguine præſcripti remedii applicatione ſe lavarint. Plaga tamen illa originalis non ſic penitus obducetur, ut nullum inde veſtigium in imbecillitatibus naturæ per ſe propriis ſuperſit; quin imo affectionum rebellio, gratuito illo in eas imperio per Adæ peccatum iam amiſſo reviviſcens, vires ſuas a natura congenitas ad oppugnandum ſpiritum nunquam non in illis exſeret. At is ipſe erit triumphus Redemtoris, ut ipſa illorum infirmitas reddatur victrix: id quod nunquam non continget, niſi ultro auxilium illius reſpuant. Divina hæc auxilia in religione Hominis DEI ex ſcaturiginibus tot affluent, ex quibus haurire cunctis eius fratribus erit liberum; ut inſuperhabita funeſta libertate, qua abuti illis poterunt, ac ceteris illiciis utut ad animos eorum pervertendos validis, Redemtoris virtus DEO cultores paritura ſit infinitis partibus nobiliores perfectioresque, quam ſalva originali iuſtitia unquam futurum fuiſſet in media affectionum omnium malacia & ſereniſſima luce innocentiæ primævæ.

§. 96.

Hæc fuit magnifici illius conſilii idea, quo DEUS reparare ſuam gloriam, homines redimere, & gratæ ſibi religionis cultum ſtabilire conſtituerat. Verumtamen notitia, quam de illa communicare Adamo placuit, non parum profecto huic abſynthio mixta videri poterat, ſi executione illius ad amplius quater mille annos dilata, haud futurum ſe illius participem intellexiſſet. Dominus itaque pro ſolatio ſignificavit illi, ſe, cum ſpiritu præſentia ſibi ſemper filii ſui merita & ſacrificium haberet, ne unum quidem diem dilaturum

turum ſolutionem præmii, quod illius obedientia mereretur. Adam! inquiebat Dominus, tu, & omnes poſteri tui, mecum in gratiam redibitis intuitu DEI Hominis filii mei. Morietur ille pro omnibus hominibus, & idcirco reconciliabor iſtis, non minus qui ſunt victuri ſeculis, quæ præcedent mortem iſtam, quam quæ ſequentur. Obſervate leges & mandata mea: ſubmittite vos laboribus exilii veſtri: tranſmittite ad omnes poſteros veſtros memoriam beneficiorum & notitiam legum mearum. His conditionibus, & meritorum Filii mei utut longe adhuc remotorum intuitu, præmiorum meorum vos reddam participes. Æquum tamen eſt, ut Filius meus dilectus, ceu caput veſtrum, & ſalutis origo, primus capeſſat laboris ſui fructum, & in poſſeſſionem beatitudinis ſanguine proprio acquiſitæ mittatur primus. Vos tranquille expectabitis tempus gloriæ ipſius, ut ipſius triumphum comitemini.

§. 97.

Felices homines, ſi grato affectu magnitudinem beneficii penſantes fructum capere diuturnum ex inſtauratione iſthac fœderis cum DEO perrexiſſent. Penes ipſos profecto ſtabat iſtuc exequi, quod tam ſerio & ſincere Divinum optabat Numen. Verumtamen abruptum brevi & alterum hoc fœdus per eximiam malitiam plerorumque ex primis Adæ poſteris. Veritatum a DEO revelatarum, & honeſtatis vitæ regularum tranſmiſſio, tantopere a DEO primo parenti commendata, verſa brevi eſt illius apud poſteros in hæreditatem criminum, & impietatum. Fatendum quidem, fidei depoſitum non corruptum ex integro fuiſſe: attamen a tam paucis innoxie idem conſervatum; ut poſt ſedecim ſeculorum patientiam, Dominus ſtatuerit

tam infideles illius cuſtodes aquis omnes diluvii ſubmergere. Haud plus una familia Noë communi naufragio erepta; quæ ab egreſſu ex Arca genus humanum, quaſi novum DEI populum, inſtauravit. Hæc ſtirps altera, etſi iræ divinæ gravitatem experimento tam præſente edocta, & remediorum gnara, queis ſolis devitare deinceps vim illam Numinis irati poſſet; fructum tamen ex inſtructione iſta atque exemplis & ipſa capere neglexit. Poſt quatuor & paulo amplius ſecula poſteri Noëmi iam perverſionem Adami filiorum æquantes, mundum pæne omnem corruptione peſſima & abominabili idololatriæ ſcelere infecere. Malum ſemper latius ſerpebat; etſi nec vigil cura, nec remediorum potentium vis deeſſet; quibus inhibere malum miſerantis DEI providentia continuo ſatagebat. Tempore Abrahami iam tantum peſtis hæc invaluerat, ut in Chaldæa tota vix unam integram familiam eſſet reperire, quæ veri DEI religionem ac promiſſionem ipſius depoſitum plane incorruptum conſervaſſet. Regnum tamen DEI Hominis non niſi poſt diutinum bis mille annorum ſpatium erat ſurrecturum; & niſi provido DEUS conſilio conſervandæ ſaltem in una gente aliqua promiſſionum ſuarum memoriæ proſpiceret, extincta interea temporis in orbe toto Meſſiæ venturi expectatione, perdifficile futurum erat, ut is reipſa veniens, pro tali ab hominibus agnoſceretur.

Homo itaque fidelis & timens DEUM electus ab hoc eſt in parentem novæ gentis, ſpeciatim deſtinatæ ad eum finem, ut fidei, paſſim prope iam extinctæ, veluti colligens depoſitum, viam & ingreſſum futuro univerſorum hominum liberatori præpararet. Abraham is fuit, electus pater totius

populi

populi DEI, cui primum promiſſio facta a DEO, generandam ex ipſius ſemine per filium Iſaacum gentem integram, ac Meſſiam ipſum ex eadem naſciturum. Ut vero a communi contagione gens iſthæc nova perſiſteret immunis, ſegreganda primum ab omni alia cognatione, DEO deinde multis prodigiis & beneficiis ſingillatim devincienda, ac demum certis legibus, ſibique peculiaribus religionis ritibus, initianda erat. Primum translatione totius familiæ Iacobi, Nepotis Abrahami, in Ægyptum, & longa habitatione in terra Geſſen, effectui eſt datum; ubi ſeparatus ab Ægyptiis DEI populus mira fœcunditate crevit. Alterum liberatione ex Ægypti captivitate contigit; cuius ſe Ducem DEUS ipſo in Moiſe ſtupenda inter & manifeſta prodigia præbuerat. Tertium in longa illa ad montem Sinai commoratione abſolutum eſt; ubi Moiſes DEI famulus ab ipſo DEO & legis novæ præcepta, & religionis DEO deinceps ab hoc populo exhibendæ ritus, & politiæ ordinem univerſum minutim præſcriptum accepit.

§. 98.

Inter iſtas leges, quas Moiſis miniſterio DEUS dederat populo Iſraëlis, quædam erant ad legem ac religionem mere naturalem pertinentes, & neceſſario ceteris hominibus ad unum omnibus communes, eædemque tamen ſecundum principium & finem ſupernaturalis illius ſtatus ſupra §. 93. explicatum ab omnibus exequendæ, qui ad alterius vitæ beatitudinem Meſſiæ venturi merito obtinendam vellent adſpirare. Talia ſunt præcepta, quæ præſcribunt amorem DEI ſuper omnia, obedientiam eius mandatis quibusque exhibendam, fidem habendam revelationibus illius, ſpem de eiusdem promiſſis, & gratitudinem pro benefactis. Talis quo-

que eſt præceptum prohibens blaſphemias divini Nominis, cultum idolorum, & communicationem cum paganis in falſo religionis cultu, aut ceteris abominandis eorum ritibus. In eodem numero ponendæ leges iubentes reverentiam debitam parentibus, & obedientiam eorum voluntati legitimæ exhibendam; charitatem proximi, auxilium, & commiſerationem mutuam in malis & periculis, quam homo homini cuique, etiam inimico, debet. Si chananæi ab hac caritatis lege excipiebantur, id inde fiebat, quod Hebræi executores eſſent ſententiæ divinæ in iſtos exequendæ, ac veluti vindices, a DEO ipſo nominatim conſtituti. Neutiquam tamen idcirco eis privatas lites inter ſe mutuo titulo vindictæ aut odii nomine perſequi licebat. Iſthæc præcepta caritatis & iuſtitiæ ferebant ſecum æquitatem in iudiciis, fidelitatem in depoſitis cuſtodiendis, gratuitam mutui collationem, bonam fidem in commerciis, ſinceritatem in verbis, & univerſa officia ſocietatis. Denique quidquid homo ad DEI imaginem creatus debet ſibimet ad morum innocentiam cuſtodiendam, methodo vel maxime præciſa explicatur; nec crimina ſolum turpia, quæ corpus polluunt, verum cogitationes ipſæ, & deſideria, proſcribuntur, quæ mentis maculent puritatem.

§. 99.

Obligationes iſtæ omnes communes erant, multoque antiquiores lege per Moiſen data. Hebræi ea gaudebant prærogativa, quod ipſis ſæpius, ac ſolennius, fuerint promulgatæ. Pagani ex parte eas ſenſu rectæ communisque rationis in corde ſcriptas gerebant, charactere facile obliterando; ex parte vero, quoad DEI revelationem primo parenti Adamo factam ſupponebant, tum traditione,

ne, tum fama de prodigiis in gente Hebræa quotidie clareſcentibus ad ſe perlata, cognoſcebant; vigilante DEO, ut ne ſaltem iuſtis cetera hominibus, etiam paganis, uti Iobo, (qui videlicet hoc ſe beneficio innocentia vitæ dignos redderent) revelationis neceſſaria & proxima notitia deeſſet. Hebræis contra id etiam commodum obtingebat, quod DEI ipſius manu tabulis lapideis inſculptas, & libro Moiſis legislatoris ſui conſcriptas, naturæ leges apud ſe perpetuo aſſervarent; quin & præterea ritibus aliis & ſignis innumeris ad ſedulam earum cuſtodiam & admonerentur in dies, & certis inſuper ſuppliciis propoſitis urgerentur. Quoniam enim eo populus iſte deſtinabatur, ut DEUM Hominem annuntiaret, mundumque præpararet eius religioni recipiendæ: oportebat, ut ad Meſſiæ adventum uſque ſegregatus a nationibus cunctis infidelium maneret, quarum contagione ſecus non infici non poterat. Separatio hæc per circumciſionem & ceremonias ipſi proprias confirmabatur, nec non per ſeveram legem, qua ab omni cum affinibus populis, idolorum cultoribus, commercio abſtinebatur. Cuius quidem legis transgreſſionem nunquam non præſens & grave ſupplicium Deique vindicta conſequebatur. His ingens quidam obſervationum, rituum legumque religioſarum numerus accedebat, quæ ingentem populi iſtius idololatriæ proclivitatem, ex gentibus, inter quas adoleverat, contractam, veluti clauſtris obiectis retinerent. DEUS ille omnipotens, qui leges ſimul, & ſervandi iſtas auxilia, conſtanter ferebat accepta, ipſe gubernandi illius onus palam in ſe recepit, impenſa illi cura tam vigili & manifeſta, ut gentes ceteræ, electo huic populo comparatæ, pæne attentionem curamque DEI fugere prorſus viderentur. Princeps tamen omnium caput erat,

ut in medio iſtius nationis promiſſi Redemtoris notitia profunde omnium mentibus inſcriberetur; ut apud eam characteres omnes, ex quibus iſte ſub adventum ſuum ab hominibus noſceretur, pretioſi inſtar depoſiti ſervarentur; utque ea veluti ſpectaculo ſerviret orbi cetero, de ſua expectatione & promiſſis divinis grandibus publice gloriando.

§. 100.

Et vero apud Hebræos ritus omnes atque leges totidem pro figuris atque ſymbolis propheticis haberi poterant; aut potius tota natio ex integro una quædam publica & conſtans prædicatio erat, qua venturus Meſſias hominibus annuntiabatur. Omnia hic DEUM Hominem deſignabant, qui nunc Meſſiæ, nunc deſiderati a cunctis gentibus, nunc primogeniti ex omnibus hominibus, nunc principis ab origine mundi deſtinati ad omnes populos in eodem religionis cultu uniendos, nunc aliis nominibus noſcendus inſigniebatur. Circumſtantiæ omnes loci ac temporis nativitatis, vitæ, prædicationis, mortis, triumphi, & ſtabiliendæ ab eo religionis, cuncta luculentis figuris expreſſa ſunt in locis factisque maxime memorabilibus hiſtoriæ iſtius populi. Eventus ſinguli, quibus Iſraëlis hiſtoria diſtinguitur, Meſſiæ adventum nuntiant. Sacrificia & ceremoniæ illius ad Sacramenta & ritus iſtius corda præparant. Illius leges & obſervationes diſponunt ad perfectionem legis ab ipſo promulgandæ. Prophetæ eum prænuntiant, heroës repræſentant, Patriarchæ & Reges patres illius ſecundum carnem ſunt; gratiæ, quas recipiunt, dantur eius meritorum intuitu; cultus, quem DEO exhibent, in reverentiam ipſius perſonæ habetur ratus; nec niſi ex redemtionis eius

eius titulo remunerationis æternæ ſpem coniunctam habet.

§. 101.

Interim natio Iudaica, tantis tamque ſingularibus a DEO beneficiis in eum præcipue finem exculta, ut fidem venturi Meſſiæ in orbe conſervaret, eidemque actu venturo veluti ingreſſum in corda hominum præpararet, tantis favoribus non niſi ingratitudine propemodum æque eximia reſpondebat. DEI promiſſorum perpetuo pæne incuria, ac ſæpe penitus oblita, quoties bene ſecum agebatur, multas & graves per vices ac tempora caſtigationes divinitus ſibi accerſebat; quæ continuo gravioribus pro augeſcente ſcelerum cumulo ictibus pertinaci populo infligebantur. Reſipiſcebant illi ſubinde dura pœnarum continuantium acerbitate ad pœnitentiam adacti: at paterna vix rurſum aliquamdiu DEI benignitate fruentes: mox rurſum liberatoris ſui obliviſcebantur, in priſtina, quin & in graviora, identidem ſcelera prolapſi. Hæc ipſa nunc ad flagitia nuper emendata, nunc rurſus ad pœnitentiam ex pœnarum rigore ſe revocantium diu continuata alternatio, & iuncta diuturnæ prodigiorum & beneficiorum DEI fruſtrandorum aſſuetudini obſtinatio animorum, ita demum inſenſibilem ad divinæ gratiæ motus gentis iſtius indolem ſucceſſu temporis effecere, ut parum ſane de ipſius obſequio pro tempore venturi reipſa Meſſiæ ſperari poſſet. Et vero invaleſcens identidem animorum abiectio, in unam terreſtris iſtius vitæ felicitatem intenta, iam pridem genuinam illam Meſſiæ, & ſalutis per hunc afferendæ ideam corruperat. Tametſi is nunquam non inde ab ipſius Adæ primi omnium parentis temporibus, ceu auctor ſalutis omnium gentium

ex æquo communis annuntiatus publice fuiſſet, nec ſalutis tantum iſtiusmodi, quæ inter anguſtos iſtius vitæ terminos & vilia terræ bona contineretur, ſed cœleſtis, æternæ, ſupra naturæ totius vires poſitæ, ac de ipſa DEI infinita felicitate æmulam quamdam beatitudinem participantis: tamen terreſtres Iudæorum animi totam ideam iſtam tam excellentem ad privatum gentis ſuæ liberatorem traxerant, imaginantes ſibi in Meſſia regem non niſi terrena poteſtate & imperio late per orbem diffuſo conſpicuum; qui genti ſuæ ſummam unice in his terris felicitatem ex ſubiugatione aliarum omnium nationum eſſet allaturus. Nimium ſane iſtiusmodi ſenſa a benignis DEI conſiliis aberant, extremumque his videbantur omnino obſtaculum allatura. At non eſt quidpiam omnino, quod æternis DEI decretis obſtare queat. Verſa eſt hæc ipſa electi DEI populi Meſſiæ tempore futura obſtinatio, ac ſecutura inde eiusdem reprobatio, pridem DEI certiſſimis oraculis ſæpius prædicta, in ipſius Meſſiæ characterem, ex quo idem diſtinctiſſime præ ceteris ab omnibus rectæ mentis hominibus dignoſceretur. Simul vero ipſius nationis per totum orbem diſperſæ perfidia eo maxime ſervitura erat, ut cum Scripturarum ſuarum libris, quos ſumma ipſi religione nunquam non coluere, ſimul invicta teſtimonia divinæ miſſionis Meſſiæ ad omnes gentes portarent ipſi, ſicque iſtis viam aperirent ad illius cognitionem, qua ſe indignos Iudæi fecerant, eo certius & facilius pertingendi.

§. 102.

Venit ergo reipſa præſtituto tempore promiſſus ille a DEO Meſſias, IESUS Chriſtus, in eadem ipſa gente Iudaica ex Abrahami poſteris & Maria virgine

virgine prognatus, ſed non ſpecie terreni regis, nec quidquam de terræ iſtius bonis atque felicitatibus ſibi unquam vindicans; attamen factis grandibus, qualia in puro homine nec viſa unquam, nec audita fuere, filium ſe DEI aſſerens, & probans, palam, eo fine a DEO Patre ſuo miſſum, ut & pro peccatis omnium hominum illi vitæ ſuæ ſacrificio ſatisfaceret, & nova eximiaque prorſus lege, novoque divini cultus genere longe perfectiſſimo propoſito, doctrina ſimul & exemplis ad eam vitæ perfectionem univerſos homines invitaret, qua & DEO gloriam, ut par eſt, ſummam redderent, & dignos ſeſe eius beatitudinis præſtarent, qua DEI totius participes nunquam finienda felicitate per ipſius merita eſſent fruituri.

§. 103.

Hem tibi itaque novum religionis totius ordinem, en nova DEI circa ſalutem humani generis conſilia! Meſſia ipſo iam præſente omnis illa gentium diſtinctio tollitur. Iudaica natio functa iam populi DEI electi & peculiaris officio eſt, & deinceps ad communem cum ceteris omnibus gentibus ſortem, ad communem religionis a Chriſto de novo ſanciendæ cultum, ad ſalutis inveniendæ communem omnibus modum, ſine diſcrimine invitatur. Non iam de mercede temporalis proſperitatis ad electos DEI filios ſermo fit, quæ olim populo Iudaico præter æternam remunerationem, nunquam non omnibus fidelibus DEI ſervis propoſitam, pro peculiaris legis obſervantia promiſſa fuerat. IESUS Chriſtus ſuis aſſeclis omnibus ad æternam beatitatem novam viam, contemtum nempe rerum omnium ſenſibilium, demonſtrat. Crux & patientia illorum pars una & hæreditas in terris declaratur, cœlumque eis proponitur non niſi

niſi labore & violentia conquirendum. Chriſtus ipſe, novæ iſtius viæ dux & auctor, primus eam ingreditur, nihil ſibi in terris præter ultima humanæ vitæ incommoda, ignominias, & dolores vindicans. Dum enim populum Iudaicum primum ad altioris ſalutis vias invitat; cum de abolenda lege Moiſis, & novo digniore cultus genere inſtituendo, ſermonem infert; dum Phariſæorum & Principum Synagogæ hypocriſin occultam libere corripit; ſanctiſſimus atque optimus mortalium, imo virtus, ac pietas ipſa, ſummam hominum invidiam atque odium in ſe provocat. Omnium ille præſcius perfidiam civium ſuorum probe noſcit; nec tamen deficit a propoſito. Supplicium illius cum lacrimis prædicens, Ieroſolymæ iuxta ac templo ruinam proximam denuntiat. Prædicit item Iudæis veritatis inimicis totius diſperſionem nationis, ac gentium ſucceſſionem in ipſorum locum; de quibus ſibi DEUS novum electum populum congregaturus ſit ex omni terrarum regione, multo ipſis ſanctiorem, ac meliorem. Interim invaleſcente hoſtium furore Iuſtus iſte communi voce totius populi ad mortem condemnatur, huicque ſententiæ profanus iudex, publicato eodem tempore innocentiæ eius teſtimonio, ſubſcribit invitus. Crimen omnium, quotquot fuere, maximum perfectiſſimæ virtutis, quod unquam viſum eſt, exemplo occaſionem miniſtrat. IESUS, vitæ ſuæ ac rerum omnium ſummus arbiter, furori ſceleſtorum hominum ultro ſe permittit, mortisque ſuæ ſacrificium pro totius humani generis expiatione offert. Expletis demum per ſingula vitæ ac mortis ſuæ adiuncta totidem Prophetarum de ſe vaticiniis, univerſisque Meſſiæ characteribus in ſe oſtenſis, conſummatis demum omnibus officiis a divino Patre impoſitis, in cruce cum clamore

validο

validò extremum ſpiritum emittit. Omnis hoc facto natura repente commovetur: centurio, morienti cuſtos datus, tali mortis genere attonitus ſtupet, & exclamat: *vere hic filius DEI erat;* univerſi, qui ſpectatum aderant, percutientes pectora, domum revertuntur. Die a morte iſthac tertia, IESUS, ut promiſerat, vivum ſeipſum a morte ſuſcitat, ſuisque aſſeclis, qui morientem deſtituerant, iamque ne oculis quidem propriis fidebant, videndum ſe per dies quadraginta continuos præbet. Intuentur illi coram viventem illum, colloquuntur, omnibus ſenſibus tactuque ipſo explorantes, convincuntur pæne inviti. Nec ſemel, nec ſingulis, ſed pluribus ſimul, iisque ſæpiſſime, immo ſemel quingentis ſimul fratribus ſe aſpectandum offert. Cum demum illi abunde omnia in Magiſtro vivente exploraſſent, petit hic ab eis, ut teſtimonium ferrent cunctis gentibus eorum, quæ vidiſſent ipſi, quæ audiiſſent, quæ ipſis manibus palpaſſent: &, ne quis fidem illorum poſſet in dubium vocare, iubet, huic teſtimonio omnes ſanguine ipſo ad ultimam guttam pro ſua gloria effuſo palam in orbis oculis ſubſcriberent.

§. 104.

Eiuscemodi monitis ac iuſſionibus inſtructi, talique nixi fundamento, duodecim piſcatores mundum integrum ſuſcipiunt convertendum, nihil omni illa contrarietate moti, qua is legibus, quas ipſi prædicaturi, & veritatibus, quas annuntiaturi eſſent, e diametro adverſaretur. Iubentur incipere a Ieroſolymis, & exinde diſperſi abire in mundum univerſum, docentes cunctas gentes, & baptizantes eos in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti. IESUS Chriſtus, valedicturus ultimum, pollicetur illis conceptis verbis, futurum ſe

cum

cum ipſis in tanto negotio rite expediendo uſque ad conſummationem ſeculi. Quo dicto videntibus illis elevatur in cœlum. Apoſtoli, Spiritus Sancti viſibili illapſu inſuper confirmati, toto terrarum orbe prædicant, quod IESU Chriſto Magiſtro didicere, nempe DEUM in natura unum & trinum eundem in Perſonis, IESUM DEI filium vere factum hominem, ex virgine natum, & pro peccatis hominum primum cruenta morte in cruce, tum vero deinceps, velut Sacerdotem ſecundum ordinem Melchiſedech, ſe ipſum perpetuo & quotidiano incruento panis & vini ſacrificio æterno Patri pro ſalute hominum offerentem; poteſtatem præterea plenam ſibi a Chriſto Domino collatam remittendi peccata hominum. Teſtimonio denique iſti reipſa toto orbe circumlato, poſt innumerabilium hominum ad hanc IESU Chriſti fidem converſionem factam, ſuo omnes ſanguine inter tormenta ultima læti atque exultantes ſubſcribunt. Sequitur eventu ipſo prædicta Iudæorum, tanto lumini obſtinate refragantium, reprobatio; gentiles ad DEI veri notitiam ex tam diuturna cæcitate, idolorum abiecto cultu, revocantur; IESU Chriſti nomen & religio toto orbe, fruſtra obnitente univerſa regum & Cæſarum, imo orci ipſius, poteſtate, per ipſum Martyrum tormenta & ſanguinem, veluti per fœcundiſſimum Chriſtianorum ſemen, propagatur.

§. 105.

Atque hæc demum vera Chriſtianæ religionis indoles, hic exortus & progreſſus eſt; cuius hiſtoria, quoad in anteriora Chriſto tempora uſque ad mundi incunabula extenditur, in Scripturis Iudaicis continetur, & præcipuo quodam loco in Moiſis Pentateucho: qui liber omnium, quorum vel

Digitized by Google

vel nomen aliquod, aut memoria, extat, citra controverſiam antiquiſſimus eſt, ſumma ſemper religione cultus a tota Iudaica natione, velut legum omnium, tam ſacrarum, quam politicarum, nationis ſummam, & primaria maximeque authentica primæ illius originis documenta continens idemque publica ſemper auctoritate ſub Sacerdotum ſummorum cuſtodia depoſitus, ac totius gentis manibus & quotidiana lectione verſatus; proinde nec fictioni ulli, nec corruptioni ullo tempore obnoxius. Viciſſim ea hiſtoriæ iſtius religioſæ pars, quæ ad Chriſti ætatem & proximos huic annos circiter viginti pertinet, in quatuor Evangeliis & Actis Apoſtolorum, ab ipſis IESU Chriſti, diſcipulis conſignata eſt: quæ ſcripta item in primitivis chriſtianorum Eccleſiis & in ſanctiſſimorum Epiſcoporum manibus depoſita, veluti ſacrum quoddam pignus, per continuas ſummorum paſtorum illorum ſucceſſiones ad nos uſque ſunt tranſmiſſa.

§. 106.

De gemino hoc veteris ac novæ religionis Chriſtianæ monumento ſequentia ſumma omni confidentia affirmo. *Primo* fieri nequaquam poteſt, ut quis integro quater mille annorum ſpatio regimen illud ſenſibile, imo prorſus palpabile, cuiusdam ſupremæ Providentiæ, ſub totius univerſi oculos expoſitæ, matura cogitatione animadvertat, vigilantis ſuper Patriarchas, & ſuper populum, cuius illi progenitores extitere; ut quis vitas particulares membrorum magis illuſtrium huius nationis, & diverſas viciſſitudines corporis eiusdem integri attente meditetur uſque ad momentum illud temporis, quo id ceſſare, & locum cedere regno Meſſiæ debet; ut quis defixo animo vaticiniorum

illum

illum ingentem cumulum penſet; quibus natio una eademque ab una ætate in aliam veluti obruitur, eaque divina oracula univerſa & ſingula cum illo factorum Evangelicorum claro lumine componat, quibus illa omnia in una perſona & uno vitæ IESU Chriſti tempore ad minutias uſque perfectiſſime complentur: aio, inquam, & affirmo prorſus, fieri nullo pacto poſſe, ut factis quispiam iſtis reflexionibus, quas ſimplex Scripturæ utriusque teſtamenti lectio ſponte ſuggerit; ex hiſtoriæ illius ſerie unum quemdam ſummum creatorem DEUM & rectorem hominum non animadvertat; qui alta quædam ad ſui nominis gloriam conſilia agitabat; quique per eventus tot ſymbolicos legis iuxta Moſaicæ, atque per tot oracula vatum, præparabat mundum ad ſtabiliendum religionis cultum quemdam perfectiorem, atque ad regimen univerſale religionis alicuius vere dignæ DEO. Profecto quisquis populi Iſraëlis hiſtoriam a mundi exordio ad IESU Chriſti exortum uſque perlegit, hiſtoriam legit plenam Maieſtate, excellentia, & magnificentia, unaque religionem IESU Chriſti didicit: certe quidem omnia eius principia, quæ viam eidem præparent, in promtu habuit. *Deinde* eadem ferme omnia de altera hiſtoriæ illius parte pari fiducia affirmo; quæ vitam IESU Chriſti ab ortu ad Aſcenſionem in cœlos uſque, & deinceps adventum S. Spiritus in Apoſtolos uſque ad ruinam & diſperſionem Iudæorum, complectitur. Nova illa religio, a DEO pridem annuntiata, & a mundo diu expectata, ibi tam illuſtris, tam magnifica, tam vera apparet, ut inſuperhabitis cunctis præiudiciis, quæ eidem obſtare poſſint (citra caſum obſtinatæ malitiæ) nemo non admiratione abreptus cogatur exclamare: IESUS eſt Meſſias! ipſe eſt DEI filius, per Prophetas nuntiatus, caput,

put, auctor, & principium religionis, infinite ſuperioris, excellentioris, & nobilioris, quam ſit vetus illa Iudæorum, quæ præceſſit, eiusque figura fuit, ac prænuntia. Quisquis ex Evangelicæ & Apoſtolicæ hiſtoriæ lectione ſic non concludit, is aut illam legere non eſt dignatus, aut eius rite intelligendæ ſibi ſumere laborem noluit. *Denique* genus ipſum ſcribendi, utrique huic ſcripturæ proprium, res ipſæ conſcriptæ, ſtilus, methodus omnis, tales ſunt, quales eſſe nec ſolent, nec vero poſſunt omnino; cum ex ingenio ſcriptoris proprio finguntur, quæ literis conſignantur.

En tibi veluti in minuta imagine rerum omnium proſpectum, quæ deinceps in decurſu huius operis dicenda ſunt, ſimulque ideam quamdam Chriſtianæ religionis, quam me ex optimis, qui de hoc argumento ſcripſere, chriſtianis ſcriptoribus excerpſiſſe non diffiteor.

ARTICULUS II.

RELIGIONIS CHRISTIANÆ EXCELLENTIA EXPLICATUR, QUATENUS EA IN NATURALIS SOLIUS RELIGIONIS DOGMATIS EXPLANANDIS VERSATUR.

§. 107.

Character veræ religionis primus & maxime neceſſarius, quem ſupra §. 89. aſſignavimus, videlicet quod naturalis religionis ſanctiones præclariore quadam methodo eam ad captum omnium proponere oporteat, eminenti prorſus gradu religioni Chriſtianæ præ ceteris religionibus ad unam omnibus convenit. Demonstr. Religio naturalis univerſe *officia* cuiusque hominis erga DEUM, ſeipſum, & alios cuiusvis condi-

tionis homines, accurate complectitur; *motiva* item ſufficientia, quibus omnes nullo excepto ad eadem integre ac conſtanter exequenda impellantur (§. 21.); *media*, quibus eadem executio cunctis non poſſibilis modo, ſed etiam facilis ſuo modo & expedita efficiatur; ac demum *exempla*, quæ velut ideæ inſtar ſerviant, cui vitam velut regulæ vivæ omnes conforment. Atqui iſthæc omnia eminenti quodam gradu non modo præ ceteris religionibus ad unam omnibus, ſed ſola omnino, Chriſti religio exponit. Ergo &c.

* *Minoris demonſtratio* hoc in ratiocinio uti ampla eſt, & plures theſes, ſeu membra, complectitur; ita per partes eam adminiſtrare oportet. Itaque

§. 108.

Religio Chriſti omnia officia hominis erga DEUM, ſeipſum, & alios quosvis homines, tum perfecta, tum imperfecta (§. 19.), *ſeu tam quæ ad ſubſtantiam quam quæ ad perfectionem, omnium virtutum pertinent, excellentem in modum exponit.* Dem. *Docet* namque illa 1mo. *DEUM ſuper omnia ſine exceptione amare,* quod ad *ſubſtantiam virtutis* pertinet; & amare ipſum ſolum in omnibus, quæ amamus, nec quidquam niſi propter ipſum amare; id quod ſummus *perfectionis* totius eſt *apex.* Docet illa, inquam, *DEUM ſolum pro fine ultimo habere,* ſolum adorare pro DEO, gloriam ipſius emolumentis noſtris quantumlibet magnis nunquam non præferre, renuntiare lucris totius univerſi potius, quam violare minimum ex præceptis divini huius Legislatoris. Docet vero etiam inſuper, contentum eſſe *ſolo DEO,* ceu ſcopo omnis noſtræ beatitudinis & theſauro nunquam nobis invitis rapiendo. Docet referre ad ipſum noſtra omnia abſque diviſione & reſtrictione ulla; a quo

a quo totum accepimus, quod habemus; hoc eſt, dirigere ad ipſum deſideria, conſilia, verba, factaque omnia. Docet, *amare eundem æque in bonis*, quæ nos circumſtant, quoniam ſunt illius dona; *atque in malis*, quæ nos cingunt; quia aut iuſta ſunt noſtrorum criminum ſupplicia, aut purgatio imperfectionum, aut periclitatio virtutum. Docet *amare DEUM propter ſe*, quia eſt totus ipſe pulcer, perfectus, & amabilis; *amare propter nos ipſos*, quia eſt auctor noſtræ beatitudinis; *amare in omnibus rationalibus creaturis*; quia nil illæ habent, unde amentur, niſi a DEO; & quia omnes filii ſunt eiusdem patris optimi. Docet *DEUM amare in ipſis perſecutoribus*; eo quod hi, omnibus furiis ſuis inſuperhabitis, non ſint niſi inſtrumenta iuſtiſſimæ vindictæ, imo & Miſericordiæ ipſius. Ecce præceptum hoc amoris DEI iam promulgatum quidem primo homini, ſed ſolennius etiam Deuteronomio inſcriptum a Moiſe cap. 6. v. 5. ac rurſum cap. 10. v. 12. & 20, confirmatum denique a Chriſto Domino Matth. cap. 22. v. 38. Denique vel ſolam *ideam DEI* a Moiſe & Prophetis delineatam cum omnibus iis compara, quæſo, quæ ſapientiſſimi quique Philoſophorum de natura DEI ſapienter ſcripſere, & noctem ſoli meridiano e regione poni fatebere. Ecquis ſenſa huiusmodi humano modo altiora eſſe non advertit: *DEUS eſt, qui eſt, omnipotens, æternus, ego Dominus.* Exod. 3. & 4. *Ego ſum ſolus DEUS, & præter me non eſt alius.* Deut. 32. 39. *Mea eſt ultio, & ego retribuam.* ibid. v. 35. *Ego occidam, & ego vivere faciam, - - - & non eſt, qui de manu mea poſſit eruere.* v. 39. *Vivo ego in æternum.* v. 40. *Hæc dicit Dominus exercituum!* 2. Reg. 7. 8. *Verbo Domini cæli firmati ſunt, & ſpiritu oris eius omnis virtus eorum: congregans ſicut in utre aquas maris; timeat Dominum omnis terra;*

 Domi-

Dominus diſſipat conſilia gentium; reprobat cogitationes populorum, & reprobat conſilia principum: conſilium autem Domini in æternum manet. Pſal. 32. Qui totus legi & perpendi meretur. *Hæc dicit Dominus: cælum mihi ſedes, terra autem ſcabellum pedum meorum.* Iſai 66. v. 1. His ſimilia ubique in SS. literis occurrunt.

§. 109.

Docet religio Chriſtiana 2do. amare ſe ipſum, ſed ſalva veritate, ordine, & iuſtitia: hoc eſt, ſincere nobis ipſis bene velle, & ad noſtram omnem beatitudinem totis viribus contendere; ſed ita, ut boni noſtri omnis verum agnoſcamus auctorem, qui ſolus DEUS eſt; ut bona ipſa vera a mere apparentibus diſcernentes, eligamus illa duntaxat, hæc autem, ut vere noxia, ſapienter aſpernemur. Quoniam vero hac in re tam ingens eſt mentis humanæ ad ſe ipſam fallendam imbecillitas, ac proclivitas ſumme noxia, tum ut ſplendido & maxime inani mendacio ſeipſam boni ſui auctorem ſuſpiciat, atque gloriam exinde inanem captet; tum ut fluxa bona perpetuis, vilia excelſis, verbo, apparentia veris, præferat, atque iſtorum amore immoderato ultra omnem recti normam & iuſtitiæ terminum rapiatur: idcirco Chriſtiana lex, utpote a legislatore lata naturæ noſtræ optime gnaro iuxta, atque imbecillitatis conſcio, primo omnium iubet illi propriæ *ſuperbiæ* & inanis gloriæ, atque huic *male ordinato* bonorum ſpuriorum *appetitui*, ceu mali ultimi fœcundæ ſcaturigini, remedium afferre, atque ita *ſapienter ſe ipſum odio habere*, hoc eſt, fundum nihili noſtri, & mali omnis originem, quæ nobis natura ineſt, intime & familiariter perſpectam præ oculis habere, idcirco nos ipſos deſpicere, diffidere noſtris viribus, a DEO bona omnia repe-

repetere, ad ipſum ceu ad fontem unicum referre, illi ſoli gloriam omnem, nullam nobis unquam tribuere, ab eo auxilium unice expectare, & aſſiduis precibus expetere, refugere peſtem *gloriolæ inanis* hominum: tum deinde inter corporis & mentis noſtræ bona prudenter diſcernere, illa ut fluxa & vilia præ veris & maximis mentis noſtræ bonis non ſolum deſpicere, ſed ut vera mala, quoties cum iſtis revera pugnant, extrema fuga atque odio averſari. Iubet itaque ſemper ſobrios eſſe, caſtos, temperantes, puros corpore & ſpiritu, abhorrere maxime omnia, quæ perfectiſſimo pudori adverſantur, non facta modo, & verba, ſed item deſideria, & ipſas cogitationes: quoniam omnis lex, quæ actus mentis internos eſſe impunes ſinit, imperfecta eſt, magisque hypocriſi fovendæ, quam innocentiæ nutriendœ, apta, nec fieri poteſt, ut reformetur homo, niſi a cordis reformatione initium capiatur. Et quoniam in nobis ipſis, ac præſertim in noſtris ſenſibus, præceps quædam ac cæca, omnisque conſilii expers, inclinatio ineſt inprimis ad ſpuria illa externa bona, quæ aut ipſa corpus levi *voluptate* perfundunt, aut ad iſta comparanda *utilitate* ſua ſerviunt: idcirco invigilare nos perpetuo cupiditatibus noſtris lex eadem Chriſtiana iubet, bellum ſenſibus noſtris & vim pravis appetitionibus aſſiduam inferre, renuntiare nobis ipſis, & extrema potius pati omnia paratos eſſe, quam cuiuscunque boni creati uſum, aut mali fugam, admittere cum boni noſtri ſpiritualis ac veri vel minimo periculo, ne dicam, detrimento. Atque iſthæc quidem *ad ſubſtantiam virtutis* rurſum pertinere docet; quibus ut ea, *quæ perfectionis ſunt*, ultro ac ſedulo ex generoſo ac ſapienti amore veri boni noſtri addamus, efficacibus inſuper nos conſiliis admonet. Nimirum ſtante illa ingenti

mentis ſenſuum, ac carnis humanæ imbecillitate, & ad viſibilia hæc, reipſa inania, bona proclivitate maxima, perpetuum periculum eſt, ne quid unquam indignum noſtris affectibus circa eorum uſum concedamus; niſi affectus ipſos ad illa proclives funditus extirpemus. Huc iam mirifice prorſus ſerviunt conſilia illa Evangelica paupertatis, caſtitates, & obedientiæ; quibus Chriſtiana lex ſuadet, ut affectum omnem erga *divitias, voluptates* carnis, atque etiam erga voluntatis noſtræ *proprium arbitrium* (quod omnis abuſus bonorum iſtorum prima radix eſt) generoſo ac firmo in perpetuum animi conſilio deponamus. Huc illa quoque inprimis ſublimis ſapientiæ ſpectant monita; quibus admonemur, ita fluxa omnia contemnere, ut etiam deprimi, obſcurum vivere, contemni, luctari cum huius vitæ malis omnibus, maiorum cœleſtium bonorum promerendorum cauſſa, heroum inſtar grandium, amemus. Atque ſic quidem inordinatis affectibus cunctis, deſiderii & fugæ veluti tota malorum noſtrorum ſentina, ex integro exhauſtis, fieri non poteſt; quo minus tranquillitate mens noſtra & omni, cuius in hac vita capax eſt, beatitudine perfruatur, ſimulque ad alterius vitæ felicitatem promerendam quam expeditiſſime diſponatur.

§. 110.

Docet religio Chriſtiana 3tio. *amare omnes alios homines ſicut ſe ipſum*, nullo uſpiam excepto, ac ne inimico quidem maxime internecino, ac pertinaci, item modeſtum eſſe & affabilem etiam in ſumma dignitate, manſuetum etiam inter præſentes iniurias; caritate, officiis, & liberalitate plenum etiam erga importunos & maxime ingratos; nec ſolum nemini ſuum iniuſte rapere, ſed noſtra etiam aliis magis, vel æque indigis, liberaliter elargiri; ſufferre

ſufferre aliorum errores patienter; offenſas omnis generis animo lubenti & facili ignoſcere; venerari & amare parentes; maioribus habere honorem; & cunctis magiſtratibus ac præpoſitis non externam modo, ſed ipſam quoque internam mentis ſubiectionem & obedientiam ex certa obligatione, veluti vivis DEI imaginibus, & ab iſto poteſtatem nactis, fideliter & ex integro in omnibus exhibere, ubi citra Numinis offenſam exhiberi poteſt. Attamen, quamprimum contra DEI honorem quiscunque aliquid a nobis exigat, aut vetet aliquid, quod hunc exigere compertum eſt; tum vero eadem ſacra lex prorſus vult, non Patrem, non Matrem, non hominem ullum, magnus, aut parvus, carus, aut inimicus nobis ſit, uſquam ut curemus, vel metuamus, ſed DEO magis quam homini obedire fixum, & inviolabile habeamus; etſi bonorum, amicorum, honoris, aut vitæ ipſius certa nobis iactura inſtet. *In ipſis* quoque *bonis ordinem* præſcribit, quæ proximo optamus: ut nempe, ſicut nobis ipſis primum regnum DEI & iuſtitiam eius quærere iubemur; ſic & ante & multo amplius bona æterna & cœleſtia, quam momentanea hæc & terreſtria, proximo precemur, &, quoad eſt penes nos, efficaci opera procuremus. His porro, quæ *ſubſtantia virtutis* ſunt, iubet etiam ea, *quæ perfecta* exiſtunt, addere, videlicet, ut non tantum neceſſitatem proximi caritas expectet noſtra, ſed omnem ultro gratificandi occaſionem quærat, tum in huius quidem etiam vitæ commodis, tum vero amplius, cum de ſalute æterna illius agitur; cuius vindicandæ vel aſſecurandæ cauſſa nos hortatur, non bonis temporalibus ullis, etiam maxime nobis ipſis neceſſariis, non labori, non periculo, non honori, non ſanguini, ac ne vitæ quidem ipſimet, parcere.

§. 111.

Religio Chriſtiana motiva potentiſſima proponit, quibus ad omnis generis officia virtutum exequenda, & devitandas eorundem tranſgreſſiones, vel omiſſiones, univerſi homines impellantur. Dem. Format enim illa in nobis *ideam DEI* prorſus admirabilem ceu entis amore ſimul ſupremo ac reverentiæ timore digni. Exhibet eius ſummam *potentiam ſapientiamque* in creatione mundi, cuius hiſtoriam nobis admirabilem recenſet. Exhibet *providentiam* a ſeculo in ſeculum in omnes homines, omnesque iſtorum actiones, verba, & cogitata, oculo vigili intentam, gubernantem omnia, diſponentem omnia ſuaviter, & ad finem ſuum fortiter urgentem, piam in bonos, malis infeſtam, attamen & his longanimi patientia indulgentem. Exhibet ſummam eius *bonitatem* & *miſericordiam* in malorum venia pœnitentibus largienda, in præmiis æternis virtuti præparandis, ſed nec minus ſeveram *iuſtitiam* in obſtinatis ad mortem uſque legis ſuæ contemtoribus implacabili vindicta perſequendis, & æterno ſupplicio puniendis. Horum patheticis exemplis Pentateuchus & hiſtoriæ Patriarcharum iuxta ac Prophetarum plenæ ſunt, & fruſtra in quavis alia hiſtoria ſimilia inquiras. *Hominis* quoque *ideam* nobis talem effingit, qualis & maxime reipſa illi convenit, & quæ ad omnia officia illa DEO, ſibi, ceterisque hominibus exequenda maxime ipſum urgeat. Oſtendit nimirum illum a DEO ex toto in omnibus & ſingulis ſuis actionibus quovis momento pendentem, rerum omnium ſe ſolo impotentem, miſerum, imbecillem, & ad malum multo magis proclivem, quam ad bene agendum ex propriis viribus valentem; cetera tamen a DEO ipſo originem, & ſuæ voluntatis ac conſilii *arbitrium liberum* habentem, nec non *immortalis vitæ*

uti

uti capacem natura, ita participem DEI gratia futurum: Porro omnes homines uti origine, ita natura, ac deſtinatione eiusdem ſortis, quantum a divino conſilio hæc pendet, prorſus ſimiles, atque adeo honore & amore mutuo inter ſe digniſſimos: demum omnium factorum, dictorum, & cogitatuum ſuorum DEO olim *ſeveram rationem* reddituros.

§. 112.

Religio Chriſtiana media ſuppeditat certa & facilia omnem naturæ legem implendi. Dem. Certos enim facit, nec DEUM maiora noſtris viribus exigere a nobis, nec tentari nos permiſſurum ſupra, quam poſſimus vincere, & auxilio ſuo ſuppleturum omne, quod viribus noſtris deſit; ſaltem ſi iſtud demiſſa prece ab ipſo flagitemus: quæ ipſa oratio, certis DEI promiſſis fulta, nos plane invictos reddit; niſi ultro vinci extremo ignaviæ genere velimus.

§. 113.

Exempla quoque omnigenæ virtutis in Chriſtiana religione ſuppetunt, omni exceptione maiora. Dem. Quid enim illuſtrius hiſtoriis Abelis, Enoch, Noë, Abrahami, Melchiſedechi, Iſaaci, Iacobi, Ioſephi Ægyptiaci, Moiſis, Ioſue, Samuëlis, Davidis, Salomonis, Prophetarum, Machabæorum &c. &c. Nullum virtutis genus eſt, cuius ſum̃æ perfectionis & excellentiæ exempla illuſtriſſima in grandium iſtorum hominum hiſtoriis nobili quadam ſpecie ſe non offerant. Taceo IESUM Chriſtum, eiusque Apoſtolos, viroſque ſummos ac virtutis heroes, quos omnis chriſtianæ religionis ætas mundo ſpectandos cum admiratione præbuit ex omni ſexu, ætate, genere, ac conditione hominum.

§. 114.

Nulla religio alia quæcunque circa dogmatum naturalium integritatem & excellentiam cum Chriſtiana venire in comparationem poteſt, ſed omnes in præcipuis capitibus deficiunt. Dem. Religionis ceteræ ad Polytheiſmum, ad Mahometiſmum, & ad religionem denique Philoſophorum, reducuntur. *De Polytheiſmo* non eſt quod dicam. Religio enim, quæ in primo capite iam deficit, quæ Numina pro arbitrio creat, eisque cuncta vitiorum affingit monſtra, non religio, ſed integra religionis everſio eſt. *Mahomet* in ſuo Alcorano capita quædam religionis naturalis præcipua complectitur; unitatem DEI adſtruit, uſuram adverſus extraneos, Iudæis uſitatam prohibet; eleemoſynam præcipit egentibus largiendam; preces ad DEUM fundendi neceſſitatem declarat; commendat ieiunium, ſubiectionem ſui erga DEI voluntatem veluti primam omnium affectionum regulam inculcat, extremum denique iudicium omnibus intentat, in quo præmia vel pœnæ alterius vitæ bene vel male in hac merentibus diſtribuenda. At denique quam hæc pauca ſunt, ad legis chriſtianæ perfectionem comparata; quæ ipſa tamen Propheta ſpurius, veluti pretioſos pannos ex veteris & novi teſtamenti Scripturis mutuatos, religionis ſuæ veſti, ex Talmudiſtarum, & Medrashitarum nugis ceteroquin fruſtatim conſarcinatæ, attexuit. Addidit, circumciſionem, delectum ciborum, lotiones varias corporis, & id genus ſimiles legis Moſaicæ ceremonias, ceu ad ſalutem prorſus neceſſarias; ut didicerat a Iudæis. Totus ipſe libidini deditus Propheta, ſuis poſt hanc vitam pollicitus eſt beatitudinem, quæ ut plurimum in carnis voluptatibus conſiſtat; etſi maiorem omnibus illecebram eam fore fateatur, quæ ex divinæ faciei intuitu ſit in beatis illis

oritura.

Digitized by Google

oritura. Quod ergo bonum habet Mahomet, a chriſtianis revera habet; quibus tamen fabulas & nænias ſine numero abſurdiſſimas de ſuo aſſuebat; ut alibi dicemus. At enim *Philoſophorum religio* aciem contra tenere meliore titulo videtur. Quæ vero hæc religio? Eſt, qui cum celebri Voltairio (Remarques ſur les penſeés de Paſcal) neget, Philoſophos unquam docuiſſe religionem, ſed ſolam Ethicam. Enimvero Ethica Philoſophorum veterum non pars religionis, ut apud chriſtianos, reipſa erat; cum fundamentis primis & *motivis religionis* omnibus careret, nimirum certa notitia providentiæ DEI, humanæ libertatis, alterius vitæ præmiorum & ſuppliciorum, ac immortalitatis animorum. Sed neque moralis illorum doctrina integra, eademque ſcatens paſſim erroribus erat. Nunquid enim bona Ethica officia parentibus & maioribus quibusque debita complectetur; *officia* autem primo omnium parenti *DEO debita* prorſus negliget? At ubi de his verbulum apud Philoſophos invenies? Ubi vel nomen *adorationis DEI in ſpiritu & veritate* apud ipſos deteges? ubi reperies *præceptum caritatis*, officii iſtius omnium primi, quod auctori ſuo creatura rationalis debet? Nihil illi de referendis ad eius gloriam actionibus humanis unquam: vix quidquam obſcure de neceſſaria ſubmiſſione erga omnia æternæ ſapientiæ illius ac providentiæ conſilia, utcunque nobis ardua & moleſta. Quem tu mihi extra religionem chriſtianam nominabis Magiſtrum illius *præcepti* de modeſtia in ſentiendo de nobis ipſis, ſive *de humilitate*, ut vocamus vulgo, qua inane noſtrum, & fundi proprii expers nihilum, & vires ad omne bonum ſe ſolis inſufficientes candide fateamur, nobisque ipſis diffiſi, a DEO ſolo expectemus totum, quod beatitudini noſtræ conſentaneum eſt. Philoſophi

loſophi modeſtiam quidem externam, quæ in verbis & factis tota eſt, aliquando attigere: at interioris, quæ mente omnis continetur, & illius baſis eſt, prorſus ſunt obliti; hypocriſin potius quam modeſtiam docentes. Ubi rurſum *præceptum orationis ad DEUM* fundendæ, & ineundi quavis in neceſſitate recurſus ad ſummum illud ac potens rerum omnium Numen apud Philoſophos reperies? Omni quidem ævo homines repentino preſſi infortunio, ſenſu quodam naturæ inſtigati, levarunt ad cœlum manus, ut inde auxilium & beneficium obtinerent. Inſtinctus hic naturæ generalis eſt, communis omnibus, & humano cordi a mundi incunabulis congenitus. Verum quod erat denique illud, pro quo Superis faciebant vota? an virtus? an iuſtitia? an integritas morum? Minime vero: harum non niſi ſeipſos auctores omnes antiqui Philoſophi agnoſcebant. Quid ergo a cœlo, quid a Numine quocunque petebant ſuo? *Det vitam, det opes, æquum mi animum ipſe parabo,* ait de ſuo Numine Horatius l. 1. epiſt. 18. Quis unquam (quærit Romanæ eloquentiæ iuxta ac Philoſophiæ princeps Cicero lib. 3. de Nat. Deor.) quis unquam de ſua virtute Diis gratias egit? Aguntur illis quidem grates de acceptis divitiis, oris venuſtate, ceteriſque exterioribus donis; ſed propriæ ſinguli virtutis auctores ſumus. *Sapiens* ille eſt, ait idem Paradox. 2. *qui eſt totus aptus ex ſeſe, quique in ſe uno ſua ponit omnia.* En Philoſophiæ gentilis indolem! en typhum ſuperbiæ philoſophicæ! D. Rouſſeau in Emilio ſuo T. III. edit. Amſtel. 1764. p. 71. ſimiliter inſanit; cum orare DEUM pro re aliqua prorſus renuit vaniſſimo obtentu. *Quærite primum,* contra ſuos edocet Chriſtus, *quærite*, i. e. petite primum *regnum DEI*, & *hæc omnia adiicientur vobis.* Matth. 6. 33. *Caritas* demum *proximi*, quam Philo-

Philoſophi omnes tantopere commendare videntur, (neſcio, an virtutis cauſſa magis, quam ſui) caritas, inquam, in ipſorum ſchola ultra iſtius vitæ bona, quæ ceteris optemus hominibus, nunquam ſe extendit: cum caritas, quam Chriſti lex nobis inculcat, in alterius vitæ bonis proximo non optandis ſolum, ſed omni ſtudio & opera procurandis reipſa, illuſtriſſime reſplendeat. Quam multa vero prorſus etiam abſurde, inepte, & contra prima naturalis religionis principia inſuper Philoſophi veteres etiam Principes docuerint, iam alias (§. 36.) abunde dictum. Iam vero ubi dogmata ipſa tantum deficiunt, *de mediis*, *de exemplis* quid porro dicamus. Dent nobis Philoſophos inter omnes vel unum, cuius vitam aliis *exemplum* facere poſſimus. An Socratem dabunt? Legant ante Iuvenalis Satyram 2. & Lactantium de falſa Sapientia lib. 3. cap. 19. An Xenophontem, aut Platonem, diſcipulos Socratis? At excuſant hi Magiſtrum, & a calumnia videlicet purgaturi, oſtendunt, ſacris illum Numinibus Græcorum litaſſe, iſthæc coluiſſe, atque alios ad illorum cultum induxiſſe. Haud dubie ipſi ſimilia fecere. Sed Senecam iactabunt forte. Legant S. Auguſtinum lib. 6. cap. 10. Legant Tacitum Annal. 12. c. 8. Suetonium in Claudio 1. 29. Dionem l. 61. & in excerptis Valeſianis p. 685. 686. & rurſus Tacitum annal. l. 13. c. 41. Nam Chriſtiani (ſic vulgo dicti) Philoſophi memoriæ parco magis, quam ut ab his de illo ſcripta hic excerpam. Solum Confucium Sinenſem iure nobis Philoſophia iactet, cuius vita doctrinæ omnium optimæ ſemper integre conſenſerit. Sed nec deſunt, qui altiori illum lumine illuſtratum ſuſpicentur: ſicut contra alii obſervant, eum, cum ſola virtutis pulcritudine propoſita, vix obſcure de alterius vitæ præmiis & pœ-

nis

Digitized by Google

nis ſermonem faceret, quin aut mentium humanarum immortalem vitam, aut præmiorum pœnarumve æternitatem certo profiteatur (teſte noſtro P. Trigautio lib. I. c. 10.) multos quidem ſuæ virtutis admiratores, paucos conſtantes imitatores habuiſſe.

* Cum tantum interſit inter excellentiam Chriſtianæ religionis & profanæ Philoſophiæ argutam ſubtilitatem; quid mirum, quod tam diverſi quoque utriusque fuerint ſucceſſus. Audi Clementem Alexandrinum in lib. VI. Stromat. edit. 1641. pag. 697. *Philoſophia*, inquit, *ſolis Græcis placuit, nec tamen omnibus. Philoſophorum ſinguli paucos numeravere diſcipulos. Magiſtri noſtri doctrina non Iudææ finibus contineri potuit, ſed in omnem terram dilatata, & Græcis, & barbaris, nationibus, urbibus, & oppidis digna fide viſa eſt; cum amicam veritatis vim nec integræ familiæ, nec homines privati, nec Philoſophorum multi poſſent repellere. Ethnicorum Philoſophorum doctrina vel exiguæ urbis magiſtratu perſequente diſſipatur; in doctrinam vero noſtram Chriſtianam arma ſumſere Imperatores, Reges, Provinciarum rectores, eorumque vicarii, innumerabilis hominum multitudo Chriſtianam religionem perſequitur, eamque exterminare tota virium contentione adnititur. Quid inde expectes, niſi univerſale Chriſtianorum excidium? ita quidem, ſi rem humana prudentia metiaris. At ecce! his nihil obſtantibus, Chriſtiana religio viget, floret, & dilatatur.*

** Hæc cum ita ſint, quænam, amabo, cauſſa ſubeſt demum; quod Theiſtæ paſſim adverſus religionem Chriſtianam tam acriter declament? Cur inutilem eſſe revelationem tantis contentionibus aſſeverant; eo quod nullum novum rationi naturali lumen addat, imo ſuperfluis additionibus extraneis hominem a primariis & naturæ abſolute congruentibus officiis divertat. Si tam clarum rationis lumen; cur, quæſo, ad hanc facem illi etiam maxime

me cæcutiebant, qui illuſtrius etiam iſtam ſibi allucere ſemper gloriabantur? Sed nempe nimia eſt legis chriſtianæ lux, nec tam a defectu quam ab exceſſu ipſorum convitium meretur. Videamus itaque, num Myſteria, quæ religioni naturali inſuper adiungit, & dogmata ſupernaturalia, eius indolis & naturæ ſint, ut hoc nomine ab eius luce noſtri oculi merito abhorreant.

ARTICULUS III.

QUÆNAM EA SINT, QUÆ RELIGIO CHRISTIANA, QUOAD SUPERNATURALIS SECUNDUM SUBSTANTIAM EST, RELIGIONI MERE NATURALI SUPERADDIT?

§. 115.

Religio Chriſtiana hominem a ſtatu religionis naturalis ad ſtatum immenſum excellentiorem religionis ſupernaturalis elevat, quæ a mere naturali differt principio, fine, motivis, mediis, & exemplis. Religio namque Chriſtiana inprimis dogmata religionis mere naturalis, cunctaque hominis officia, prorſus intacta relinquit, nec quidquam in eis mutat: niſi quod multo diſtinctius clariusque ea explicet, quam ſola ratio naturalis, paſſim obſcurata, & ut plurimum etiam plane corrupta. Nihilominus hominem, qui natura non niſi ſervus & mancipium DEI eſt, nec ad tantæ maieſtatis amicitiam adſpirare uſquam per ſe ipſum poſſet, favore DEI prorſus gratuito ſupra vilem iſtam congenitam conditionem elevat, ac per gratiam ſanctificantem, ceu pignus infallibile divinæ amicitiæ, quam ceterarum omnium virtutum, dona ſupernaturalia comitantur, divinæ Naturæ reddit participem, DEI filium efficit adoptivum, atque adeo, ſi in hoc dignitatis gradu recte ſibi uſque ad vitæ finem conſtet,

ſtet, bonorum omnium DEI, Patris ſui hæredem. Differt itaque religio Chriſtiana ſupernaturalis quoad ſubſtantiam a mere naturali 1mo. *ex principio.* Namque cum in exercendis officiis erga DEUM, ſe ipſum, aliosque homines religio mere naturalis aliud principium non ſuppeditet, quam *rationis lucem, & vires liberi arbitrii naturalis*, a DEO naturæ auctore conceſſas: religio contra Chriſtiana principium ſupernaturale adiicit, *gratiam* videlicet *ſanctificantem*, & *donorum ſupernaturalium* omnibus virtutibus, fidei, ſpei, caritatis in DEUM, Prudentiæ, Fortitudinis, Iuſtitiæ, & temperantiæ, reſpondentium magnificum apparatum; quibus homo iuſtus, DEI filius, & amicus, veluti novis totidem facultatibus altioribus inſtructus, propiusque ad divinæ naturæ ſimilitudinem accedens, officia naturalis religionis iam non modo ſolum naturali, ſeu ſolis illis naturæ viribus conveniente, ſed longe excellentiore operatur; propter principiorum illorum ſupernaturalium concurſum in ſingulorum exercitio nunquam non intervenientem.

Differt vero hoc ipſo 2do. etiam *ex fine.* Siquidem operationes id genus, tam nobili a principio profectæ, iam non *ſervi* officia, ſed *filii* & amici DEI ſunt, nec adeo ad ſolam mercedem ſervo debitam, ſed ad hæreditatem & bonorum Patris omnium communionem promerendam tendunt. Ius ergo fideli id genus DEI amico, & pio filio, deinceps non quidem natura, ſed ex gratuito illius favore & adoptione libera, convenit non modo ad naturalem quamdam, & vel ſervo quoque debitam beatitudinem, quæ officiorum pura *merces* ſit, ſed ad ſupernaturalem, amico & filio congruentem, tantoque Patre dignam; quæ vera ſit *hæreditas* bonorum DEI omnium.

Differt

Digitized by Google

Differt 3tio. *Mediis ad finem* conſequendum ordinatis. Etenim ſuperaddit intellectui & voluntati naturali, de ſuis officiis probe inſtructæ, *gratias ſupernaturales*, illuſtrantes lumine altiore intellectum, & moventes voluntatem altiore motu; quæ officiorum illorum executionem ſemper & præveniant, & comitentur. Atque his quidem mediis beatitudo hominis ſupernaturalis abunde ſtabilita æternum fuiſſet in ſtatu naturæ integræ & innocentis. At poſtquam prævaricatione indigna *lapſus Adam* his gratuitis DEI favoribus ſe ſuosque omnes poſteros deſtituit; poſtquam privilegiorum, naturæ innocenti liberaliter a DEO conceſſorum, tam infelicem iacturam fecit (§.95.) longe efficacioribus adhuc remediis erat opus ad morbum totius humani generis curandum. Ut lapſos DEI filios adoptivos ſublevaret, unigenitus *naturalis DEI Filius*, amoris æterni ſtimulis incitatus, ad nos accurrit, atque ipſe noſtræ ægritudinis tam deſperatæ *remedium* eſt factus. Venia gratuita remittere offenſam DEUS potuiſſet, ſed exiguo fortaſſe filiorum reorum bono; qui ex facilitate veniæ offenſæ magnitudinem deſpexiſſent. Æquo ergo pretio DEI offenſam compenſare DEI Filius IESUS Chriſtus in ſe ſuſcepit, atque, ut id poſſet, noſtram ipſe naturam Divinitati ſuæ, quæ cum Patre ipſi communis eſt, adiunxit. Homo factus ipſe officia in Patrem omnia, quæ homini ſervo conveniunt, filius explevit, Patri natura æqualis. Sanguinem quin etiam & vitam in cruce obtulit, ut nobis amiſſas gratias & filiorum iura omnia redimeret, & auxilia mereretur læſis per Adæ peccatum innocentis naturæ viribus congruentia, quæ cunctis noſtris vulneribus & morbis præſentem medelam ferrent. Quoniam autem multiplex erat hominis infirmitas, ac plures ſæpe

relapſus innata imbecillitas eius & ignavia paritura prævidebatur: idcirco ſtatos aperire ac perpetuos conſtituere gratiarum, ceu remediorum ſaluberrimorum, fontes admirabilis ille humani totius generis Medicus ac pius Servator voluit. *Sacramenta* igitur inſtituit, ſeu ſigna quædam externa, interioribus, quæ hominibus egentibus in quavis neceſſitate liberaliter applicarentur, gratiarum remediis ſignificandis apta. *Baptiſmus*, ſive corporis per lympham ablutio, purgationem mentis integram ab omni labe ſeu peccati originalis, ſeu voluntate propria admiſſarum quarumcunque noxarum, ſignificat, & plenam in iura filiorum DEI adoptivorum omnia reſtitutionem. *Confirmatio*, ſeu Chriſmatis inunctio, robur novum, animis interiore gratia collatum, indicat; quo adverſus tentationes omnes inſidiantis nobis inimici dæmonis confirmamur; qui poſtquam eadem DEI filiorum ſorte feliciſſima iam ante nos exciderat, reſtitutionis tam eximium beneficium, quo ipſe deſtitutus eſt, nobis eripere extrema invidia & deſperatione ultima nunquam non conatur. *Euchariſtia*, ultimum amoris in nos DEI Hominis & ſane admirabile monimentum, vitæ noſtræ nutrimentum ſupernaturale, quod in ipſa carne & ſanguine ſuo ſacratiſſimo nobis præparavit, per externas panis & vini ſpecies offert; cuius ope ad profectus in ſpiritu eximios diſponamur. *Pœnitentia* relapſus in nova poſt baptiſmum peccata remedium eſt, quo IESU Chriſti Dei Hominis merita in noxarum remiſſionem nobis hominis miniſterio applicantur. *Matrimonio* quoque Sacramenti vim divinus Servator addidit, quo malis & ærumnis gravibus, quæ huic vitæ ſtatui nunquam non adhærent, ſolatium & levamen aliquod pro ſua Miſericordia afferret, & prolium educationi bonæ, quantum erat penes

ſe,

ſe, conſuleret. *Olei extremam inunctionem*, mortis periculo aliquo ſeſe oſtentante, eo ſervire voluit, ut ſignificaret gratiæ auxilium, quo ille ſuis in ultima illa adverſus ſpiritualium hoſtium aſſultus lucta eſſet præſidio futurus. Denique ut eſſent ſemper, qui Sacramenta hæc ſuis aſſeclis fidelibus ac digne accedentibus diſpenſarent, quique ex officio invigilarent recto illorum uſui procurando, *Ordinis* quoque inſtituit Sacramentum, quo congruis ſignis exterius adhibitis, miniſtris ad tantum munus diligenti ſtudio delectis poteſtas tribueretur eadem Sacramenta omnia rite confecta ac præparata aliis diſtribuendi, & velut certa ſalutis remedia applicandi. *Signis externis* porro applicari omnia illa reipſa prorſus ſpiritualia gratiarum internarum remedia Chriſtus idcirco voluit; quod ea maxima ad fidem & fiduciam hominum recipientium excitandam valerent: quæ virtutes cum maxime neceſſariam ex ipſorum parte conficiant præparationem, in vulgo præſertim hominum ſenſibus maxime cieri ſolito, externis id genus ſignis mirifice iuvantur. Porro tum ad conſervandam perpetuo iſtiusmodi Miniſtrorum ſucceſſionem, tum vero ad totius doctrinæ ſuæ depoſitum, ac præſcriptam ſemel conficiendorum Sacramentorum rationem, inviolate atque integre cunctis poſteris ad ultimam uſque mundi ætatem tranſmittendam, vel maxime opus erat, ut idem DEUS Homo quosdam veluti *ſui Vicarios* in Eccleſia ſua, id eſt, in ipſa fidelium ſibi aſſeclarum congregatione, conſtitueret, quibus & inſtruendi ceteros in omni doctrina a ſe tradita munus committeret, & diſpenſandi Sacramenta & ſalutis æternæ relicta a ſe media ſupremam poteſtatem concederet. Non ſolum itaque *Scholam Doctorum* ſua in Eccleſia perpetuam & infallibilem erexit, ex qua doctrinæ ſuæ

fluenta omnia, prorſus limpida, & impolluta, omnes omni tempore absque erroris periculo acciperent; ſed etiam *ſacrum Principatum* quemdam, cuius auctoritate & Miniſtri, ſeu diſpenſatores myſteriorum DEI, conſtituerentur, & ipſa diſpenſatio, ut recte atque ordine fieret, regeretur. Primum quidem Apoſtolis ſuis munus hoc utrumque eximium conceſſit; a quibus dein, ut ad alios ab his delectos cum ſucceſſionis iure perpetuo tranſieret, ſapienti conſilio conſtituit. Denique pro cumulo omnium *ſolenne promiſſum* addidit, centies repetitum, *omnia ſe exauditurum vota noſtra*, cunctaque ſuis meritis interpoſitis apud divinum Patrem ſuum impetraturum, quæ in ſalutem noſtram æternam vere proficua ipſius Nomine eſſemus petituri. Qua quidem pollicitatio *Orationi* noſtræ ac precibus vim ineluctabilem ad aſſecurandam nobis æternam beatitudinem, ac cœleſtem illam filiorum hæreditatem aſſerendam, liberaliſſime adiecit.

Differt 4to. *Motivis nobiliſſimis*, quibus ad omnia officia erga DEUM, nos ipſos, & alios homines, exequenda impellit, tum quæ iam naturali religioni ſunt communia, tum etiam quæ propria illi ſunt, & ex noſtra illa ad altiorem ſtatum elevatione de novo enaſcuntur. 1. Namque quanto maior *DEI amabilitas* ex eo beneficio elucet, quo in amicos ſuos & filios pleno iure nos adſcivit, quo Filium pro ſalute noſtra, & hic ſeipſum ultro pro nobis addixit morti tam cruentæ & probroſæ; quo omnia ſua bona nobiscum æternum communicanda tantis cum ſalutis noſtræ remediis & aſſecurationibus ultro obtulit; quo denique iam nunc pignus illius hæreditatis, quæ ipſe eſſe voluit, in pretioſo corpore & ſanguine ſuo anticipato dedit: tanto quoque amplius quam ſolo creationis

tionis & naturalis beatitudinis, beneficio, quo naturalis religionis ſtatus abſolvitur, ad DEUM amandum nunc impellimur. Quid quod ipſa *Maieſtas Numinis*, tot Myſteriis mirabilibus, Trinitatis, DEI Hominis Patri ſe in tam rebus arduis ſubmittentis,, vitam probroſa morte in reparationem eius offenſæ finientis, incomparabili luce explicata, extremos nobis ſtimulos infigit, ut ne novis eam iniuriis offendamus. 2. *Amor* vero *DEI filii* in nobis miſeris ex tanta malorum ſtrage ultimo ſuo cum incommodo eruendis, quantam in nobis ciet gratitudinem? quantam fiduciam parit? 3. *Offenſæ divinæ gravitas ex ſupplicio* elucens, quod de Filio, vadem ſe præbente, æternus Pater ſumſit,proh quantum noſtram,qui peccavimus in DEUM, exaggerat vilitatem; quantum *noſtri ipſorum odium & contemtum* ſuſcitat. 4. DEI Filius homo pauper, humilis, & abiectus, quam *deſpicabilia huius vitæ bona* eſſe nos convincit. 5. Idem opprobriis, vulneribus, & anguſtiis oppletus, & in cruce moriens, quantam *in malis huius vitæ ultimis æquanimitatem*, quam heroicam conſtantiam inſtillat! 6. *Caritatem proximi* vero proh quanto excellentioribus motivis commendat nobis religio Chriſtiana quam ſola Naturalis. Si enim iſta homines nos excitamur ad amandum invicem; eo quod ab uno eodemque Numine, ex eodem luto, ex eodem Adamo patre, eadem ſimiles natura, omnes creati ſimus; quod ſervi & mancipia omnes ſimus eiusdem Domini: quantus mutuo amandi ſtimulus erit, quod omnes communi adoptione divina DEI Filii ſimus, habentes communem Patrem DEUM: quod ſub uno capite Chriſto IESU omnes ſimus membra eiusdem corporis, quod eſt Eccleſia; participes fidei unius & communium Sacramentorum, redemti eodem lytro immenſi pre-

tii, deſtinati ad eandem hæreditatem omnium bonorum DEI æternum in cœlis fruendam. Quanta differentia caritatis! cum antehac non teneremur aliter nos invicem diligere, quam ſicut ſinguli diligimus nos ipſos; nunc iubemur diligere invicem, & ſicuti, & quia, Chriſtus dilexit nos, & dedit vitam ſuam pro omnibus nobis. Motiva infinitæ excellentiæ, virtutis invictæ, & indefinitæ amplitudinis! Motiva non dependentia nec a virtutibus, nec a vitiis hominum, quos diligere iubemur, non ab amore illorum in nos mutuo, nec ab odio. Motiva demum omnem amoris in nos proprii vim (caritati ordinatæ vulgo pondere ſuo contrario tam adverſam) ad humanitatis ſenſa invicto robore omni tempore inclinantia, & nihilominus caſtitatem affectus in puro corde, conſcientia bona, & fide non ficta, nunquam non ſervantia illibatam.

5. Denique *exemplum*, quo non eſt aliud illuſtrius, in religione chriſtiana ob oculos omnium ſtatuitur ipſe *DEUS homo ac DEI Filius*, *amans DEUM Patrem*, obediens huic factus uſque ad mortem crucis, *ſeipſum* exinaniens, *in bonum ac ſalutem hominum* totum ſe expendens.

ARTICULUS IV.

QUAM RELIGIO CHRISTIANA TOTA SIT OB SUBLIMITATEM, SANCTITATEM, ET UTILITATEM SUAM DIGNA DEO, EIUSQUE SAPIENTIA, SANCTITATE, AC BONITATE.

§. 116.

Religio Chriſtiana ſublimis, & ſumme ſapiens, atque adeo per ſe digna auctore DEO; ſupra naturæ vires agente

agente. Dem. Eſt enim ſublimis in Myſteriis, quæ revelat; in principio, a quo officia eius omnia proficiſcuntur, in mediis, & fine. *Myſteria*, quæ proponit, ſunt Unus DEUS in Perſonis tribus ſubſiſtens indiviſe, quarum, etſi una Pater, altera Filius, tertia S. Spiritus ab utraque priore procedens, nulla tamen altera dignitate maior, nec prior tempore, ſed omnes inter ſe prorſus æquales: deinde DEUS Homo, una Perſona theandrica, idemque natus ex Virgine, inter homines vivens, omnium miſeriarum humanarum particeps, pro iſtorum peccatis ſatisfaciens, ultro ſe morti extrema inter tormenta, ignominias, & anguſtias tradens, reſuſcitans poſtea ſe ipſum a mortuis, aſcendens in cœlum virtute propria, Sacerdotium novum & Sacramenta prorſus inſolita inſtituens; quibus mortis ipſius merita redemtis a ſe hominibus per ſecula omnia victuris applicentur: DEI item hominis eiusdem corpus verum ac ſanguis ſub panis & vini ſpeciebus in cibum ac potum ceu ſpiritualis vitæ nutrimentum quotidie cunctis eius aſſeclis propoſitus: poteſtas remittendi peccata hominibus ſimilium culparum reis in homines alios impertita: reſurrectio demum generalis omnium mortuorum in carne propria ad gloriæ æternæ mercedem, vel æterni ſupplicii pœnam, pro bene vel male meritis recipiendam. *Principium* officiorum religionis huius omnium, ut placere DEO & mercedem promereri ſupernaturalem queant, & ipſum prorſus ſupernaturale eſt, DEI nempe interna gratia, ex Chriſti meritis cuique ſe ad eam rite diſponenti conceſſa, eaque tum habitualis, tum actualis. *Media* ſunt merita DEI Hominis, per Sacramenta mirabilia hominibus applicata, & cooperatio hominis cum gratia, ſeu principio illo ſupernaturali, ex illis meritis commu-

Digitized by Google

nicato. *Finis* beatitudo ſupernaturalis æterna, & participatio omnium bonorum DEI ſecundum iura veræ amicitiæ & adoptivæ filiationis. Totum iſtud Myſteriorum & beneficiorum DEI in homines inſtitutum quidem ſecundum omnes partes admirabile eſt, & humano intellectui prorſus inſcrutabile, attamen idem ipſum nexu admirabili cohærens, dignum DEI Sapientia, potentia, & bonitate infinita. Ut enim amor DEI in homines ex illo immenſus & admirabilis elucet, ita media illius erga homines exhibendi, utut prodigioſa, omnia digna DEO ſunt; nec inveniri aut fingi ab intellectu humano potuiſſent, niſi idem cum ſumma ſapientia ſtultitiam ſimul extremam coniunxiſſet: id quod prorſus inveriſimile. Et vero quamprimum DEUM huiusce religionis auctorem ponis; etſi ſumma admiratio, quin & ſtupor quidam, ſacerque horror, mentem corripiat, tum ob Myſteriorum ſublimem illam & incomprehenſibilem excellentiam, tum ob benificentiæ homini exhibitæ prodigioſam magnitudinem; tamen omnia ſibi apprime conſentiunt, omnia ſummæ uti ſapientiæ, ita bonitati, perfecte quadrant. At ſi hominem merum huius religionis auctorem facias, ſi humani ingenii partum fictitium dicis; fateor, me iam nihil omnium concipere, nec tantam ſapientiæ, bonitatis, & ſanctitatis, quæ in religione hac relucet univerſa, excellentiam cum præſtituta illa peſſimi alicuius impoſtoris fraudulentia & fanatico ingenio uſquam combinare poſſe.

* Lege, quæſo, Ill. Boſſuet Diſc. ſur l' hiſt. univerſ. cap. 19. Edit. Pariſ. 1707. pag. 295. & ſeqq.

§. 117.

Sanctitas Chriſtianæ religionis admirabilis eſt, & omnem impoſturæ ſuſpicionem ex parte illius auctoris elimi-

eliminat. Dem. Nihil enim docere officiorum omittit, ſive erga DEUM, ſive homines, ſive ſe ipſum, ſeu quod ad cuiusque virtutis ſubſtantiam, ſeu quod ad ſummam perfectionem ſpectat. Non intellectui, non voluntati, non ſenſibus, hominis in parte ulla blanditur, ſed recta cunctis eius inordinatis appetitibus adverſatur; eadem ardua præcepta maximis æque ac infimis ſine exceptione ulla imponit. Chriſtus, auctor illius, ſive DEUS idem, ſeu (ſi ita vis interim) homo merus extiterit, omnium officiorum religionis iſtius exemplum ſe ipſe abſolutiſſimum præbuit, nec ullum uspiam exinde temporale emolumentum quæſiviſſe notatus eſt; non gloriæ, nam regem ſe facere volentes effugit; non divitiarum, nam paupertatem palam ipſe profeſſus, nihil ultra neceſſitates vitæ etiam ultro oblatum unquam accepit; non deliciarum, nam vitam inter meras ærumnas & duxit ſemper, & finiit. At, dices, DEUM ſe voluit haberi; ſat magnum hoc fraudi propoſitum prœmium. Dicam ego libere: ſi fuit revera DEUS Chriſtus, nihil ſapientius modo illo, quo credi talis quæſivit; contra nihil incredibilius eodem, ſi non fuit. Vivus enim ex hoc dolo mala ultima & ſponte perpeſſus, nec moriens honorem ullum ſperare poſt fata prudenter potuit. Quis tam inſanus odit ſeipſum? Atqui profecto inſanus homo Chriſtus non fuit. Nullum itaque ex parte auctoris religionis iſtius malitiæ veſtigium uſquam ſe prodit, quæ impoſtoris ingerat ideam aliquam, vel utcunque tenuem ſuſpicionem; quin ſanam omnem extreme rationem lædit, abſolutiſſimamque & doctrinæ & morum ſanctitatem cum extrema perfidia, blaſphemia in DEUM, & mendacio, citra ullum commodi alicuius inde hauriendi ſtudium, ab uno homine componi. Vide dicenda §. 287.

* Qui dignam de ſapientia, ſanctitate, ac ſuavitate Chriſtianæ legis ideam menti ſuæ indere cupit, legat quoque noſtri P. Bourdalouë ſermonem *Sur la Sageſſe & la Douceur de la Loy Chriſtienne* (Tom. I. pour le Dimanche de la ſeconde ſemaine du careme) in qua eloquentia huic oratori propria oſtenditur, quanta ſapientia lex Chriſtiana & a laxitate omni, & a nimia auſteritate ex æquo declinet, ſimul vero moderatum rigorem ſumma ſuavitate temperet. Sermo dignus ſane legi eſt, maxime ab iis, qui præiudiciis hac in parte adverſus religionem Chriſtianam occupati, aut a pravis quibusdam non nullorum Doctorum etiam catholicorum doctrinis præventi ſunt, quas Eccleſia Catholica tamen ſuas non fecit unquam.

** Veterem quoque religionem Moſaicam omnino ſanctam Deoque dignam fuiſſe, infra §§. 233, 305. ceu loco magis proprio explicabo.

§. 118.

Religio Chriſtiana in quantacunque obſcuritate Myſteriorum, quæ docet, claritate tamen mirabili pollet, qua vel maxime rudium captui ſe accommodat, & univerſis ex æquo quadrat. Dem. Omne enim obſcurum, quod religionis Chriſtianæ Myſteriis ineſt, in eo hæret, *cur* quodque ſit ita, & *quomodo? quod ſint* vero, auctoritate DEI irrefragabili ita atteſtatum proponitur, ut ſimul in omni exorta controverſia Iudex Eccleſia ipſa, a DEO cum infallibili auctoritate conſtituta, cuique in promtu ſit, ita, ut nec difficile ſit cuivis iſtum conſulere, aut ſcire, utrum is, a quo ipſe alioquin per ſe rudis docetur, cum infallibili illo Eccleſiæ iudicio conſentiat: cum & doctores omnes accurata ſubordinatione conſtituantur, & doctrinæ conſenſus in omni Eccleſia veluti veritatis character primarius ubique ſervetur, & urgeatur. Atque hinc porro illud in

Chriſtia-

Chriſtiana Catholica religione tam ſingulare & proprium, quod quisque etiam parvulus rudis, qui diſcendi officium modo implere velit, multo exactius de omni neceſſario religionis dogmate ſit inſtructus, quam acutiſſimus philoſophus, qui de Chriſti fonte prius non hauſerit: quodque etiam doctiſſimus Chriſtianus, ſiqua in re ad religionis fidem aut mores ſpectante fors dubitet, dubii ſolutionem certam ſemper habeat in promtu.

* Equidem totum, quod hoc theoremate aſſeritur, reipſa ita eſſe alias accurate demonſtrabo contra omnes Chriſtianos acatholicos: quoniam tamen veræ religionis chriſtianæ dogma reipſa eſt, haud dubie ad noſcendam genuinam indolem Chriſtianæ legis vere talis eximie ſervit; nec mihi utique propoſitum eſt religionem chriſtianam qualemcunque mutilam & erroribus iam corruptam, ſed ſolam genuinam & catholicam demonſtrare, eſſe a DEO vere revelatam.

§. 119.

Chriſtiana Religio longe excellentius eſt medium ad finem creationis a DEO obtinendum, multoque ipſi homini optabilius, ſola religione pure naturali. Dem. Reddit enim omnem univerſe hominem, rationis compotem, aptum ad longe excellentiorem cultum DEO exhibendum, eundemque diſponit ad beatitudinem infinitis partibus nobiliorem; atque adeo DEI maiorem gloriam cum maiore ſalute hominis pro fine habet, multo utique illuſtriore, quam ſit finis ſolius religionis naturalis. Docet enim DEUM colere, non ut Dominum duntaxat ſervili ſubiectione ac devotione, ſed ut Patrem amore filiorum. Proponit non ſolum remunerationem & mercedem liberalem, ſed hæreditatem, & communionem omnium bonorum DEI. Imo non adultos

adultos modo, ſed infantes etiam baptizatos ad communionem æternæ ſalutis admittit; de quibus quid agendum ſit, ſi ante ætatem rationis capacem moriantur; nulla philoſophia, nulla religio alia mere naturalis, abſolute docet. Quid quod (ſi vera ſit) chriſtiana religio doceat DEUM prorſus digne DEO, id eſt, cultu vere Divino per ſacrificium colere, in quo DEI Filius ſe ipſum Patri per manus miniſtri hominis offert in dies.

§. 120.

Religio Chriſtiana, etſi falſa eſſet, tamen eſſet utiliſſima, nec ex adverſo ulla ex parte cuiquam noxia. Dem. Etſi enim falſa eſſet, quoad ea nimirum, quæ religioni mere naturali ſuperaddit (nam quoad dogmata naturalis religionis falli abſolute non poſſe, ex dictis cap. I. ſupponitur) tamen ex eo utilitatem univerſo humano generi eximiam Chriſtus Dominus præſtitiſſet, quod idololatria ut plurimum eliminata, naturalis religionis prima principia omnia eminente quodam modo ſtabiliverit, & extra omne dubium poſuerit, quod multa etiam ad ſubſtantiam legis naturalis pertinentia explicarit, ac declararit (§. 107.); quod denique univerſam virtutis perfectionem & verbis & exemplo efficaciſſima quadam methodo docuerit. Nihil itaque vel DEI gloriæ, vel hominis beatitati uſpiam detraheret, ſed utrique multum adiiceret: & licet, quod in ea falſum eſſet, DEO placere non poſſet, tamen in eo, quod verum eſt, facit, ut homo DEO multo amplius placeat, & beatitatem naturalem multo maiorem, multoque certius & facilius acquirat.

* At *libertatem* hominis magnopere ſtringit? at *rationis* lumen incomprehenſibilium Myſteriorum copia offendit?

fendit? Tunc liber es? mi Theiſta! qui fortaſſe pluribus vitiis viliter ſervis. Tibi ſana ratio lucet? qui tam pauca de religione naturali cum certitudine ſatis abſque Chriſto Magiſtro perſpecta habes. Sed eſto utrumque. Nemini itaque præterquam DEO ius eſt eam tibi præſcribere: cui ſoli omnis libertas & ratio ſubeſt. Hoc unum ergo nobiscum deinceps inquire, num DEUS revera ſit, qui religionem iſtam revelet; num DEUS, qui illius officia præſcribat. Lege vero, ſi vacat, ſermonis inſignis P. Ruæi noſtri, *pour le Careſme Tom. I. pour le Mercredi de la premiere ſemaine, ſur la verité de la religion Chriſtienne*, partem ſecundam.

§. 121.

Si vere revelata a DEO eſt Chriſtiana religio, non eſt in religione mere naturali, nec alibi uſpiam, ulla ſalus ſine Chriſto. Dem. Eſt enim princeps dogma totius Chriſtianæ religionis, DEUM noluiſſe cultores ſervos, ſed elegiſſe duntaxat habere amicos & filios, atque idcirco elevaſſe hominem univerſe ad ſtatum ſupernaturalem; deſtinaſſe ad ſimilem beatitudinem; cuius ita ſit auctor Chriſtus DEI Filius ſimul & homo, ut teſte Apoſtolo non ſit in aliquo alio nomine ſalus.

* Hiſce nihil obſtat probabilis illa magnorum Doctorum ſententia, quæ tenet, neceſſitate medii non niſi ſupernaturalem fidem, ſpem, & caritatem requiri in DEUM unum, remuneratorem ſupernaturalem, & vindicem omnis boni & mali. Adhuc enim hæ virtutes, ut ſupernaturales ſunt, ad ſupernaturalem & Chriſtianæ tantum religioni proprium ſtatum pertinent, a ſolius Chriſti meritis & virtute pendent, nec a ſola religione naturali uſquam exoriri poſſunt. Præterea hæc ſententia, ſi vera ſit, iis duntaxat ſalvandis ſervit, qui uberiorem de Chriſto notitiam nanciſci abſolute nequeunt.

§. 122.

Digitized by Google

§. 122.

Si vere revelata eſt a DEO Chriſtiana religio, non poteſt neque illa, neque eius revelatio, ab ullo homine citra culpam ignorari quoad ſubſtantiam, & quoad ea ſaltem, quæ ad ſalutem, ſeu beatitudinem hominis ſupernaturalem, ſcitu ſunt abſolute neceſſaria. Eſt enim apud omnes Doctores Catholicos certa ſententia, DEUM ſincero affectu præſente in providentia velle omnes homines nullo excepto, quantum in ſe eſt, intuitu meritorum Chriſti fieri æternum ſalvos, atque adeo cuivis facienti, quod eſt in ipſius viribus, gratiam fidei abſolute neceſſariam, maxime ſi pro ea obtinenda ipſum exoret, neutiquam denegare. Quodſi ergo quis non obtineat; expers omnis culpæ eſſe non poteſt; qui favore DEI tam ſolenniter promiſſo ſpoliari meretur.

§. 123.

Excuſari a culpa non poteſt animus, qui ſolius vitii amore, aut ſuperbo ingenii tumore impulſus, extrema omnia movet, ut ſe ab argumentis eaque mentis convictione expediat, queis Chriſtianæ religionis veritas demonſtratur, Dem. Evidens enim ex dictis tum toto §. 115. tum §. 56. & ſeqq. eſt, tam ipſam inſtitutionem huius religionis, ſi reipſa a DEO eſt facta, quam cognitionem veritatis ipſius, cuique homini ſingillatim conceſſam, eximium quoddam fore ac ſingulare DEI donum, nec hominibus univerſe, nec ulli ſingillatim a DEO debitum: cum per eam homo quivis præter creationis beneficium, præterque vocationem ad beatitudinem naturalem (quam ipſam iam merum fore gratuitum donum iam a §. 56. oſtendimus) inſuper efficaciter ad beatitudinem longe altiorem, multoque minus debitam, ſupernaturalem nempe, a DEO vocetur.

Iam

jam vero non alius obex gravior recipiendis DEI donis magis eximiis obſtare ſolet, quam contemtus; ſive is a tumore quodam ac præſidentia proprii ingenii, ſive ab infræni amore vitiorum, proficiſcatur (§. 11.).

* Atqui hic ipſe uterque obex, aut certe alteruter, ferme in omnibus obſervatur, qui religionis Chriſtianæ veritatem, veluti rem ſibi maxime odioſam & fatalem, ultimis moliminibus & omni ingenii acumine expedito impugnant. Parum docilitatis & ingenuæ modeſtiæ ſi magnis ceteroquin eiusmodi ingeniis accederet, næ illi momento puram veritatis lucem intuerentur. Corruptæ longa vitiorum aſſuetudine voluntatis pertinaciæ ſi vel portio modica piæ affectionis ſuccederet, qua ipſimet ſincero veritatis deſiderio illuſtrari ſe a ſummo illo omnis veri fonte demiſſe peterent; næ brevi in illorum cordibus veritas triumpharet. At modo contrariis omnibus diſpoſitionibus præventa mens, quoties demonſtratio, evidentiæ Metaphyſicæ expers, libertatem aſſentiendi plenam adhuc relinquit, toties ex deſtinato veluti conſilio hoc ipſo refragatur. Atqui nec poteſt, nec debet aliis argumentis religionis illius veritas demonſtrari, cuius ſumma univerſa *factis*, i. e. revelationibus divinis, conſtat; cuiusque fides libera ſit oportet, ut meriti ſimul & grati DEO ſacrificii dignitatem habeat, quo humana ratio ſummæ veritati humili ſubmiſſione immoletur.

§. 124.

Potuit Chriſtiana religio talis, qualis ipſa eſt, a DEO reipſa revelari. Dem. Evidens enim ex hactenus dictis eſt, illam ita ſanctam, ita ſapientem, ita ſublimem, ita DEO honorificam, & homini utilem eſſe, ut DEO non modo non indigna videri poſſit,

Digitized by Google

poſſit, ſed ultro omnes Divinitatis notas & characteres & eius dogmata, & auctor præſeferant.

* At enim his omnibus poſſibilitatis divinæ revelationis characteribus, quibus Chriſtianæ religionis ſumma univerſe inſignitur, contentum nullo pacto philoſophicum Theiſtarum ingenium eſſe ſolet. Urgent illi mille abſurda, & chimæras, quas in multis Chriſtianæ doctrinæ præcipuis & capitalibus dogmatis detegere, ſe exiſtimant, atque idcirco ad peculiare illorum examen, & velitationes circa ea ſingillatim, elata voce provocant. Eſto itaque. Non detrectamus hanc pugnam: modo in latas ſupra §. 88. leges prius condicant. Notent illi bene, revelationis divinæ morali evidentiæ, quæ debitis divinæ ſapientiæ & omnipotentiæ characteribus præfulget, nihil aliud prorſus opponi poſſe, quam vel metaphyſicam evidentiam, cum de dogmatis abſtractis agitur, vel phyſicam, cum de rebus in ſenſus incidentibus. Monſtrent, igitur Theiſtæ, ſiquid proficere velint, monſtrent, inquam, in obiecto aliquo revelato, ad Chriſtianæ religionis ſummam pertinente, aut contradictionem veram eamque evidentem, aut phyſicam certe repugnantiam, quam nemo ſenſatus poſſit in dubium vocare: & tunc, impoſſibilitate revelationis divinæ circa tale obiectum hoc ipſo demonſtrata, permittemus ei de illius exiſtentia dubitare. Contra vero duo iſthæc a nobis non requirant; *primo*, ut ab omni obſcuritate dogmata vindicemus, quæ tota natura ſua humanæ rationis tam limitatam alioquin ſphæram prorſus tranſcendunt: *deinde* ut ne mere ſcholaſticas & privatas doctrinas, ad fidei dogmata minime pertinentes, iſtorum inſtar & pari cum certitudine defendi a nobis ab omni abſurdo poſtulent. Fidei aſſenſus nunquam non ſacrificium quoddam exigit, & intellectus quamdam utcunque eximii ſubmiſſionem: nec tamen ulli præciſe humanæ auctoritati (maxime cum graves difficultates obſtant) ſed divinæ tantum & infinitæ veracitati debetur. Neque nos a Theiſta & Philoſopho

exigi-

Digitized by Google

exigimus, ut omnibus utcunque communibus ſcholarum doctrinis, ſed tantummodo, ut certe revelatis a DEO dogmatis firmiſſime aſſentiatur.

ARTICULUS V.

INSTITUITUR EXAMEN SOBRIUM ET MODESTUM PRÆCIPUORUM DOGMATUM CHRISTIANÆ RELIGIONIS.

* Ordinis gratia dividemus argumenta Theiſtarum in præſente materia in tres claſſes. Ima. *Difficultates* quasdam *metaphyſicas*, IIda. *phyſicas* quasdam *repugnantias*, IIItia. *morales indecentias* exhibebit, quas Theiſtæ in Chriſtianis quibusdam dogmatis ſibi deprehendere videntur.

§. I. CLASSIS Ima ARGUMENTORUM. *Difficultates Metaphyſicæ.*

§. 125.

Myſterium SS. Trinitatis impugnatur a Theiſtis. Enimvero, inquit, Theiſta, in hoc principe Chriſtianorum dogmate contradictio nimis quam evidenter incurrit in oculos cum grandi abſurdo. *DEUS idem unus, & trinus eſt;* & quid hoc aliud, niſi quod *idem ſit unus, & idem non ſit unus;* item, quod *idem ſit trinus, & non ſit trinus.* Rurſus veræ ſecundum religionem Chriſtianam ſunt hæ tres propoſitiones: 1ma. *DEUS eſt Pater,* 2da. *DEUS eſt filius;* & tamen vera ſimul eſt hæc 3tia. *Pater non eſt filius.* Si idem DEUS & Pater; ergo *idem eſt filius* (per prop. 2.) & *idem non eſt filius* (per prop. 3.). En primum evidens abſurdum! en contradictionem manifeſtam! Adde vero & hoc alterum, videlicet quod iſtud Myſterium pugnet cum evidenti principio, quod fundat formam univerſam ar-

tis ſyllogiſticæ, nimirum: *quæcunque ſunt eadem uni eidemque tertio, etiam eadem ſunt inter.* Vi huius principii evidenter concludit hic ſyllogiſmus: *Socrates eſt philoſophus; idem Socrates eſt homo: ergo aliquis homo eſt philoſophus.* At malus eſt ſecundum Chriſtianæ religionis placita ſyllogiſmus ſequens, licet priori ut ovum ovo ſimilis: *DEUS eſt Pater; DEUS eſt filius: ergo filius eſt Pater.* Hem tibi alterum abſurdum, iuxta evidens atque primum!

Resp. Nihil magis indignum Philoſopho ſolide ac profunde docto, quam præcipiti impetu evidentiam iactare, ubi nec probabilitas quidem fundata ſuppetit. Nonne contradictio illa evidens, quam iactas, flatu oris unico diſiicitur, ſi dicam: *DEUS idem unus eſt ſecundum eſſentiam,* &, *DEUS idem non eſt unus, ſed trinus, ſecundum perſonas.* An hæc contradictoria admittit Logica? Hem! quam vere ſupra (§. 78.) dixi, confundi ſæpe a nobis, quæ revelationis lumen diſtingui debere docet. Confundis tu in DEO eſſentiæ rationem cum ratione perſonæ. At revelatio DEI hæc diſtingui omnino debere affirmat. Age iam, &, ut oſtentatam a te evidentiam defendas, evidenter oſtende, idem eſſe eſſentiam ac perſonam. Contra ego tibi, hæc diverſa eſſe, obvio exemplo facile demonſtro. Homo unus nunquid omnimodis ſpectatus non niſi *una perſona* prorſus indiviſibilis eſt, & tamen perſona hæc ex duabus eſſentiis, corpore nimirum & mente, non diſtinctis, modo ſed prorſus diſſimilibus, conſtat. Rurſus, quod in ente intellectuali perſona, hoc in ente non intelligente *ſuppoſitum* vocamus. Iam rurſus *omne corpus unum ſuppoſitum* eſt, & nihilominus idem ex elementorum ſimplicium innumerabilium eſſentiis diſtinctis conſtat. Hem! ut evidentiſſimum eſt, *perſonam*

(vel

(vel ſuppoſitum) *& eſſentiam rei idem non eſſe*, & male omnino inter ſe confundi.

Haud minore iam evidentia facillime oſtendam, SS. Trinitatis Myſterium nihil admodum cum obiecto a te principio Metaphyſico pugnare. Aut num alio ſenſu id principium ab Philoſophorum aliquo aſſertum eſt, quam iſto: *eſſe eandem rem ea, quæ ſunt eadem res cum eodem tertio?* Contra quis aſſerere adhuc auſus eſt, *quod, quæ ſunt eadem res cum eodem tertio, ſint vel cum eodem, vel inter ſe, etiam una eademque perſona?* vel *quod, quæ eadem ſunt perſona, aut unum ſuppoſitum, cum eodem tertio, ſint etiam eadem res inter ſe?* Nemo hoc ſane bonus Logicus concludat; niſi qui, confundens perſonam cum re, ſive cum eſſentia, idem dixerit eſſe perſonam atque eſſentiam: quod eſſe falſum, modo cum evidentia demonſtravi. Applica iam principium tuum, primo illo ac germano ſenſu acceptum, ſyllogiſmo tuo; & videbis recte illum concludere hoc modo: *DEUS eſt una eademque res cum Patre, idem DEUS eſt una eademque res cum Filio, ergo Filius eſt una eademque res cum Patre.* Hem tibi ipſiſſimum Chriſtianum dogma, prout a DEO revelatum credimus? Contra nullo vero ſenſu ſyllogiſmus ille intelligi de identitate perſonali poteſt; neque apta eſſet propoſitio: *DEUS eſt una perſona cum Filio.* Sive enim vox *DEUS* pro ſola *eſſentia* ſumitur? & tunc, cum eſſentia ſecundum ſe ſimpliciter non ſit perſona (ſecus in DEO deberent aſſeri perſonæ omnino *quatuor*) ſenſus propoſitionis alius non eſt, quam *DEUM* vel eſſentiam divinam, *eſſe unam rem cum perſona filii.* Sive vox *DEUS* ſumitur pro *perſona* divina? & tunc ſenſus alius eſſe non poteſt, quam: *aliqua perſona divina eſt una eademque perſona cum filio;* ſicque ob

medium terminum non diſtributum male concludet ſyllogiſmus? Vel demum, ſi vox *DEUS* ſumatur pro omnibus tribus perſonis ſimul, ſyllogiſmus obiectus evadet ſimilis huic: *Complexum ex quatuor elementis eſt ignis: complexum ex quatuor elementis eſt aqua: ergo aqua eſt ignis.* Ecce! quo tua nos evidentia ducat. Hinc etſi ut veriſſimas admittamus propoſitiones iſtas, *DEUS eſt filius, Pater divinus non eſt filius;* tamen quod affirmatur de DEO, ſeu eſſentia, longe aliud eſt, quam quod negatur de Patre; & ſenſus ex mente religionis Chriſtianæ ſemper eſt: *DEUS*, ſive eſſentia divina, *eſt una eademque res cum Filio: Pater divinus* tamen *non eſt eadem perſona cum Filio divino.* Ubi vides, *affirmari* de eſſentia divina identitatem rei, ſeu realem, cum Filio, & *negari* de Patre identitatem Perſonæ, ſeu perſonalem, cum filio. Iam vero, ſicut *res* & *perſona* prorſus conceptu toto differunt; ſic & *identitas realis* & *identitas perſonalis* diverſiſſima ſunt. Ut quædam re, ſive realiter, ut loquimur, diſtinguantur, ſtricte ſic unum de altero poſſe negari oportet, ut vi criterii veritatis propoſitionum negativarum (vide Logicam meam §. 173.) in uno, quod pro ſubiecto propoſitionis aſſumitur, vere a parte rei contineatur negatio alterius, vices prædicati agentis; ut ſi dico: *Petrus non eſt Paulus.* Iam vero certum ſecundum ipſam Chriſtianam religionem eſt, in hac propoſitione, *Pater non eſt filius*, neutiquam ſupponi, Patrem divinum in ſuo conceptu complecti vere a parte rei negationem filii; ſecus enim ob evidentem contradictionem non perſona tantum, ſed re a Filio diſtingui diceretur.

Puto iam ſatis te advertere, Theiſta mi! aſſertionem evidentiæ in abſurdo a te præcipitatam fuiſſe,

fuiſſe, quod huic Myſterio opponebas. Attamen claritatem a me maiorem adhuc deſideras. Velles ope diſtinctæ definitionis, quid inter *perſonam* & *eſſentiam* interſit diſcriminis, a me dilucide explicari. Aſt memineris, fidem a te, non claram intelligentiam, poſtulari. Diſtingui illa inter ſe evidens eſt. Ergo iam non habes, quod ſalva mentis rectitudine divino teſtimonio opponas, tres in una DEI eſſentia perſonas aſſerenti. Quodſi tamen, non iam impugnandi ſtudio, ſed, quoad humanæ mentis hebetudini permiſſum eſt, intimius hoc Myſterium noſcendi deſiderio, explicationem a me petas; magna reverentia in ſcrutanda eius Maieſtate opus erit; ne ab illius gloria, ut dictum, opprimaris. Hoc præmiſſo monito dabo primum Myſterii ipſius explicationem, deinde etiam rationem diſtinctionis perſonarum, & perſonæ ab eſſentia diſcrimen, ut potero, explanabo. Sed iſthic iam non litigioſum, ſed docilem te habere volo.

DEI itaque nomen illud tam abſconditum, & myſteriis plenum, quod Sapiens Prov. 30. 4. edoceri avidiſſime expetiit, IESUS Chriſtus nos docuit eſſe nomen *Patris*, eo profundo ſenſu acceptum, quo repræſentet primam veritatem ſe ipſam intuentem, quæ eo intuitu evadat Pater Filii, ſibi æqualis, qui non ſit niſi Verbum & Sapientia Patris iſtius, quam ille ab æterno generet contemplando ſe ipſum; quodque Verbum internum, ceu reflexa ſimul & perfectiſſima totius veritatis illius cognitio, ſit imago adæquata Patris, eiusque filius unicus, *ſplendor gloriæ, & figura ſubſtantiæ.* Hebr. 1. 3. Hic Pater & Filius in amorem mutuum erumpentes, ſimul una ab æterno producunt Spiritum ſanctum; qui non eſt niſi mutuus ille amor

Patris & Filii, itidem infinitæ illorum amabilitati commenſuratus, quo ambo inter ſe uniuntur. Ecce tibi breviſſimam ſynopſin ſummi omnium Myſterii! Quid iam in hoc tibi repugnans admodum videtur? An DEUS, idea & conſcientia infinita omnis boni, reflexe intueri ſe ipſum non poterit? An talis intuitus ſui ipſius obiecti infinitudini non erit adæquatus? En tibi neceſſitatem æternæ generationis Verbi in DEO! quod, quia ipſum intellectivum eſt, Filius dicetur. Porro an ex hac nova & reflexa ſui inſpectione non ſequetur gaudium itidem reflexum? quod ſine prævio illo intuitu reflexo locum non haberet. Filius ergo unum cum Patre adæquatum principium eſt Spiritus Sancti, qui, ut amor amabilitati obiecti ſui infiniti adæquatus, & ipſe in genere amoris erit infinitus. Non tamen amor iſte *filius* dici poterit, quia hoc nomen non ratione appetitionis, ſed intellectionis tribuitur. Ecce tibi iam totum ſublime illud Trinitatis Myſterium! in quo unam eſſe eſſentiam dicimus; quia unum tantummodo primum in hoc ente infinito, & una ſumma res; in qua ob infinitudinem, negationes omnes excludentem, realis nulla diſtinctio habet locum. Tenemus, ſimul tres eſſe perſonas, quarum primam, ideam nempe illam & conſcientiam omnis boni, infinite iam in ſuo genere perfectam, ſimulque ſui ipſius intellectivam (i. e. facultate ſe totam reflexe intuendi præditam) *Patrem* vocamus; intellectionem ipſam, reflexam, quæ totam Patris cognoſcibilitatem exhaurit, *filium* dicimus; amorem item reflexum ex utroque orientem *Spiritum Sanctum*. Dicimus tres perſonas; non quod ſint tres res diſtinctæ; *una enim eſt in DEO ſumma res* (teſte Concilio Lateranenſi IIItio œcumenico): ſed quia tres ſunt in DEO ſtatus conſtantes diverſi, ſeu totidem

dem ſubſiſtentiæ, ratione originis diverſæ. Pater enim nullam originem a ſe & ab eſſentia ſua diverſam habet; filius ex patre, tanquam exiſtendi principio, naſcitur; Spiritus Sanctus ex Patre ſimul & filio, tanquam ex uno adæquato principio, exiſtit. Unde diſtinctio perſonarum identitati reali, qua tres Perſonæ ſunt una res, non opponitur. Diſtinctio enim rerum & multiplicitas ex eorum contradictione in aliqua nota naſcitur, quæ res diſtinctæ dicuntur. Vide Ontologiam a me editam §. 61. Talis rerum diſtinctio in DEO etſi in perſonis trino, locum non habet; quia nulla perſona alteri contradicit, vel alterius negationem in ſuo conceptu continet. Contra diſtinctio perſonarum ex diverſitate ſtatuum conſtantium, ſeu ſubſiſtentiarum, naſcitur; quarum quævis aliam originem, ſeu exiſtendi rationem ſufficientem diverſam habet.

Myſterium hoc detegere in DEO humanus intellectus, ſibi relictus, nunquum valuiſſet: At poſtquam *DEI filius, qui eſt in ſinu Patris,* id *nobis enarravit* (Ioan. I. 18.), ſimulque DEI revelatione Gen. I. 26. diſcimus, hominem ad DEI unius & trini imaginem factum eſſe; enimvero ſilentio ſenſibus noſtris impoſito cum in intima mentis noſtræ nos recipimus obtutu noſtro, ubi, quod in ſpiritu noſtro contingit, cominus intuemur, mox imaginem illam Trinitatis detegimus; quam adoramus. Mens enim noſtra res extra ſe poſitas, in ideis repræſentatas, ſenſu interno primum omnium intuetur, ſui ipſius veluti adhuc ignara (§.54.Log.). Mox reflexe ope ſenſus intimi ſe ipſam & primam illam conſcientiam rerum extra ſe poſitarum intuens, in ipſo hoc reflexo ſui intuitu quamdam ſui ipſius imaginem, & quaſi filium quemdam producit;

Digitized by Google

ducit; quæ mentis ſe ipſam intuentis imago ideam quamdam nobis præbet Filii DEI concepti ab æterno in ſinu Patris cœleſtis. Inde eſt, quod hic Filius DEI nomine *Verbi* deſignetur; ut intelligamus videlicet illum naſci in ſinu Patris, non eo modo, quo corpora naſcuntur, ſed quemadmodum in ſpiritu mentis noſtræ exiſtit verbum illud internum, & ſenſatio intima, qua mens ſe ipſam intuetur, ſuique conſcia eſt. Vide Greg. Naz. orat. 36. Auguſt. de Trinit. IX. 4. & ſeq. & in Ioan. Ev. tr. I. &c. &c., item de Civit. XI. 26. 27. 28. Præterea mentis noſtræ fœcunditas non exhauritur interno illo verbo, illa ſui ipſius imagine intellectuali, quam ex ſe ipſa effingit. Amamus enim & verbum iſtud interius & ſpiritum noſtrum, in quo illud naſcitur, & tam in illa noſtri imagine, quam in nobis ipſis complacemus nobis; hæcque complacentia, ſeu gaudium, illud eſt, quo velut nobis ipſis mediante imagine illa, ſeu verbo interno, fruimur, & unimur. Hoc porro ipſiſſimo modo, quoad ſimilitudo DEUM inter & hominem locum habet, in DEO procedit amor ille æternus, ex Patre videlicet ſe ipſum intuente, & ex Filio, qui eſt intuitus & imago Patris, amplectens quaſi una ſimul & Patrem & Filium, conſtituensque communem utrique vitam & beatitudinem infinite perfectam. Nec tamen in mente noſtra idcirco, ſicut in DEO, tres quoque perſonæ diſtingui poſſunt. Perſona enim conſtans quidam ſe ſubſtantiæ intellectualis ſtatus (ſeu ſubſiſtentia) eſt, & immutabilis: mentis vero noſtræ imago illa, ſeu verbum internum, tranſiens eſt, & in horas mutatur. Similitudo tamen in eo præcipue conſiſtit; quod verbum iſtud mentis humanæ, iuxta ac gaudium illud, etſi omnino ſtatus quidam ſit mentis, a mente ipſa diverſus, & ratione originis a mente ipſa diſtin-

Digitized by Google

diſtinctus, tamen communem unam cum mente ipſa naturam habeat, nec re diſtinguatur a mente (quî enim ineſſe menti poſſet, ſi contradictione aliqua ab hâc diſtingueretur?) ſed unam aliquam rem cum ipſa conficiat. Aliud quoque inter DEUM & mentem noſtram diſcrimen in eo conſiſtit, quod mens humana illo interno verbo, ceu ſui imagine, vel intuitu prolato, in hoc vitæ terreſtris ſtatu neutiquam omnem ſui cognoſcibilitatem exhauriat, nec adeo imaginem ſui perfectam, ſibique æqualem, producat (quis enim in hac vita unquam ſpiritum ſuum immediate & ex integro pernoſcit?) unde nec gaudium ex tali imagine naſcens integræ amabilitati & nobilitati mentis noſtræ commenſuratum, aut æquale eſſe poteſt. Ex adverſo DEI Filius eſt intuitus & imago Patris ſui perfecta, & infinitæ illius veritati commenſurata: ex quo & amor neceſſario infinitus, eiusdemque ſimul & Filii amabilitati commenſuratus naſcitur. Filius, ut imago viva & intellectualis Patris totum id repræſentat, quod eſt in Patre, & S. Spiritus amat id ipſum totum ex integro, & quod in Patre eſt, & quod de Patre a Filio repræſentatur. Singuli ergo in ſua ſphæra infinite perfecti ſunt, & æquales; cum Filius totum, quod in Patre eſt, repræſentatione, & Spiritus Sanctus totum, quod ineſt utrique, amando complectatur. Pater tamen ſola origine prior filio, & uterque Spiritu Sancto; omnes autem tres ſimul unum illud ens ſummum conſtituunt infinite bonum, & abſolute beatum. Sublimia hæc quidem ſunt, & nihilominus re, quam explicare contendimus, inferiora: attamen nihil uſpiam inter ſe pugnantia, imo nec magis paradoxa, quam ſint ea, quæ Theiſta ipſe, & quivis non Atheus Philoſophus in combinanda DEI libertate cum perfectionibus ceteris ſibi ſumere explicanda debet.

§. 126.

Myſterium Incarnationis Verbi Theiſtis impugnantibus explicatur. Quis fieri poſſe mente concipiat, inquit Theiſta, DEUM cum homine in unum idemque ſuppoſitum compoſitione veraque unione phyſica coniungi? Atqui hoc ipſum rurſus capitale Chriſtianæ religionis dogma eſt? DEUS homo, immutabilis ac infinite perfectus mille viciſſitudinibus & miſeriis ſubiectus, nonne pugnantia hæc prorſus enuntiant?

Reſp. Edic, quisquis ita garris e Theiſtarum tribu! an mentis humanæ cum corpore unionem & commercium penitus comprehendis? Fateris fortaſſe cum magno illo heroe ac contribuli tuo, D. Iean Iacque Rouſſeau, te omnem iſtam mentis & corporis humani œconomiam, & ſubſtantiarum tam diſparatarum harmoniam magnopere ignorare? Et qui terreſtria homo ipſe terreſtris ac miſer ignoras, quod minus etiam cœleſtia, imo & divina, perſpicias, iſthæc continuo negare auſis? Quæ impudens magis temeritas cogitari poteſt? Atqui affirmo equidem tibi, in illo mentis & corporis noſtri commercio æque iſtius Incarnationis divinæ Myſterii, atque in ſola mente noſtra SS. Trinitatis, congruam aliquam imaginem reperiri. Commercii, quod mentem inter & corpus noſtrum intercedit, explicationem iſthic dare ſuperſedeo, in Pſychologia mea §. 369. ſeqq. ſat convenienter a me datam, nî fallor. Illuc curioſitatem tuam, ſi Philoſophus es, remitto. Imaginem vero divini illius commercii Verbum inter & humanitatem IESU Chriſti iſthic tibi repræſento.

Itaque unio corporis & mentis noſtræ ex intima mentis in illo præſentia atque ex orta hinc proxima & ſtabili facultate in ſe mutuo agendi naſcitur.

tur. Quemadmodum enim unio Logica, vel moralis, ex ſimilitudine, vel conſenſione animorum, ſic unio phyſica ex concurſu plurium ſubſtantiarum ad recipiendam ſtabilem aliquam unius ab altera actionem exoritur. Subſtantias porro maxime diſſimiles ad id genus unionem phyſicam concurrere ſubinde poſſe, appoſitum ſane in noſtra natura exemplum habemus. Mens enim noſtra ſimplex omnino, ſpiritualis, & incorruptibilis, cum corpore compoſito, materiali, & corruptibili concurrit ad unum eiusmodi compoſitum phyſicum formandum, cuiusmodi homo eſt, ſpirituale ſimul & corporeum, corruptibile & incorruptibile, intelligens & animale. Conveniunt attributa hæc in ſpeciem oppoſita toti compoſito, ſed quodvis reſpectu ad diverſas illas compoſiti huius partes habito. Iam vero ſimilem in modum nos Chriſtiani, DEI ipſius revelatione docti, credimus, divinum illud Verbum, de quo §. præc., uniri, atque unum evadere compoſitum phyſicum cum SS. Humanitate IESU Chriſti; quatenus vi decreti divini Verbum illud divinum Humanitati iſti ſit perpetuo applicatum virtute ſua ad exercendas in ipſa ſtabiles actiones, ſic ut mediante phyſica hac unione IESUS Chriſtus unum ſit compoſitum Theandricum, ex DEO & homine ſimul, idemque ſimul ſit genitus ab æterno in ſinu Patris divini, & generatus in tempore a Virgine matre, ſemper vivens cum DEO Patre & Spiritu Sancto, & mortuus pro noſtra ſalute in ligno crucis. Verum & hæc attributa oppoſita non ex æquo ratione utriusque naturæ illi congruunt, ſed illa quidem divinæ, hæc humanæ naturæ intuitu. Præterea id diſcriminis inter mentis & corporis humani atque inter naturæ divinæ & humanæ in Chriſto commercium intercedit, quod illud, non item iſtud

mutuum

Digitized by Google

mutuum ſit. In illo mens iuxta a corpore, ac corpus a mente actionem ac mutationem recipit: at in iſto humanæ & divinæ naturæ commercio humanitas IESU Chriſti Divinitatis influxibus perpetuo beatur: ſed ipſa nihil viciſſim actione ſua in divinam Verbi Perſonam poteſt, ceu mutationis recipiendæ ac novæ perfectionis prorſus incapacem. Itaque humana natura in IESU Chriſto immenſum elevatur, nec tamen Verbum divinum ullo pacto deprimitur; quippe quod abſque ulla ſui mutatione ſemper & ex integro humanæ naturæ in illo præſidet, ac dominatur. Inde iam eſt, quod in IESU Chriſto ipſa quoque humanitas, directioni Verbi, a quo ſuſcipitur, integre ſubiecta, non edat ullas humanas actiones, quæ non ſimul divinæ perſonæ, tanquam agenti principio, propriæ ſint. Quidquid illa cogitat, quidquid vult, quidquid loquitur, quidquid agit, animatur a Verbo, dirigitur lumine Verbi, & hoc ipſo non niſi talè eſt, quod ſit dignum DEI Verbo auctore, hoc eſt, dignum ſapientia illa infinita, & ipſa veritate. Hem tibi, mi Theiſta, totam excellentiam Magiſtri religionis noſtræ! & vide ſis, an non aſſenſum ille noſtrum mereatur.

§. II.

CLASSIS ARGUMENTORUM IIda.

Repugnantiæ phyſicæ.

§. 127.

Myſterium SS. Euchariſtiæ impugnatur, & defenditur. Quid vel cogitari poteſt, vel ad nomen huius Myſterii exclamat Theiſta; quid, inquam, vel cogitari poteſt, quod ſenſus iuxta atque intellectum

lectum magis torqueat Chriſtiano iſthoc dogmate? 1mo. Natura ipſa, iſtiusque auctor DEUS, ſenſus mihi magiſtros dedit, quos in iudiciis ferendis de rebus corporeis & phyſicis ſine ullo periculo ſequi poſſem. Iam vero hic omnes illos ſimul ac ſemel falſi iubeor arguere, eisque fidem abiudicare. Iubeor credere, non eſſe ibi panem & vinum, ubi video, ubi tango, ubi olfacio, ubi guſto. 2do. Sed minima ſunt hæc in iſto myſterio. Inſuper corpus hominis ac viri adeſſe ſub hoſtiæ atomum compactum, partes iſtius inter ſe compenetratas, ſimulque idem corpus in millione locorum maxime diſtantium eodem momento vere exiſtere toties videlicet replicatum, fide indubitata credere adſtringor. Quæ hæc paradoxa? Quis poſſibilia hæc omnia eſſe demonſtrabit mihi?

Reſp. Imo vero: cur non tu hæc eadem DEO eſſe impoſſibilia demonſtras mihi? Cur non contradictiones tuas iſthæc expromis? Enimvero miraculis totaque omnipotentis virtute ad hæc opus eſſe, nos Chriſtiani fatemur omnes. At hæc ipſa omnia miracula editurum ſe promiſit IESUS Chriſtus verbis clariſſimis? An ille fidem a nobis non promeretur, ſi DEUS eſt?

Ad primum itaque reponimus, nos omnino ipſos ultro fateri, tuto nos homines ſenſuum teſtimonio duci, quamdiu altior DEI virtus rerum corporearum in organa noſtra ſenſoria actionibus ſua ſe operatione non immiſcet. At num fieri nequeat, ut ſublato etiam pane & vino, quod modo aderat, DEUS propria virtute iſtius in organa ſenſoria operationes ſuppleat, eademque ſic prorſus, atque ipſe panis ac vinum vere præſens, afficiat? Num DEUS ſic nos forte decipere erit dicendus: cum ipſe operationis iſtius ſuæ tam apertis verbis

nos

nos admonet? An finis dignus illius ſors ſapientiæ non ſuppetit, ſic veluti nobiſcum amice ludendi? Aut num aliquod cogitari amoris inventum poteſt, quo amabiliorem nobis viciſſim hac adhuc in vita ſe præbeat, hoc ipſo Myſterio? ſi vere ita iſtud ſe habeat, ut germani Chriſtiani credunt. An ſaltem hoc ſenſuum noſtrorum ſacrificium, infinitæ veracitati ſuæ præſtandum, poſtulare a nobis iure non poteſt?

Ad alterum quod attinet, rurſum a Theiſtis, contradictionem quamdam ut nobis exhibeant, quæ in compenetratione, & replicatione corporum, neceſſitate abſoluta interveniat, poſtulamus. Neutiquam enim huius virtute replicationis verum eſt, *corpus IESU Chriſti eodem momento eſſe ſimul & non eſſe vere præſens in omnibus locis, ubi panis a Sacerdote conſecratur.* Neutiquam verum *idem Chriſti corpus eſſe unum, & non eſſe unum, eſſe hic & non eſſe hic &c.* Neutiquam etiam verum eſt ratione compenetrationis (quam tamen admittere nihil eſt quod cogat in hoc Myſterio, ut mox dicemus) *partes corporis compenetratas eſſe diſtinctas inter ſe, & non eſſe diſtinctas &c. &c.* Patet hoc totum ex diſtincta *loci* notione, quæ in hodierna Ontologia traditur. *Locus* enim aliud non eſt niſi diſcrimen extrinſecum plurium ſubſtantiarum coëxiſtentium in modo coëxiſtendi. Vide Ontol. §. 158. Quæ vero iam contradictio in hoc, quod *duo realiter diſtincta coëxiſtant ſine diſcrimine extrinſeco in modo coëxiſtendi?* An per abſentiam iſtius diſcriminis extrinſeci diſtinctio realis tollitur, quæ in diſcrimine notarum intrinſeco conſiſtit (§. 61. Ontol.)? Atqui *compenetratio* non niſi in abſentia iſtiusmodi diſcriminis extrinſeci conſiſtit (§. 157. & 173. Ontol.). Rurſus quæ contradictio in hoc, *quod*

Digitized by Google

quod unum idemque ens quodcunque pluribus modis & cum diverſo diſcrimine extrinſeco aliis coexiſtat? An plura diſcrimina extrinſeca, quæ nihil in notis rebus intrinſecis mutant, ſed rationem ſufficientem prorſus extrinſecam habent (§. 161. II. Ontol.), rei unitatem, ſive identitatem, tollunt? Atqui *replicatio* non eſt niſi coëxiſtentia unius entis cum multiplici extrinſeco diſcrimine coëxiſtendi reſpectu aliorum coëxiſtentium (§. 167. & 173. Ontol.). Difficulter iſthæc imaginatio capit; at ingenium philoſophicum certe contradictionem in his nuſpiam detegit. Quodſi ergo DEI infinita veracitas talia nobis a ſe facta atteſtetur; quis niſi temerarius fidem abiudicet?

Sed denique & illud notandum eſt, *modum*, quo IESUS Chriſtus in conſecratis quibusque hoſtiis ubivis locorum vere ac cum omni humanitatis ac divinitatis ſuæ ſubſtantia præſens eſt, ad dogma Chriſtianæ fidei non pertinere. Quod *compenetratione* corpus Chriſti Domini in minutias illas compingatur, adeo Chriſti Eccleſia non docet; ut potius communis ſcholarum teſte Bellarmino (de Evchariſt. lib. III. c. 5.) ſententia ſit, ſine detrimento figuræ & magnitudinis corpus totum Chriſti Domini in Evchariſtiæ Sacramento adeſſe; etſi non minus communiter fortaſſe alii doceant, corpus Chriſti, ſine compenetratione quidem, in arctius tamen ſpatium ſalva figura compingi. Philoſophi Neutoniani & Boſchovichiani nullam certe compenetrationem admittere neceſſe habent; quibus ſpatium, non item corpus quodque, ſine fine diviſibile eſt. Sed nec aliis eo confugere opus eſt, qui elementa corporum ſecundum ſtatum naturalem ſemper discontigua eſſe admittunt, quin infinitæ ſpatii diviſibilitati adſtipulen-

pulentur. Iuxta omnes iſtos ſalva figura & ordine partium corpus Domini in ſpatium omni ſenſibili atomo multo arctius citra omnem compenetrationem compingi poterit. De *replicatione* quid dicam? Certum eſt, ab omnibus ſcholis Catholicis ſimul & Chriſtianis eam huc uſque circa IESU Chriſti in tot remotiſſimis locis conſtantem atque continuam præſentiam ceu quiddam cum dogmate connexum fuiſſe aſſertam. Qui ſcholarum unanimis conſenſus pæne vox ipſa Chriſti Eccleſiæ eſſe videtur; cui nemo ſine gravi temeritate contradicere auſit.

§. 128.

Ignis inferni ſpiritus damnatorum torquentis dogma non eſſe repugnans Theiſtis oſtenditur. Docet Chriſtiana religio, *inquiunt*, ſpiritum hominis a corpore ſeparatum, ob gravia in vita perpetrata flagitia in locis infernis vero igne torqueri. Atqui omnium doctorum confeſſio eſt, atque fuit omni hominum ætate, iſtud quî fieri queat, omnem captum excedere. Sic improvidus Theiſta, omnis oblitus Philoſophiæ ſuæ argutatur.

Reſp. Itane vero? Ergo, quod explicare rei iſtius modum nec tu, nec plurimi tecum noverint, rem ipſam, DEO licet aſſerente, non eſſe poſſibilem continuo ſtatues. Edic vero: an facilius tibi eſt, quî corporis aduſti dolorem mens ipſa huic coniuncta ſentiat, modum diſtincte explicare? An vero idcirco ex uſtione corporis mentem poſſe cruciari negabis? Fateris forte, neſcire te, quomodo mentis & corporis commercium mutuum in hac vita ad captum explicari queat; eo quod corporis in ſpiritum actionem capere nequeas? An autem ipſam veritatem idcirco commercii iſtius

voca-

Digitized by Google

vocabis in dubium? DEUM fortaſſe ex machina advocare cum Carteſianis putas eſſe neceſſe ad originem intelligendam mutationum, quæ vi illius commercii cunctis viciſſitudinibus corporis in mente ad amuſſim reſpondent? Quippenî vero DEUS in inferis id ipſum actionis genus in mente ad præſentiam ignis inferni, abſente licet corpore, valeat exercere, quod modo ſecundum te in eam exercet igne corpus fortuito adurente? An vero harmoniam præſtabilire inter corpus & animum cum Leibnitio & Wolfio magis lubet? Mirum, ſi ſententia iſthac animo ſtante minus poſſibilis adhuc tibi ignis pœna animum torquens poſt hanc vitam, quam vita durante, videri queat. Quodſi demum influxum, mutuum præcipue, animi & corporis admittas, quem admitti recte, in Pſychologia mea ſatis, nî fallor, oſtendi (§§. 43. ſeqq. 369. ſeqq.), profecto minus adhuc credere detrectabis, poſſibile omnino eſſe, ut infelices illi inferni carceris inquilini ſecundum magni Auguſtini dictum *miris* quidem *ſed veris modis* ab eius igne crucientur. Diſtinctius iſta dicere volentis ori Harpocrates digitum imponit.

§. III.

CLASSIS IIItia. ARGUMENTORUM.

Abſurda moralia.

§. 129.

Myſterium Crucis defenditur a ſtultitiæ præiudicio adverſus gentiles Philoſophos. Quod de ſua ætate pridem Apoſtolus deploravit, id noſtro etiam ævo dolemus, ſcilicet hominibus ingenio tumidis, qui evanuerunt ſemel in cogitationibus ſuis, & guſtum

guſtum illuſtrem ſublimium virtutum amiſere, Myſterium Crucis ſtultitiam videri non minus, quam ſcandalum olim Iudæis erat illum crucifixum intueri, quem paulo ante pæne iam ut ſuum adoraverant Meſſiam. Quantum hoc abſurdum! exclamant; DEUS Homo non ſolum cunctis humanæ conditionis imbecillitatibus ſubiectus, ſed inſuper pravarum affectionum & extremæ iniuſtitiæ humanæ victima!

Reſp. Nos vero, & quicunque vocati ad veritatis agnitionem ſumus, audacter cum Apoſtolo 1. Cor. 1. 23. prædicamus, IESUM CHRISTUM DEI VIRTUTEM ET SAPIENTIAM eſſe. Nonne vel ipſi, qui ex heroibus gentilium maxime eximii, & ex ſapientibus omnium principes fuere, cum Platone & Seneca ſummis omnium Philoſophis, ſenſere, nihil eſſe excellentius, nihil maius, quod humanæ virtutis modus capere & ſuſtinere uſquam poſſit, quam ſumma virtus cum iniquiſſima omnium fortuna compoſita? Aut num altioris virtutis idea fingi vel mente poteſt, quam cui nihil omnino ſuppetit præter ſe ipſam ac Numen ſupremum, ad quod reſpicere, vel inclinari, in hac vita queat? Quæ nihil aliud mercedis ab ingratis hominibus quam novas ſemper inſectationes ferens, haud benefacere tamen idcirco unquam eisdem deſinat; dum benefactis ipſis demum malum ultimum conſciſcat ſibi? En tibi virtutis iſtius, fruſtra alibi inquirendæ, exemplum denique in IESU Chriſto præſens! Moritur is, qui pertranſibat bene faciendo omnibus, moritur, inquam, extrema ignominia notatus, & ultimis ſuppliciis, maioribus vero adhuc odiis ex hominum conſortio exturbatus. Nullum omnino grati animi officium a clientibus, nullam ab amicis ſignificationem fidei,

nullam

Digitized by Google

nullam æquitatis cuiuscunque ſpeciem a Iudicibus, ne commiſerationis quidem affectum ullum, qui vel malefactoribus peſſimis vulgo impendi ſolet, a ſuæ necis ſpectatoribus ſortitur. DEUS ipſe Pater nullum Filio, in ſe uno confidenti, ipſius unice nutibus implendis omnibus intento, vel protectionis ſuæ indicium, vel approbatæ a ſe virtutis eius ſolatium, impendit. Moritur iuſtus, inimicorum internecinorum furori traditus, & a DEO ſimul ac hominibus derelictus. Fruſtra virtus iſta ab incurvis hominum in terram animis homagium, fruſtra iuſtæ æſtimationis pretium expectaſſet, Fortaſſis illa cum ieiunis illis gentilium heroum exemplis & factis grandibus ſine imitatione in oblivionis pulvere ſepulta brevi ab omnibus fuiſſet, Nonne dignum DEI bonitate & ſapientia erat iuſtum ei ſplendorem, nomen indelebile, & congruam apud homines non æſtimationem ſolum, ſed frequentes etiam imitatores conciliare? Quo alio iſtud remedio potentiore effectum dare, qua magis ratione ſuam, quam iudicio falli neſcio fovebat DEUS ipſe, pulcerrimæ virtutis æſtimationem & amorem manifeſtare poterat; qua demum arte illius imitationem hominibus efficacius perſuadere; quam cum ipſe humanitatis iſtius tam ſanctæ, tam ſuis conſiliis per omnia ardua obſequentis, ſubſtantiam ſuæ ipſius conſociaret Divinitati, ſicque divinum cunctis eius actionibus ſplendorem ſimul, dignitatem, atque pretium adiungeret. Horreſcis, ô Philoſophe! cum DEUM Hominem vides infirmum, ſcientem paupertatem & miſerias naturæ tuæ, nec habentem, ubi caput reclinet: ad quem vexandum, perſequendum, illudendum, e vivis exturbandum ſapientes & indocti, potentes & infirmi, ſummi atque infimi operam coniungunt. At ſi ob iſta dubitas, an is

Digitized by Google

DEUS eſſe poſſit; cur non vitæ eius innocentiam attendis, excellentiam doctrinæ, divinam illa inter mala ultima conſtantiam? Vide ſis fortitudinem humana maiorem, qua mediis in tormentis ſuorum cauſſam carnificum tuendam ſuſcipit, exclamans: Pater, dimitte illis: An nihil maius homine in his ſentis? Vide ergo miracula, quibus in vita, in morte, poſt mortem, doctrinam & innocentiam confirmat ſuam, & edic: an etiamnum ſentis divinum nihil? Moritur, ſi crucem ſpectes, inſtar vulgaris hominis. Aſt cur ſol eadem ipſa hora lumen ſubducit ſuum? cur tremuit tellus? cur mortuorum manes relinquunt tumulos? An non niſi homo IESUS Chriſtus eſt, qui die a morte tertia ex condicto denuo reſurgit vivus & incolumis. Subducere ſe non poterat is morti, qui mortuus vitæ ſua virtute ſe reſtituit? An nihil maius homine terreſtri eſt, qui propria poteſtate in ſuorum præſentium oculis, vectus nube, in cœlos triumphans aſcendit? Ecce! ô Philoſophe! quæ componere inter ſe oporteat, ut digna de DEO Homine imago ex actis IESU Chriſti in animo exſurgat, qui defæcatæ virtutis & pulcri ſenſum nondum amiſit.

Sed multo maius arcanum, multo excellentius divinæ Sapientiæ conſilium in crucis IESU Chriſti Myſterio latet, quod tibi detegendum eſt, ſi religionis eius excellentiam & ſublimitatem noſſe intimius exoptes. Offerunt enim in eo ſe virtutis plusquam humanæ officia, quæ non niſi in DEUM Hominem cadere abſolute poterant. Aut quis niſi Homo DEUS ſubſtituere ſeipſum in omnium ſacrificiorum locum poterat, ſeque ipſum offerre victimam valoris, meriti, & dignitatis infinitæ, atque efficere, ut deinceps præter ipſum aliud

aliud offerri DEO honoris, placationis, & obſequii ſacrificium omnino amplius haud opus eſſet? Pater æternus anne homines inter atque angelos obedientiæ obſequium reperire poterat cum eo comparandum, quod dilectus ipſe eius Filius illi exhibet; cum ſuæ ipſius vitæ plenus arbiter, hanc ſponte placito ipſius immolat, ſimulque in humanitate ſua pretium illud offert, quod valorem a divinitate mutuans, reconciliandis cum ipſo hominibus, læſæ ipſius Maieſtatis reis, abundantiſſime ſufficiat? Uncta divinitatis oleo ſanctiſſima illa Humanitas Filii totum humanum genus ſinu complectitur, ſeque ipſam perfectiſſimi holocauſti loco mactans victimam, ſanguine ſuo delet chyrographum peccati noſtri, illud affigens cruci (Coloſſ. 2. 13.), atque una divinæ Iuſtitiæ infinito meritorum ſuorum pretio oblato ex integro ſatisfacit. Hoc amicitiæ intimæ pignore nobiscum devinctus divinus ille naturalis filius, Patremque ſimul ipſum pro obſequio tanto habens debitorem, nos ipſe in fratres ſuos adſciſcit, & filiorum quoque & hæredum adoptionem nobis, non nomine ſolum tenus, ſed reipſa a Patre obtinet. Divinitatis ſuæ ſimul & Humanitatis coniunctæ iure exinde DEUM inter & homines commercium religionis fundat omni mere humano poſſibili cultu immenſum nobilius, & vere dignum DEO; ſedensque ad dextram DEI Patris ſui gubernat Eccleſiam Chriſtianam, velut ſponſam ſuam ſanguine acquiſitam, & dotatam, ſuoque ſpiritu nutrit, & conſervat ad finem uſque ſeculorum.

Profecto tantum abeſt, ut in hoc iuxta ac aliis ſimilibus religionis Chriſtianæ Myſteriis indecorum quid, inutile, aut minus DEO conveniens ſe mihi repræſentet; ut potius tam grande aliquid,

Digitized by Google

tam pulcrum, tam nobile, & DEO conſentaneum ex omni parte in eis detegam; ut non poſſim non fateri, non poſſe quidquam mente concipi, ex quo DEO ipſi Opt. Max. maior gloria, aut maior hominibus honor æque ac ſalus enaſcatur. DEUS bone! quam abiecti ſenſus eſſe homines oportet, qui Potentiæ, Sapientiæ, & bonitatis tuæ hæc tanta prodigia ad tribunal ſuperbæ & vaniſſimæ rationis ſuæ ſtultitiæ accuſant!

§. 130.

Doctrina Catholica de peccato originali a ſiniſtris præiudiciis ſecernitur, & defenditur, Morte infami DEI Hominis ſcilicet opus erat ad expiandum commune nobis hominibus originale peccatum. Quot hic paradoxa? inquit Theiſta. Reum me chriſtiana religio proclamat peccati ante quinquies, vel ſexies, mille annos ab aliquo ex meis progenitoribus admiſſi. Verbo: propter pomum vetitum ab Adamo comeſtum hodiedum pœnas luere dicor; etſi DEI Filii ſanguine iam expiatus; imo ob idem peccatum multa hominum millia, quos baptiſmi aqua non abluit, æternas ac nunquam finiendas luituri pœnas dicuntur. Eſtne hoc abſurdo quid evidentius?

Reſp. Bona verba, amice! Primum omnium, quod Philoſophum cavere oportet, eſt præcipitatio ſententiæ in quæſtione difficili. Paucis religionis noſtræ inimicis, quod huc uſque expertus ſum, catholicæ doctrinæ de peccato originali ſubſtantia ſatis cognita eſt; omnes ferme iſtam cum extraneis, ſcholarum duntaxat propriis, doctrinis, nunquam ab Eccleſia vera IESU Chriſti adoptatis, ſæpius etiam cum hæreticorum veneno confun-

Digitized by Google

fundunt. Hem tibi orthodoxæ fidei chriſtianæ capita de præſente argumento.

1. Sola divina revelatio diſtincte docet, nos homines ad unum omnes ex uno communi parente Adamo natós eſſe.

2. Docet eadem, DEUM pro ſummo arbitrio, quod ipſi in creaturas ſuas rationales non minus, quam ceteras proprium eſt, inviolabili decreto gloriam ab his referendam non aliam, ſed neque aliam illarum beatitudinem, pro fine ultimó creationis earundem conſtituiſſe, quam quæ utraque mere naturali maior eſſet, nec in *ſervi* duntaxat, ſed in *amici* obſequio & prœmio conſiſteret.

3. Statuiſſe idcirco duo homini cuique naſcituro privilegia, illi amicitiæ divinæ ſtatui congrua, attamen naturæ hominis nullo pacto per ſe debita, ea conditione conferre; ſi primus omnium hominum parens leviſſimo quodam obedientiæ genere, abſtinentia nimirum a vetito ſibi quodam pomi genere, tum DEO fidele obſequium probaret, tum omnibus poſteris ſuis iſtud ad privilegia illa ius, ex DEI promiſſo ortum, in perpetuum firmaret. *Primum ex privilegiis* iſtis remoturum erat ab homine corporis atque mentis naturales quasdam imbecillitates, morbos videlicet cum morte, atque inprimis allatarum eam ſenſitivi appetitus adverſus rationis imperium ſubordinationem, quæ pravos concupiſcentiæ motus, rectæ rationis iudicium prævenientes, ceu præcipuum peccati incitamentum, omnino tolleret. Quemadmodum porro ſenſitivi appetitus inordinatio iſta ex vehementi impreſſione ac titillatione carnis & organorum ſenſoriorum naſcitur; ita carnis ſanitatem quamdam & moderationem ſupponebat; quæ car-

Digitized by Google

nali propagatione ad poſteros tranſeundo, ſimul mentis quoque ſanitatem, a vulnere illo prævenientis concupiſcentiæ immunem, tranſmiſſura erat. Homo tam integer, & recte ordinatas habens omnes facultates ſuas, aptus a DEO iam deinceps habebatur *alterius* illius *privilegii* multo nobilioris, quod in amici dignitate conſiſteret, congruis donis & facultatibus coniuncta; quarum virtute capax reddebatur ad exhibendum DEO cultum, non iam ſervilem tantum, ſed ſublimi illi amicitiæ ſtatui ac dignitati congruentem, pro quo ipſo cultu, reipſa DEO fideliter conſtanterque exhibito, deinceps mercedem item congruam beatitudinis multo altioris ac ſupernaturalis eſſet relaturus.

4. At tranſgreſſus DEI facillimum illud præceptum Adamus, de pomo vetito comedit, atque utroque illo privilegio momento eſt deiectus, unaque ſecum poſteros omnes in eiusdem iacturæ ruinam vi ſancitæ primitus a DEO legis traxit. En modum propagationis vitii iſtius! Supereſt, ut, poſtquam dogma catholicum de peccato originali ſingulis hominibus proprio explicavimus, iam quid ex variis Doctorum & ſcholarum ſententiis circa naturam illius propriam accuratius ſecundum ſcholæ modum definiendam veriſimilius videatur, porro ſubiiciamus.

5. Sententia S. Auguſtini (prout eam refert Edmundus Simonet Tom. I. Tract. V. diſp. 5. art. 9.) hæc eſt: peccatum originale conſiſtere in concupiſcentia (ſive inordinatione facultatis ſenſitivæ n. 3. deſcripta) prout illa nobis a primo inſtanti conceptionis ad vituperium, odium, & aliquod ſupplicii genus imputabilis eſt, non per ſe præciſe, ſed per reatum ab ea diſtinctum & ſeparabilem; qui proinde per baptiſmum tolli poſſit, illa concupi-

cupiſcentia licet remanente, & quo reatu per baptiſmum ſublato deſinit eſſe nobis imputabilis, ſicque deſinit concupiſcentia eſſe peccatum, proprie dictum ſcilicet. Adhuc enim poteſt improprie appellari peccatum; *quod ſit reatu primi hominis facta, & quod rebellando nos trahere nititur ad reatum;* ut dicit Auguſtinus lib. II. contra Iulianum circa medium Epilogi. Vide hanc ipſam mentem Auguſtini expreſſam lib. I. de Nuptiis & concup. cap. 26. & lib. I. de peccat meritis cap. 29. & lib. II. cap. 4. & 34. &c. &c. Ex his iam illud ad dogma pertinet, *reatum illum*, qui culpam originalis peccati immediate conſtituit, *& omnibus hominibus ſingillatim proprium eſſe, & tolli a concupiſcentia eundem reatum proprie dictum in quolibet per ipſum baptiſmum.* Adhuc vero omnes Theologi & ſcholæ quærunt; *in quo præciſe reatus ille originarius proprie dictus, a concupiſcentia ſeparabilis, & per baptiſmum actu ſeparari ſolitus, conſiſtat.* At hæc tota quæſtio ſcholaſtica eſt, a multis varie reſoluta, & ab aliis æque obſcuris quæſtionibus pendens, e. g. ab iſta: *in quo conſiſtit peccatum habituale?* Eſt enim originale illud peccatum utique & ipſum habituale, non actuale.

6. Recentiorum communis ſententia reatum hunc in ipſo peccato actuali Adami conſtituit, quatenus id moraliter cuique proprium eſt, ac ſimul tamdiu proprium habitu manet; donec remittatur per baptiſmum. Vulgo enim iſti peccatum habituale conſtituunt in complexo ex peccato actuali præterito & negatione remiſſionis factæ ſeu per gratuitam condonationem, ſeu per condignam offenſæ compenſationem. Ut vero explicent modum, quo peccatum Adami cuilibet noſtrum ſingillatim *moraliter proprium* fiat; tenent,

Digitized by Google

DEUM ſeu pacto cum Adamo inito, ſeu pro abſoluti dominii poteſtate, Adamo conſcio, vel non conſcio, omnium poſterorum voluntates voluntati Adami ſic incluſiſſe, aut ſubieciſſe, ut, quidquid ipſe voluntate elegiſſet, a nobis volitum DEI æſtimatione haberetur. Concedunt auctores iſti non inviti, vitium illud concupiſcentiæ, ex corrupta carne in cuiusvis poſterorum mente contrahi ſolitum vi propagationis naturalis dici poſſe *materiam peccati originalis*: at *formam* eſſe volunt ipſum peccati Adami moraliter dicto modo cuique proprium, & non remiſſum. Suarius cum aliis materiam in privatione gratiæ iuſtificantis, formam in eodem Adami peccato nobis moraliter proprio conſtituit in I. IIæ. Diſp. IX. Sect. II. num. 25.: quemadmodum & univerſe peccatum habituale in ſtatu ſupernaturali præter dicta ſimul in privatione gratiæ ſanctificantis conſtitui vult ibid. Diſp. VIII. num. 14. Atque hic ipſe ferme conceptus eſt peccati originalis, in quem ſarcaſmos ac ſibila ſua increduli noſtræ ætatis Philoſophi præcipue effundunt, non ſolum graviſſimæ ſummorum Doctorum auctoritati irreverenter inſultantes, ſed meram ſcholæ doctrinam, ceu dogma fidei, ipſi Chriſtianæ religioni affingentes, hancque ipſam hoc nomine infrunito ore irridentes. Sed audiant irreverentes iſti, & non DEI ſacrarium modo a ſcholis & cathedris hominum diſcernere, ſed humanæ etiam auctoritati, vel tunc quoque, cum ab ea diſſentire contingit, ſuum adhuc honorem diſcant habere. Nec mihi, fateor, hæc ſcholæ doctrina probatur, iuxta videlicet, uti integris aliorum Doctorum ſcholis huc uſque inter Chriſtianos catholicos diſplicuit. Sed rationes iſtius ſententiæ meæ dare contentus, nec Chriſtianum dogma numeris præcedentibus explicatum, in dubium vocandi, nec contem-

Digitized by Google

contemnendi Doctores iſtos ius mihi competere exiſtimo; qui in re difficillima quid aſſeruiſſe mihi iuxta atque aliis ſummis viris videntur, quod cum genuino *culpæ*, *arbitrio moraliter proprio admiſſæ*, conceptu combinari omnino non poſſit. Fateor, capere me quoque neutiquam poſſe, quomodo ſic aliena voluntas *moraliter* (i. e. ſic ut mihi ceu auctori morali actus ipſe alienæ voluntatis imputari queat) mihi propria eſſe queat, ſi in illam nulla propria libera actione mea influam, puta, hortando, ſuadendo, præcipiendo, committendo vices meas, vel conſentiendo ſaltem, ut ille operetur; aut meum eſſe volendo, quidquid ille egerit. Cum enim liberum arbitrium radix & fundamentum ſit omnis meriti ac demeriti *actualis*, ſeu quod *actui* cuicunque ineſt; neque *actus* qua talis vere mihi proprius in ordine ad laudem, vel, vituperium, dici poſſit, niſi a me ipſo ut auctore, atque adeo ceu effectus a proprio meo libero arbitrio, ſive ceu a cauſſa phyſica, ſive ceu a cauſſa morali, procedat: idcirco quo demum pacto iſta Doctorum cetera clariſſimorum doctrina ſubſiſtere queat, equidem me fateor non intelligere. Et vero nec ipſi patroni huius ſententiæ unquam induxere in mentem, ut crederent, parvulis in originali peccato natis propria ac perſonali voluntate voluntarium ullo pacto eſſe Adami actuale peccatum. *Omnes Doctores & ſancti Catholici tenent*, affirmat confidenter Durandus in II. diſt. 30, q. 2. num. 6., *& docent tam verbo quam ſcripto, quod peccatum originale in parvulo non eſt voluntarium voluntate vel actu voluntatis perſonalis ipſius parvuli, ſed ſolum a voluntate primi hominis. Unde Auguſtinus, reſpondens Iuliano hæretico de hoc Articulo, dicit, quod peccatum illud a voluntate primi hominis ſeminatum eſt; & in hoc concordant omnes ſancti Doctores, quotquot audivi,*

audivi, & legi. Huc uſque Durandus, qui loc. cit. num. 7. mox ſeq. ulterius communem ſententiam de modo iſtius voluntarii declarat, dicens: *voluntarium autem aliena voluntate eſſe aliquid poteſt dupliciter. Uno modo, quando aliquis proprio conſenſu transſert in alterum ſuam voluntatem, ut quidquid alius egerit, nomine iſtius geſtum ſit: tunc enim quidquid alius agit, reputatur eſſe voluntarium iſti ex præcedente mandato vel conſenſu generali: & hoc dicere de parvulis, qui nondum erant, quaſi proprio actu voluntatis ſuæ præconſenſerint in illud, quod Adam erat facturus, eſſet abſurdum. Alio modo poteſt aliquid dici eſſe voluntarium voluntate aliena, quando voluntas unius dicitur ſeu interpretatur eſſe voluntas alterius; quia unus aliquo modo continetur in alio; ſicut ponitur exemplum ſatis conveniens a doctoribus de milite; cui ſi detur caſtrum pro ſe & filiis, ſi fidelitatem regi ſervaverit, voluntas patris in ſervando, vel non ſervando fidelitatem eſt interpretative voluntas filiorum quoad conſecutionem vel amiſſionem caſtri; quia ſicut eſt ipſi datum non ſolum pro ſe, ſed pro poſteris; ſic ſervat, vel amittit, non ſolum pro ſe, ſed & poſteris. Et hoc modo voluntas Adæ dicitur fuiſſe voluntas omnium poſterorum, qui deſcenſuri erant ab eo per viam naturalis generationis.* Hæc revera eſt communis explicatio illorum Doctorum, qui dicunt, ipſum peccatum Adami nobis eſſe moraliter proprium, ut videre eſt apud Suarez Diſp. IX. de peccat. Sect. II. n. 28.: nec in alia re accuſatur Durandus, niſi quod ex eo, quod originale peccatum non niſi voluntate aliena nobis interpretative tantum propria, nobis voluntarium ſit, intulerit, non poſſe dici in nobis peccatum proprie tale.

At vero nec iſta quidem explicatio magnæ aliorum Catholicorum Doctorum catervæ ſufficere

eſt

Digitized by Google

eſt viſa, ut ipſa *Adami culpa actualis nobis eſſe moraliter propria* diceretur, quorum nomina bene multa apud Laurent. Berti lib. XIII. cap. VI. legere eſt. Sufficiat ex Hiſt. Concil. Trident. Auct. Pallavic. lib. VII. cap. 8. referre, quod, quæſtione mota de modo, quo peccatum originale ad poſteros propagaretur, Ioannes Fonſeca Stabienſis Antiſtes ad declarandum modum illum id ipſum exemplum de caſtro Regis propoſuerit. Subiungit autem Hiſtoricus (n. 5. cap. cit.) continuo. *Quo exemplo non nullis viſum eſt haud plane ſatisfieri propoſitæ declarationi; quippe quod neutiquam declarabat, transmitti poſſe culpam genitoris in poſteros, ſed ſolum pœnam.* Pergit vero continuo Pallavicinus, ſuam ſimul & Thomiſtarum opinionem recenſens, ceu Tridentinis Patribus magis probatam, circa modum, quo ſolo voluntaria nobis originalis macula dici queat. *Revera tamen*, inquit, *ſatis illud erat intentæ a Fonſeca explicationi, per quam ſolum exponere contendebat, quo pacto DEUS ob alterius noxam abſque iniuſtitia multare nos poſſet. Qua vero ratione huiusmodi noxa noſtrum omnium culpa vocetur, alterius eſt quæſtionis.* Negant ergo Thomiſtæ plerique, Auguſtiniani propemodum omnes (teſte P. Berti lib. XIII. cap. 6. num. 15.), nec pauci e Societate noſtra præeunte Vaſquio in Iam. IIæ. S. Thomæ diſp. 132. cap. 9., ob id, quod Adam a DEO caput morale omnium hominum conſtitutus fuerit (eo ſenſu nimirum, quod lata a DEO lege ſancitum fuerit, ut ab eius obedientia, vel inobedientia, originalis iuſtitiæ ad nos eius poſteros transmiſſio, vel iactura penderet) *eius actuale peccatum vere moraliter nobis proprium dici poſſe.* Negant cum præfato Laurentio Berti loc. cit., *DEUM ſic potuiſſe includere voluntatem meam in voluntate primi hominis, ut huius voluntatis cauſſa alienum peccatum vere, ac proprie,*

meum

Digitized by Google

meum ſit. Repugnantia enim eſt rerum, non defectus poteſtatis ſupremæ. Allata exempla (videlicet de principe temporali in voluntate tutoris pupillorum voluntatem includente, aut debita ac vota parentum, in quos filiorum arbitrium translatum eſt, in iſtos tranſire decernente) *nihil prorſus efficiunt, Non poteſt a Magiſtratu pupillorum voluntas transferri in voluntatem tutoris in ordine ad peccandum, ut peccante tutore peccet pupillus; ſed in ordine tantum ad permutationem & alienationem bonorum, atque alia eiusmodi, quæ ſunt penes magiſtratuum iurisdictionem. Ita peccante patre exilio multatur filius, quoniam natus eſt a parente, quem a ſua ditione princeps expulit; & exilium eſt filio conditio nativitatis, non proprii pœna peccati. Princeps enim non poteſt efficere, ut filius habeat in ſe homicidii aut ſeditionis reatum. Viſum proinde eſt Tridentinis Patribus, exempla, quæ obiiciuntur, demonſtrare in poſteris Adæ transfuſionem pœnæ, non culpæ.* Ecce! Theiſta mi! quam neutiquam ad dogma ab ipſis Catholicis Doctoribus, & vel a Tridentini Concilii Oecumenici Patribus, pertinere credita ſemper fuerit hæc unius ſcholæ, nec omnino communis, doctrina. *Negant* porro hoc ipſo præſati auctores, culpam actualem Adami eſſe noſtram originalem culpam; aiuntque, illam ſolum iſtius cauſſam eſſe ex mente ipſius D. Auguſtini, lib. II. de Nuptiis & Concup. cap. 26. dicentis: *voluntarium peccatum primi hominis originalis eſt cauſſa peccati;* imo ex mente ipſius Apoſtoli ad Rom. V. v. 15. dicentis: *unius delicto multi mortui ſunt;* & v. 19. *per inobedientiam unius hominis peccatores conſtituti ſunt multi.* Supereſt ergo, ut alio modo declarent, in quo originalis illa labes peccati conſiſtat, & qua ratione noſtrum cuiuslibet propria ſit macula, nobisque inhærens.

Digitized by Google

7. Eſt ergo altera Thomiſtarum propria vulgo ſententia, in ipſo Tridentino cum applauſu propoſita (Pallavic. in Hiſt. Conc. Trid. lib. VII. cap. VIII. num. 3. & 4.), quæ originalis peccati naturam in privatione originalis iuſtitiæ conſtituit, ſic tamen, ut concupiſcentiæ immoderatio ſimul *materiæ* huius peccati rationem conſtituat; ipſa autem iuſtitiæ originalis privatio, ceu defectus debiti ordinis humanæ naturæ ad finem ſupernaturalem conſtitutum a DEO, ſe habeat inſtar *formæ*. Vide in cit. Hiſt. loco n. 4. Ut privationis iſtius natura diſtinctius intelligatur, advertendum, quid ſit originalis iuſtitia, cui opponitur. Hæc præter gratiam ſanctificantem donum innocentiæ ſeu integritatis naturæ importabat in Adamo, quo connaturalis alioquin ſenſitivi appetitus cum rationali pugnæ rebellio, & immoderatio motuum eiusdem rationem prævenientium, continebatur. Doni iſtius integritatis naturam diſtincte deſcriptam leges apud Suarium noſtrum de Div. Gratia. Proleg. IV. cap. II. n. 10. ſeqq. & in locis D. Thomæ Aquinatis ibidem citatis. Gemino hoc dono, integritatis nimirum, & gratiæ ſanctificantis, ex voluntate DEI non ſolum ornari, ſed etiam in ratione medii ad finem creationis ſupernaturalem perfecte compleri, id eſt, debita aptitudine ordinari, ſeu cum debito ordine ad finem creari, debebat omnis homo ex Adamo progenitus; ita tamen, ut ex eadem DEI voluntate Adamus, ceu communis omnium parens, uno obedientiæ actu id genus dona, nequaquam a DEO debita, univerſis ſimul poſteris ſuis conſervaret. Privatio ergo utriusque doni iſtius in naturam humanam eiusmodi inordinationem induxit, vi cuius iſta iam non modo apta, ordinata, rite converſa non eſt, ad ſuum finem creationis ſupernaturalem ob defectum gra-

tiæ

tiæ ſanctificantis, ſed etiam poſitive ab eo averſa, detorta, & impedita per rebellionem concupiſcentiæ, cuius conſtanter vincendæ etiam in gravioribus tentationibus (ob nuditatem originalis iuſtitiæ, & omnis alterius ſufficientis doni) ſufficiente remedio deſtituitur.

Quodſi iam *quæras*, qua ratione privatio illa originalis iuſtitiæ, concupiſcentiæ ceu materiæ adiuncta, inordinationemque naturæ conſtituens, veræ maculæ noſtræ rationem habeat; cum tamen nobis ipſis ſingillatim voluntaria non ſit; reſpondent Thomiſtæ cum Auguſtinianis, eandem ſententiam profitentibus: duo hæc ſimul in cauſſa eſſe, ſcilicet quod totius humanæ naturæ macula revera ſit, hoc eſt, vera inordinatio, & averſio a fine ultimo habitualis; deinde quod, ſit effectus peccati actualis, nempe Adami, communis omnium noſtrum parentis, atque adeo hoc nomine ſit privatio rectitudinis *debitæ*, ac DEI voluntati contraria. Verum eſt, privatio gratiæ ſanctificantis in ſtatu naturæ puræ, nec macula eſſet, nec peccati effectus. At nunc, ſuppoſita voluntate DEI creantis hominem unice ad finem ſupernaturalem, & volentis, ut bona electione & obedientia Adami donum illud omnibus hominibus conſervetur, eiusdem doni privatio & averſio naturæ noſtræ a fine, & peccati effectus, eſt. Sola concupiſcentia, privationi gratiæ non coniuncta, ſed potius coniuncta gratiæ, ſeu originali, per quam eius rebellio impeditur, ſeu medicinali gratiæ IESU Chriſti per baptiſmum infuſæ, quæ per gratias actuales (ad quas illa ius tribuit) eiusdem motus vincendi facultatem tribuit, etſi ſemper effectus peccati permaneat, tamen ordinem naturæ humanæ ad finem ſuum iam non tollit, adeoque poſt baptiſ-

Digitized by Google

baptiſmum iam macula non eſt; perinde atque habitus alii pravi ex præteritis peccatis actualibus relicti poſt recuperatam gratiam ſanctificantem rationem peccati iam non habent; etſi antea illam habuerint, cum adhuc gratia abeſſet. Lege ſis non modo Laurentium Berti lib. XIII. cap. V. num. 19., ſed & Suarium noſtrum in I. IIæ. Diſp. IX. Sect. II. n. 18. & 19. ſeqq. atque inprimis iam citatum Vaſquium in Iam. IIæ. diſp. 132. cap. 9. & 10. Omnes modo Catholici illud fide catholica certum eſſe credunt, peccatum originale peccati rationem proprie habere, at non peccati actualis, nec peccati perſonæ, ſed naturæ, verbo, *peccati originalis*; cuius ratio haud dubie diverſa eſt a ratione peccati actualis, vel perſonæ, qua tali. Unde Suarius noſter conformiter menti S. Thomæ, & ipſi rationi, duo aſſerit (loco cit. num. 33. & 34.): 1. Parvulum, quando contrahit in conceptu ſuo hoc peccatum, non poſſe dici vere & proprie *peccare*; quia verbum hoc indicat manifeſto actuale peccatum, ſed dici debere, illum generari, concipi, in peccato: nec enim illum fieri peccatorem committendo, ſed contrahendo peccatum, dicente S. Paulo, *omnes in Adam peccaverunt*, non, *peccant*. 2. Peccatum veniale eſſe gravius in ordine ad perſonam, quam originale; cum illud ſit vere ipſi perſonæ voluntarium: etſi peccatum originale ſit ſimpliciter gravius malum reſpectu naturæ ceu privatio gratiæ DEI. Vide S. Thomam idem affirmantem 3. p. q. 1. a. 4. & quæſt. 5. de malo. art. 1. ad 9.

8. *At, inquies,* privatio originalis iuſtitiæ magis pœnæ, & effectus, quam ipſius culpæ originalis peccati habere rationem videtur: item illa eſt ab ipſo DEO auctore; cum tamen originale peccatum DEUM habere auctorem non poſſit. *Re-*

pono: privationem illam peccati actualis Adami effectum eſſe, & prout in ipſo Adamo ineſt, etiam illius pœnæ rationem habere: at prout in nobis ineſt, eſt ipſum peccatum originale noſtrum, non autem iſtius ſeu effectus, ſeu pœna. Neque enim ipſum peccatum actuale Adami noſtrum eſt originale peccatum, ſed iſtius potius cauſſa; ut ſupra num. 6. ſub finem iam memoratum eſt. Unde nec eadem privatio a DEO eſt, niſi quatenus is eam permittit, permittendo peccatum Adami, ceu originalis iuſtitiæ in nos transmittendæ impedimentum. DEUS enim ſecundum ſe ſerio volebat, ut mediante Adami obedientia originalis iuſtitia in nos transmitteretur; huius autem voluntatis effectum Adami inobedientia DEO ſolum permittente impedivit. Pœna noſtri peccati originalis eſt privatio gloriæ, incurrenda, niſi liberemur a Chriſto. Vide Vaſquium cit. loc. num. 37. ſeq.

Dices rurſum. Originalis iuſtitia alia quoque importabat dona, puta, immunitatem a morte, a morbis &c.: ergo & horum privatio ad originalis peccati rationem præterea pertinebunt. *Reſp.* Sicut horum donorum defectus, etſi modo item peccati Adami actualis effectus ſit, averſionem tamen naturæ a ſuo fine non conficit, cum ſint dona ad debitam naturæ ordinationem verſus illum finem nequaquam neceſſaria; ita nec ad peccati illius naturæ originalis rationem pertinent.

Dices denique: ſi peccati originalis reatus non eſt culpa nobis ipſis voluntaria; ſi nec Adami actuale peccatum nobis dici poteſt eſſe vere moraliter proprium & voluntarium; qua ratione DEI iram, odium, condemnationem, captivitatem diaboli, mortem æternam, promeremur ob ſolum originale

riginale peccatum? *Reſpondeo.* Hæc omnia ſunt intelligenda, ut quadrant peccato originali & maculæ naturæ, non ut congruunt actuali peccato perſonæ. *Eramus naturæ filii iræ*, ait Apoſtolus ad Epheſios II., id eſt, ob maculam naturæ, non ob actum perſonæ. Averſio naturæ humanæ a fine ſupernaturali, ex nuditate gratiæ ceu medii ad hunc finem neceſſarii orta, eademque contra DEI voluntatem ex primi parentis in omne humanum genus inducta, non poterat non excitare odium diſplicentiæ ſummum in DEO, & ſubtractionem beatitudinis ſupernaturalis, quæ alioquin naturæ erat prorſus indebita, nec niſi ſub conditione obedientiæ Adami, & conſervatæ per illum tam ſibi ipſi quam poſteris originalis iuſtitiæ, tum ipſi Adamo, tum eiusdem poſteris promiſſa. *Per unius delictum in omnes homines condematio* ſecuta eſt, teſte eodem Apoſtolo ad Rom. V. 18.; at qualis damnatio? ut carèrent bono gloriæ cœleſtis indebito, & ſoli ſtatui ſupernaturali elevationis ad beatitudinem ſupernaturalem conveniente, idque non abſolute, ſed ſub conditione, niſi eriperentur ab ea damnatione per redemtorem IESUM Chriſtum. Captivitati & ſervituti dæmonis omnes ſubiecti ſumus (teſte B. Petro Ep. II. 2. 12. *a quo quis ſuperatus eſt, huius & ſervus eſt*) quatenus nempe eius invidia iure ad regnum cœlorum ſpoliati ſumus, &, quamdiu non liberamur a Chriſto, ulterioribus inſidiis ob erepta altioris gratiæ arma magis ſumus expoſiti. Mortem animæ incurrimus, quia DEI gratia, quæ illius vitæ ſupernaturalis unicum eſt principium, ſpoliati ſumus. De cetero autem (Suario noſtro ex graviſſimorum auctorum ſententia affirmante de Divina Gratia in Proleg. IV. cap. IX. toto, & præcipue num. 8. & ſeqq.) peccatum originale nihil a nobis in ſui pœnam

de ullis mere naturalibus, aut puræ naturæ debitis, donis ſubtraxit, nec ſubtrahi per ſe meruit, ita, ut eius ſtante in nobis reatu, nec decreta noſtri per Chriſtum redemtione, DEUS non potuiſſet creare in ſtatu naturæ puræ, atque debitis mediis nobis procuratis nos ordinare ad beatitudinem naturalem per honeſtas operationes naturales conſequendam; quin contrarium de nobis ſtatui originali præciſe peccato promeriti eſſemus. Denique eodem Suario auctore loc. cit. num. 9. & 10. de actu infligenda pœna amiſſionis gloriæ æternæ nihil decretum a DEO fuit etiam tunc, cum decerneret, ut conditum ſemel per Adamum in originalis iuſtitiæ ſtatu humanum genus eundem ſtatum aut illius obedientia mediante conſervaret, aut mediante inobedientia amitteret: ſecus enim ſi id actu decreviſſet, DEUS mutare id decretum poſtea haud potuiſſet. Unde infert Suarius ibid. n. 12., veriſimillime futurum fuiſſe, ut, etiamſi DEUS poſt præviſum actu futurum peccatum nos redimere per Chriſtum non ſtatuiſſet, neque ad felicitatem ſupernaturalem reſtituere voluiſſet, tamen non omiſiſſet nos creare debitis mediis ad naturalem ſaltem quamdam felicitatem conſequendam inſtructos.

Hem tibi iam dilucide, ut opinor, expoſitum difficillimi huius Chriſtiani dogmatis de originali peccato Myſterium, mi Theiſta! in quo iam, puto, nihil porro offendes, quod cum recta ratione pugnare videatur. Amplius chriſtiana religio de eo credendum ſub aliquo piaculo non proponit. Siquid in nonnullis alicuius ſcholæ ſententiis difficilius captu ſe tibi offerre videatur, memento, ſcholæ doctrinas nequaquam omnes ad Chriſtianum dogma pertinere. Si nova tibi fortaſſe propo-

ſita

Digitized by Google

ſita a me tum iſtius dogmatis explicatio, & nunquam forte audita, videatur; ignorantiæ tuæ id adſcribas oportet, & exiguo uſui in legendis catholicorum Doctorum libris. Cave tamen, quidquam novæ explicationis a me confictum ſuſpiceris; ſed unius Vaſquii noſtri citatum a me geminum illud Caput IX. & X. Diſp. 132. in I. IIæ. S. Thomæ attentus perlege, & in omnibus plane partibus me ipſi conſentire facile perſentiſces.

9. At enim videor mihi ſentire ſpinam unam aliquam in animo tuo poſt hæc omnia adhuc relictam. Si certiſſime prævidit DEUS, *inquis*, primi parentis peccato tantam pernitiem cunctis poſteris, nulla iſtorum actuali culpa proprio libero arbitrio admiſſa, inferendam: cur ad præcipitii iſtius marginem totum ipſe humanum genus ſtatuta illa lege in primo parente deduxit?

Reſpondeo. Quis es tu, ut audeas interrogare DEUM: cur ita facis? Nonne prius omnino abſtinere ab omni præſenti iſthac hominum, Adami filiorum, ſerie creanda pro arbitrio is ſuo poterat? Nonne quod malo remedium, quamque eximium, miſericordia ſua allaturus ipſe eſſet, præſciebat? Quodſi vero etiam crimine a parente iam perpetrato ſaltem a condenda poſteritate abſtinuiſſet, num contra ius aliquod nobis debitum egiſſet? Quodſi tamen creatos, ſine redemtoris auxilio, in mero naturæ ſtatu, aut mox initio, aut poſt Adami peccatum, ad meram naturalem beatitudinem ordinaſſet; in quod demum creaturæ ſuæ adverſum ſe ius DEUS creator offendiſſet? At ſciebat, quod amabile remedium læſæ naturæ noſtræ malo eſſet ipſe allaturus: nec reliquit nos in ſordibus noſtris originalibus infinita caritas Servatoris, ſed apparuit illa cum omni ſua benigni-

tate omnibus nobis, non ſolum medicinalis ſuæ gratiæ virtute nos ſanans, & potenter adiuvans, ſed etiam propriæ vitæ exemplo erudiens, ad abnegandæ vitiatæ noſtræ carnis deſideria, ſic, ut iam, quisquis ipſe velit, per ipſum ſobrie, pie, & iuſte vivere poſſit in hoc ſeculo. Poterat quidem Adamus, ſi fidelis DEO & obediens fuiſſet, ceu illuſtris perſona, bono exemplo ſervire cunctis poſteris. At quoque illius pœna, totius poſteritatis ruinam per ſe involvens, etiam poſt iſtius reparationem factam gravi exemplo ſerviebat, ut ne tam facile in poſterum filii, parentis primi clade territi, in DEUM, ſummum univerſi principem, offenderent. Sufficiens ergo ratio ſupremo huic naturæ iuxta atque gratiæ Domino ſuppetebat, ut ruinam permitteret, ex quo tot ipſe eruere bona pro infinita ſapientia ſua noverat.

Sed nondum fortaſſis contenta curioſitas tua eſt, dum ad liberum DEI ſupremum dominium remittitur. Rationem quamdam inquirit, cuius cauſſa ſic agere Dominus, ſimul infinite bonus, nobiscum voluerit. Si non carpendi eius conſilia ſtudio, ſed adorandi cauſſa, & cum debita reverentia, ſalvis quoque ſacris dogmatis, id facias; licebit coniectura rationem aliquam divinare. Hem! quæ mihi ſæpenumero occurrat. Putan' tu, certum adeo, plures homines ſalvos reipſa fuiſſe futuros, ſi prima Adamo & originaria felicitas illa, iuxta atque eius poſteris naſcentibus, conſtitiſſet? Me vero horribilis illa rebellium Angelorum multitudo, quam itidem ex Chriſtianæ religionis magiſterio compertam habeo, ipſumque inprimis Adami & Evæ exemplum, mirifice reddit dubium. Eſt modo in tanta naturæ miſeria reſiduus nobis ſuperbiæ cumulus, ut non ſit aliud maius ruinæ noſtræ

noſtræ incitamentum. Quantus futurus fuiſſet in felici illo, & pæne angelis ſuppari, ſtatu conſtitutis? *Ais* vero. Si huic malo cavere DEUS voluerat; cur non abſque prævio Adami peccato concupiſcentiæ vitium omnemque præſentis ſtatus miſeriam, iuncto tamen ſimul medicinæ paris remedio nobis pro dote ſimul & ſuperbiæ antidoto legavit? *Aio* vero ego viciſſim, deficiente ſufficienti paupertatis propriæ ac vilitatis ſenſu, qui non niſi ex defectu remedii, & cognitione pretii iſtius naſcitur, nunquam futurum fuiſſe, ut ſatis ſuperbiæ noſtræ remedium opponeretur. Contra non eſt aliud dogma, quod nos magis modeſtiæ in DEI oculis admoneat, & propriam nos vilitatem, ſummamque DEI Miſericordiæ neceſſitatem doceat, quam præſens labis originariæ Myſterium.

*** *Urges* porro. Ecquid opus tamen fuerat ad delendam id genus maculam, miſerationem magis DEI quam odium provocantem, ut DEUS Homo tam infanda, & indigna ipſius Perſonæ excellentia, pateretur?**

Reſp. Non ſolum ſatisfactione pro Adami & omnium eius poſterorum culpis, non ſolum impetratione remedii pro delenda illa originaria poſterorum macula, ſed vel maxime potenti exemplo nobis etiam in hoc reparatæ ſalutis ſtatu opus erat; cuius contemplatione, inſuperhabita omni vitiatæ concupiſcentiæ noſtræ renitentia etiam in omnibus illis caſibus & tentationibus DEO fidelitatem noſtram invicta conſtantia probaremus; in quibus, quidquid carum nobis eſſet, ex integro eius obſequio ſacrificare, & quidquid acerbum tolerare ipſius amore oportet, aut ab illo perfide deſciſcere. Et ecce tibi exemplar iſtud omni humano generi in monte Calvariæ in DEI Filio cruci

 affixo

Digitized by Google

affixo & moriente præclariſſime monſtratum: ex quo demum uno abunde omnes diſcerent, quid vel agendo, vel patiendo, DEI gloriæ deberent, ac ſanctiſſimæ voluntati. Hem tibi! ut omnibus rectæ mentis hominibus argumentum ſanctiſſimorum affectuum hoc originalis culpæ dogma efficitur; quod tu huc uſque infrunita oris & cordis impudentia exploſiſti. Hem! quid ſit cum Apoſtolo in ipſis etiam infirmitatibus ſuis, velut in maiore quodam divinæ gloriæ argumento gloriari. Tu, ô Philoſophe! parem iuxta mecum in te miſeriam experiris. At illius nec originem, nec remedium, ſeu tua te ratio propria, ſeu ulla alia, quam chriſtiana, religio edocet; imo omnes aliæ vix ſatis a culpándo creatore te retinere valent.

* *Ogganit* denique his omnibus, ſolus innocentulus ille, D. Iean. Iacque Rouſſeau, negatque intrepide vitium naturæ originarium, quod omnes ſentiunt. Innocuam eſſe ex integro naturam vult, nec niſi vitæ ultro flagitioſe actæ, vel certe malæ educationi deberi, ſiquod gravius concupiſcentiæ vitium non nulli in ſe perſentiſcant. Euge! Euge! plaude tibi, recentiſſime Philoſophe! ut bonam animam tu ſolus nactus es? Attamen dubium veracitatis aliquod iſtius a te dicti nemini non vel ſcripta tua, vel vitæ hiſtoriam legenti occurret, puto. Illud ergo tibi dari a nobis contentus eſto, utique non omnem illam, quæ in adultis iam hominibus ſe prodit, naturæ atque indolis corruptelam ſoli Adamo tribuendam eſſe; quippe quæ multo adhuc gravior ex perpetratis ſponte & multo tempore flagitiis enaſcitur. Non deeſt tamen vel optime educatis, & nunquam non virtutis a tenero ſtudioſis, ſua corruptela; quæ vel in ipſis etiam infantibus cum nutricum & parentum diurna & nocturna moleſtia ſe prodit. Ad hos igitur ablegari te cum tua innocentia non ægre feras; ſi ſerio prævenientium rationis conſilium

lum immoderatorum affectuum, & ſenſitivi appetitus motus experiri in te ipſo abneges.

§. 131.

DEI Iuſtitia in pœnarum peccati æternitate ſtatuenda a Theiſtarum ſcommate vindicatur. Quem nobis DEUM Chriſtiani depingunt, exclamant illi. Non repræſentant nobis illum niſi ſub imagine Iudicis crudelis & vindicis implacabilis, qui legum ſuarum violationem punit integra pœnarum atrociſſimarum æternitate. Tali ſemel principio ſtabilito anne fieri aliter poteſt, quam ut quisque Chriſtianæ religioni ſemel adſtipulatus miſerabilem deinceps vitam ducat, metu ſemper & horrore perterritus?

Reſp. Ita ſane. Dogma de æternitate pœnarum oppido eſſe terribile, ultro fatemur. At DEUM idcirco aut iniuſtum, aut crudelem dici poſſe, prorſus negamus. Imo non minore confidentia & illud abſolute inficiamur, minus felicem incredulo Philoſopho vivere, aut minus ſecure mori Chriſtianum quemlibet; etſi dogmati huic indubitata fide ſincere adſtipuletur. Ab ultimo hoc ut incipiamus; habet Chriſtianus quisque, etiam peccatis implexus, obvia ab hoc ſe timore liberandi remedia in illis expiationibus, quas ſua ei religio iuxta certas ac pleniſſimas ſuppeditat; ut adeo illa fides, quam huic dogmati conſtanter adhibet, aliud in eius animo non operetur, quam ſapientem cautelam & ſalubrem illum timorem DEI, qui ab illis eum potenter abſterreat flagitiis & offenſis DEI, quæ tantam a iuſtiſſimo hoc vindice pœnam eſſent promerituræ; ſed qui timor hoc ipſo, quod ſceleratos homines compeſcat, unicum ſocietatis humanæ & felicitatis ſolidum eſt funda-

 mentum.

mentum. Num vero hæc tibi, Philoſophe, magna pars miſeriæ videtur? An de Epicureorum forte illorum turpi ſecta es, quæ unam hominis felicitatem in viliſſimarum illarum voluptatum cæno quærit; a quo Chriſtiana religio utique modis omnibus abhorret, & æternis intentatis ſuppliciis abſterret? Putasne te feliciorem fore, ſi DEUS nullam tam ſeveram pœnam pravis tuis affectionibus veluti obicem aut aggerem ſtatuiſſet, quo minus pro lubitu erumperent in omne flagitium? ſerione tu optas iſtud? An ergo optares in mundo vivere pleno latronibus, prædonibus, adulteris, helluonibus, calumniatoribus, luxurioſis, aut avaris? Perpenſis rite omnibus ſenties profecto, quod, ſi religionem eſſe medium oportebat, quod in hac & altera vita homines felices redderet; hoc ipſo neceſſe fuerit, ut quam fieri poſſet maxime potenti ſtimulo a via flagitii abſterritos ad ſemitam amoremque virtutis duceret. Et tibi hoc ipſo nomine vileſcere religio quædam poteſt, quæ ſola hoc primum veræ religionis officium implet.

At tu feliciores excuſſo illo infeſto æternitatis metu ducturum dies te exiſtimas. Excuſſo, dicis; an ad horulam ſopito? Edic enim, an omni licet contentione adhibita a moleſto æternitatis dogmate te expediendi, an, inquam, etiam ab omni ſaltem ſuſpicione illius, an ab omni circa illius exiſtentiam dubio, & periculo, te expedire huc uſque potuiſti? An vel ſperas ſolum, fore, ut hoc aliquando deinceps poſſis? At ego iam ad tuam ipſius experientiam fidenter provoco; an non ſolum hoc dubium, an non ſuſpicio, quanto minus valet ad abſterrendum te a flagitio, tanto acerbius omnes exiſtimatas tuas delicias perturbet; quin ſimul ullum tibi omnis philoſophia ſufficiens reme-

dium

Digitized by Google

dium ſuggerat, quo vel a pœnis, quas tibi pro æternitate intentat, vel a timore ipſo pœnarum expedire valeas. Quidquid mediteris, quidquid contra ogganias, nunquam affirmate dicere poteris, hoc dogma manifeſto implicare; nunquam certo negare, id divinitus non eſſe revelatum. Quoties compones DEI magnitudinem cum tua vilitate, bonitatem cum tua ingratitudine, Maieſtatem cum tua impudentia, toties trepidabis totis artubus, nec audebis affirmare, tam certum eſſe, quam tu optares, ſupremi Domini & legislatoris infinite ſancti iura, imo hominum etiam felicitatem huius vitæ propriam, ſacrificari oportere commiſerationi, quam tuæ deberi imbecillitati, nimius erga te ipſum & inordinatus amor ſubinde perſuadet tibi. Certe non ita ſentis, cum reum quemdam læſæ regiæ & humanæ tantum Maieſtatis ultimis excruciari tormentis vides. Ut enim pro humano ſenſu eius ſupplicio compatiaris; non ideo iniuſtam ſententiam, nec minus neceſſariam pro aſſecuranda regnorum felicitate dices. Satisfacit profecto iuſtæ Miſericordiæ ſuæ ideæ DEUS, cum intra huius vitæ terminum ante ſcelus nos pænæ inſtantis pius admonet; cum poſt illud quocunque numero, quacunque magnitudine, perpetratum, veniæ remedia, & ipſam veniam, nullo miſerationi ſuæ termino præfixo, liberalis offert. An ſatis magna hæc non eſt reverentia, quam creator ſuæ creaturæ exhibet, qua nullo ipſe pacto indiget? An ſine æterni ſupplicii comminatione ſatis ſuæ gloriæ, an ſatis ipſius creaturæ innocentiæ, an humanæ ſocietatis uſibus ſapienter provideret? Taceo argumenta alia, quæ his iuncta vel ipſis paganis maxime rudibus & idololatris Ægyptiis, Græcis, Romanis, & barbaris tam pathetica ſunt viſa, ut omni tempore impiorum ſupplicia in vita ventura

ipſi

Digitized by Google

ipſi coæva æternitati eſſe conſtituerint. His argumentis porro ſi DEI revelatio talis accedat, qualem chriſtiana religio omnibus Divinitatis characteribus illuſtrem offert: næ tu homo bardus ſis oportet, mi Theiſta, ſi terror pannicus quantumvis incredulum tuum animum non totum impleat, nec triſti veneno prætenſas tuas delicias perfundat. Maxime cum omnis ſana ratio te convincat, quod vel ſola tua incredulitas illa pœnarum æternitate iam digniſſimum te reddat.

Verumtamen, quæ proportio, inquis, inter crimen momento perpetratum & ſupplicia nunquam finienda? Pro voluptate una momentanea mergar æternum in ſtagno ignis ardentis? Et ſic puniat DEUS infinite bonus? *Reſp.* Et inter contemtum & offenſam DEI infiniti ac inter pœnam poſt tempus aliquod finitam quæ proportio? Vide dicta §§. 16. 17. 18. 19. Nota vero, duplicem eſſe illam æternitatis pœnam, quam peccato ſtatutam eſſe Chriſtiana religio docet. *Damni* vocatur altera, altera *ſenſus pœna* dicitur. Pœna damni non niſi privativa eſt, & in ſubtractione æterna omnis boni in ſubiecto iacturæ ſuæ conſcio conſiſtit. Hanc non mereatur, qui volens ac prudens omne illud ac infinitum bonum contemſit? *Pœna ſenſus* in dolore conſiſtit, qui ſecundum Philoſophos recentiſſimos & optimos non eſt niſi adperceptio ſeu ſenſus internus valde acerbus miſeriæ ab actione circumdantium corporum exortus. Si DEUS annihilaret hominem reum, meri damni negativa hæc pœna eſſet, iam tamen æterna. At hoc totum malum non quidem ut pœna, ſed reipſa tamen omnes premit, qui creati nunquam a DEO homines ſunt. Non ergo ſufficeret hæc mera annihilatio pro reo divinæ læſæ maieſtatis, quæ commune

mune

mune etiam innoxiis malum eſt; ſed abſterendis aliis ſenſus mali poſitivus in malefico ſuperſtite inſtar pœnæ requiritur. Reum autem, qui DEUM, infinitam atque æternam amicitiam cum omnium bonorum communicatione ſibi offerentem, temerarius contemſit; quique in hoc contemtu pertinax & impœnitens ad mortem uſque perſeverans, in eiusdem ut iudicis ſui manus incidit; num tu ſupra æquum puniri putas, ſi in ſenſu actuali omnimodæ imperfectionis & miſeriæ ſuæ in perpetuum relinquatur, in qua ſe volens ipſe poſuit; cum omnis ſuæ perfectionis fontem unicum dereliquit? Hem! ut veriſimillima vel ſola monſtrante ratione pœnarum ſceleris æternitas evadat. Quidnî, quidquid tu obſtrepas, revelatione DEI illa nobis fiat certiſſime perſuaſa?

§. 132.

Conſilia Evangelica defenduntur. Qualis religio Chriſtiana! cuius quicunque ad amuſſim ſequerentur inſtituta, ſtatum civilem, qui diu ſubſiſteret, nullo pacto formare poſſent. Hanc gerram, quam a ſuæ ſectæ principe illo Baylio didicere, millies hodiedum poſt tot refutationes indociles æque, ac increduli Theiſtæ nobis occinunt. Et quippe nî? Illuſtris Montesquieu reponit (Eſprit des Loix l. XXIV. c. 6.). Forent illi cives de omnibus ſuis officiis perfectiſſime edocti, & ingenti implendi eadem ſtudio accenſi. Principia religionis Chriſtianæ mentibus impreſſa ſine comparatione plus valerent in ipſorum animis quam imaginarii illi honores, qui Monarchiæ, quam virtutes mere humanæ, qui reipublicæ liberæ, quam timor ſervilis, qui regiminis deſpotici fundamentum iuxta ac fulcrum ſunt. At, inquiunt nempe dicaces illi politici, non format iſta religio niſi homines ſolitarios,

litarios, inhumanos, nullis familiæ nexibus reipublicæ adſtrictos, omniumque civilis vitæ commodorum incurios, alterius demum vitæ felicitatibus ſic unice intentos, ut nec generis humani propagationem curæ habeant ulli. Vere itaque non uno integro ſeculo eiusmodi hominum ſocietas perdurare poſſet.

Reſp. Fateri vulgo Theiſtæ ipſi, imo multis celebrare laudibus IESU Chriſti ſapientiam ſolent; & tam inſipientem illius doctrinæ imputare ſequelam nihilominus non dubitant? Diſtinguamus perfectionis chriſtianæ conſilia, a ſumma legum ad ſubſtantiam ipſam religionis pertinente, & loco abſurdi humanæ ſocietati noxii ſummam œconomiæ cuiusdam divinitus inventæ pulcritudinem detegemus, & admirabimur. Religio Chriſtiana quoad ſubſtantiam talis eſt, eoque divinitus ordinata, ut omnes homines ad mundi finem uſque ſine diſtinctione doceat cognoſcere, amare, & colere DEUM eo modo, quo ipſi placuit revelare, quod coli reipſa a cunctis omnino hominibus velit; & quo cultu æternam felicitatem ut prœmium eſſent ab eo promerituri. Neceſſe itaque erat religionem hanc a parentibus ad liberos tranſire; neceſſe erat, ut ubivis per totum orbem promulgaretur, ac perduraret ad mundi finem uſque. Neutiquam ergo oportebat, ut omnes, qui illius profiterentur cultum, iſtius virtute profeſſionis ceſſarent eſſe membra ſocietatis humanæ, aut patresfamilias: vel munia Magiſtratus, mercaturæ negotia opificiorum artes, belli & pacis ſtudia abiicerent; ſine quibus vita civilis ſubſiſtere non poteſt. Hoc ſolum religio docebat, ut omnia reipublicæ & ſocietatis officia, religionis ſpiritu animata, ad DEI cultum referrentur, nec iſtius duntaxat temporalis

vitæ,

Digitized by Google

vitæ, ſed DEO, qui omnis ſocietatis humanæ eſt ipſe auctor, placendi ſtudio quam integerrime implerentur. Attamen quoniam Chriſtiana religio eiusmodi eſt, ut per eam DEUS cultu ſublimiore, ac ſupra communem naturæ modum, coli & honorari velit; quia eſt religio DEI Hominis; idcirco oportebat, ut in aliquo ſaltem, comparate tamen ad ceteram multitudinem multo minore numero eius ſectatorum, exempla quoque ac tota lux altiſſimæ perfectionis totius divini cultus ad maiorem DEI gloriam relucerent; ſic nimirum, ut illi cunctis huius vitæ bonis & deliciis in altiore quodam gradu una cum eorundem omni cura a ſe abdicatis, reliquæ hominum ſocietati ſpectacula perfectioris virtutis in peculiari vitæ conditione exhiberent; quæ cum perfectiſſima praxi neceſſariorum & omni hominum conditioni neceſſario communium officiorum ſociarent.

At enim, inquis, perfecti iſti homines hoc ipſo mundo reliquo evadunt oppido inutiles, & cum communis vitæ commodis ipſi quidem libere fruuntur, nihil viciſſim ad eiusdem felicitates de ſuo conferunt. Ain' vero? Nihil ad communem utilitatem perfectæ virtutis exempla proſunt? Nunquid ergo virtutis commune ſtudium in civibus primum communis felicitatis in civitate fundamentum non eſt? At virtutis ſaltem communis ſtudia quid magis quam eximiæ & neutiquam communis perfectæque virtutis exempla in vulgo civium accendit? Quid admonet efficacius, ut omnes communia ſocietatis officia non præſentis duntaxat vitæ commodorum ſtudio, ſed divini cultus & melioris obtinendæ beatitatis deſiderio, exequantur, quam fervor paucorum ad peculiaria etiam & magis ardua divini cultus officia alterius

vitæ

vitæ deſiderio ſponte ac libere ſe exporrigens? Demum an, ſi alia omnia abeſſent, vel id unum parvi æſtimandum dices, quod a paucis ſaltem quibusdam in civitate hominum quacunque DEUS perfectius ametur, & colatur, qui ſpecialem in modum eius obſequio ſint conſecrati?

Quidſi, vero inquis, cum omnes ſine diſcrimine ad hoc perfectionis genus invitentur, quidſi opere ipſo eam ſequerentur omnes; nonne deficere brevi humanum genus neceſſe foret? Verum dic, amabo; an vocari ad id omnes ſine diſcrimine religio chriſtiana unquam docuit? Imo in multo maiore parte iſtius ſuſcipiendæ perfectionis conſilium ſumme fore temerarium ipſa docet. Nimia præſumtio tantarum virium debilibus in laqueum cederet. Eligere in mundo ſtatum, ſuæ perſonæ omnibus adiunctis maxime congruum, eiusque omnia officia integre ad Chriſti præſcriptum implere, hæc vocatio eſt omnium chriſtianorum; hæc efficit, ut viros ſanctos in omnibus humanæ vitæ ſtatibus reperire ſit. Perfectionis conſilia ſequi ut nemo lege aliqua tenetur, ſic paucis aliquibus a ſocietate quacunque, divini cultus vere ſtudioſa, id concedi DEI honor, & ipſius ſocietatis utilitas expoſcit. Sed quidſi vel omnes, vel magnus nimis numerus eo convolarent, quo perfectionis oſtentata excellentia, nec minora etiam vitæ humanæ commoda, alliciunt? Aio: quemadmodum iſtud veris non ſolum vitæ civilis utilitatibus, ſed &, ob defectum humani generis, ipſi DEI gloriæ atque adeo & legi naturæ, adverſaretur; ita nec perfectionis medium, nec conſilii argumentum, talis electa vitæ conditio pro maiore hominum numero futura eſſet. Si Adam & Eva, e. g. vel etiam eorum poſteri proximi ſexus utriusque, ſtatuiſſent

perma-

Digitized by Google

permanere virgines, antequam humanum genus ſatis fuiſſet multiplicatum; ſi primi homines omiſſa agrorum cultura, & nutritione gregum, vitæ ſolitariæ ſe dediſſent; haud dubie turbaſſent ſtabilitum divinæ Providentiæ ordinem. At vero poſt ingentem ſeculorum numerum, cum iam omnes mundi provinciæ hominibus impletæ, ab his agri abunde exculti, bonoque civitatum abunde proſpectum eſt etiam pro futuris temporibus: quippeni modico reſpective hominum numero in republica chriſtiana permiſſum ſit omiſſo matrimonio ſpretisque eius voluptatibus virginitatem colere, abiectaque rerum temporalium cura contemplationi rerum cœleſtium ac perfectiori DEI ſervitio ſe totum tradere? Deone ius ad peculiare id genus obſequii quisquam hominum abiudicare auſit, maxime ſi id ipſe ſibi gratum acceptumque eſſe declarat? An fructus eximiorum exemplorum nihil æſtimandus eſt, nec inter chriſtianæ civitatis emolumenta cenſendus ullo pacto? Taceo utilitates alias; puta, quod id genus homines, a mundi curis & negotiis liberi, multo amplius ad ſcientiarum ſtudia excolenda, ad ſuſcipiendam animorum & ſalutis alienæ curam, non vacent modo, ſed magis etiam præ cunctis aliis idonei ſint. Increduli hac in parte nunquam non ex ſtolida ſuppoſitione Atheiſtica & ex principio omni deteſtatione digno argutantur, videlicet, hominem prudentem non niſi ſibi ipſi & huius vitæ commodis omnes intendere curas & ſtudia debere, nec quidquam debere DEO ac ſupremo illi rerum Domino, a quo accepit totum id, quod tenet. Stabiliantur ſane per me accurate iura ſocietatis omnia, quæ indubitata ſunt, vel etiam, quæ ad decentiam ſolum pertinent, ſed talis ſocietatis hominum, qui DEUM credant, ſeque unius gloriæ ipſius,

cauſſa creatos ab illo meminerint. Figantur deinde circumſtantiæ, in queis hominis etiam unius ſingillatim cœlibatus, & ſeceſſus a mundi negotiis & poſſeſſionibus, cum veris emolumentis ac iuribus reipublicæ omnino pugnare videatur: & in tali quidem caſu nemo non facile concedet, DEO ipſo iubente a tali homine (ut in principe quodam contingere poteſt e. g. qui unicus ſit familiæ regalis ſurculus &c. &c.) bonum ſocietatis privato perfectionis ſtudio eſſe præferendum. Ratio ſolida deciſionis iſtius eſt, quod ſpirituale ac ſupernaturale illud religionis chriſtianæ altiorisque ipſius virtutis ædificium fundamentis naturæ & civilis unionis hominum neceſſario innitatur. Unde ſiquid cum iuribus ſocietatis humanæ pugnat, id ipſum neceſſario & religioni virtutique adverſatur. Limitibus Conſiliorum Evangelicorum ita ſapienter fixis, quid porro querelarum incredulitas egerere adverſus eadem in iurium Societatis favorem habet?

§. 133.

Obiectio illa expenditur: quod Chriſtiana religio non omnibus hominibus ſufficientia ſalutis media ſuppeditet. Religio Chriſtiana, *inquiunt*, damnat omnes, qui non credunt IESUM Chriſtum DEUM eſſe; etſi conſtet, ab innumeris hominibus iſtius nomen nunquam fuiſſe exauditum. DEUS tam ſtudioſus unius & incurius alterius partis hominum, qui inde a mundi exordio unicam ex tot hominum nationibus ſibi gentem eligit æterna felicitate beandam, totum vero reliquum proſcribit genus humanum, atque maximum creaturarum ſuarum numerum orco deſtinat atque ſuppliciis æternis, is DEUS ille communis omnium pater tam clemens & bonus non eſt, quem mihi naturalis ratio

Digitized by Google

ratio mea demonſtrat, inquit Ioannes Iacobus Rouſſeau in Emilio ſuo tom. III. p. 137. *Reſponſio.* Abſit enimvero, ut eadem religio quæ miracula tam inaudita benignitatis & pietatis divinæ, univerſo humano generi exhibita, proponit, communis omnium Patris honorem DEO detrahat, aut hilo vel uno imminuat. Religio Chriſtiana tantum abeſt, ut quemquam præcipiti iudicio condemnet, ut pro omnium utcunque alienorum a fide Chriſti populorum ſalute pias ad cœlum manus precesque tollere ſuos quotidie iubeat. Doctrina Chriſti in hac parte, prout a Chriſto ipſo & Apoſtolis ad nos profecta eſt, circa diverſa hominum genera his præcipue capitibus abſolvitur.

1. Quibuscunque Chriſti Evangelium ita prædicatum fuerit, ut cum ſufficiente morali certitudine de veritate ac divinitate revelationis eius edocti fuerint, illos utique non noſtra, ſed Chriſti ipſius veri DEI, ſententia condemnatos eſſe credimus, ſi in infidelitate ſua obſtinati ad mortem uſque perſtiterint. Sic enim Chriſti verba illa manifeſto pronuntiant Marc. ult. v. 16. *Euntes in mundum univerſum prædicate Evangelium omni creaturæ. Qui crediderit, & baptizatus fuerit, ſalvus erit: qui vero non crediderit,* (utique poſt auditam prædicationem) *condemnabitur.* Et quippeni iuſto DEI iudicio dignus pœna habeatur graviſſima, qui ſciens DEI teſtimonio habere fidem temerarius detrectarit? Ceterum in particulari, quemadmodum corda inſpicere haud cuiquam datum eſt, cum non conſtet, an quiscunque Chriſtianæ fidei rationes cum morali certitudine actu perſpectas habeat, neminem ante iudicium DEI condemnamus.

Digitized by Google

2. Quod hæreticos ipſos baptizatos attinet, qui in IESUM Chriſtum credunt, credimus omnes, qui bona fide & cum ignorantia invincibili ſe ambulare in via ſalutis credunt, paratique ſunt redire ad verum ovile Chriſti, ſi huius veritatem cum morali certitudine edocerentur; credimus, inquam, omnes eiusmodi bonas mentes actu eſſe de ovili Chriſti & veræ Eccleſiæ eiusdem filios. Atque hic omnium Theologorum noſtrorum communis ſenſus eſt poſt S. Auguſtinum docentem, quod Eccleſia IESU Chriſti, ad modum uxorum Iacobi, huic divino Sponſo ſuo non ſolum per ſe ipſas, ſed etiam per ancillas ſuas, liberos pariat; *ſive per ſe, ſive per uteros ancillarum*,

3. Quod ethnicos paganos attinet, ſine omni religione viventes, ac barbaros; ſi ita obbrutuerunt, ut ultro ſe ipſis ad DEI ac primorum legis naturæ principiorum cognitionem ſeſe attollere non poſſint (quæ hypotheſis oppido exotica videtur) præſumimus, DEUM cum illis acturum eodem modo, quo ſolet cum infantibus, aut amentibus, qui baptiſmi expertes moriuntur; quos itidem ſenſus Eccleſiæ Catholicæ neutiquam ad inferorum ſupplicia condemnat.

4. Quodſi vero ſermo ſit de illis infidelibus, qui DEI & primarum ſaltem iuris naturæ legum ex communi naturæ ſenſu cognitione aliqua ſufficiente pollent, horum quidem ſortem tenero animi ſenſu dolentes credimus, abſque altiori vel interioris divini Magiſterii, vel externæ revelationis ope, brevi in decurſu annorum vitæ ſuæ tot tantisque ſalutis ſuæ & ſervandæ etiam ſolius legis naturalis difficultatibus implicandos eſſe, ut moraliter impoſſibile ſit, quo minus pravorum ſenſuum motibus ita ſuccumbant, ut voluntatis malitia etiam

tiam ad dogmata ipſa iuris naturæ, prius iam ſufficiente certitudine ex communi ſenſu cognita, in dubium vocent, ſeque ipſos ultro dent in ſenſum reprobum, tum pravis aliorum doctrinis, tum peioribus exemplis, tum propria naturæ perverſione eo abrepti, ut eorum mentiatur iniquitas ſibi, mala non eſſe, quæ ſenſus omnis naturæ iam pridem abhorrere antea docuerat. *At* quanam æquitatis ſpecie tantam eiusmodi miſerabilium hominum multitudinem DEUS infinite clemens in morali interitus ſempiterni neceſſitate, revelationis Chriſtianæ expertes deſtituit, uni tantum, vel aliquibus ſolum gentibus ſalvandis intentus? *Reſpondeo,* Catholicam eſſe doctrinam, omnium Theologorum conſenſu firmatam, tum DEUM habere ex parte ſua efficacem voluntatem ſalvandi omnes homines, tum Chriſtum pro ſalute omnium hominum eſſe mortuum; & nihilominus iuxta Apoſtolum ad Hebr. 11. v. 6. *ſine fide impoſſibile eſſe placere DEO* ſic, ut beatitudinem æternam ac ſupernaturalem quis promereatur. Porro efficax & ſincera voluntas ex parte DEI id ſaltem exigit, ut media ſaltem remote ſufficientia omnibus etiam infidelibus illis ſubminiſtret, quibus ſi uterentur, ad ipſam veritatis Chriſtianæ cognitionem, ceu medium proximum ſalutis, & in præſente Providentiæ DEI conſilio neceſſarium, pervenire poſſent. Qualia illa remedia ſint, quæ DEUS reipſa exerat ad perducendos illos infideles ad veritatis chriſtianæ cognitionem, DEI revelatione quidem non edocemur, qui rationem reddere conſiliorum ſuorum nobis minime tenetur: hoc unum ſcimus, DEUM nec iniuriam cuiquam facere poſſe, nec fidem fallere, quam de cuilibet conferendis ad ſalutem neceſſariis adminiculis ultro ipſe liberaliter nobis dedit. Probabile autem mihi quidem videtur,

tur, fore, ut DEUS eos, qui in facilioribus naturalis legis præceptis & magis obviis ſervandis DEO ut auctori naturæ dociles ſeſe exhibent, occurrentibus in gravioribus periculis ex imbecillitatis ſuæ notitia ad invocandum DEI lumen & auxilium interiore admonitu ſuaviter iuxta ac potenter ſtimulet; quibus ſtimulis ſi obſequantur, clariora lumina ſubminiſtret, quorum conſtante uſu & fideli obſequio demum promereantur ad ipſam Chriſtianæ veritatis cognitionem quacunque via a DEO diſponi. Contra, qui in facilioribus præceptis ſat cognitis DEO iam ſunt perfidi, iuſto iudicio etiam in difficilioribus deſtitui ſingulari illa & indebita divina ope hoc ipſo promerentur. Nemo itaque ob ſolam ignorantiam religionis chriſtianæ, quam nullo pacto vincere poterat, condemnabitur, ſed ob ſcelera, per quæ indignum ſe propria malitia effecit, quo minus altioris gratiæ ſuppetias acciperet; quas offerre omnibus paratum Numen eſt, qui Providentiæ pium ordinem ſuo ſcelere non abrumpent. Diſquirat iam apud animum ſuum Theiſta quilibet, in qua iſtarum claſſium ipſe cenſeatur, atque demiſſa inprimis ardenteque ſimul prece lumen altius a DEO flagitare conſtanter pergat, & minime damnatum iri, ſed ope religionis ac veritatis chriſtianæ demum clare agnitæ ſalvandum & ipſum denique confidimus. Interim tamen fateatur neceſſe eſt, non ſingularis affectus atque ſtudii cuiusquam præciſe in DEO effectum eſſe, quod aliorum hominum facilior, contra difficilior aliorum, ſit ad agnoſcendam Chriſtianam veritatem via & acceſſus. Parentum ſæpe culpa fit, ut eis a chriſtiana veraque fide deſciſcentibus, & liberorum animos pravis præiudiciis a tenero occupantibus, via poſteris ad ſalutem impeditior reddatur. DEUS, qui libertati parentum fræna, inii-

Digitized by Google

iniicere non tenetur, æquitati ſuæ infinitæ ſatisfaciet abunde, ſi nihilominus cuique homini ſingillatim ſalutis remedia primum remote ſufficientia liberaliter ſubminiſtret, atque, ſi his dociles ſe præbeat, demum & proxime ſufficientia adiungere omni tempore paratus ſit. Falſum itaque eſt, DEUM peculiari quodam affectu unam ſibi duntaxat gentem ſalvandam mox ab initio mundi, aut a Chriſti temporibus elegiſſe. Conſtat enim ex eadem S. Scriptura, quæ de populo DEI electo hiſtoriam tradit, revelationem promiſſionemque, Adamo peccanti a DEO factam de Meſſia ſeu redemtore mittendo, ad omnes eius poſteros ſeſe extendiſſe. Cum Adami poſteri maximam partem ab ea fide deſciviſſent, illis diluvio pro ſcelerum merito punitis propagationi ſceleris ulteriori in poſteros ipſa progenitorum internecione proſpexit, & per Noëmum genus humanum quaſi de novo, unaque veram religionem in eo, inſtauravit. Huius quoque maiorem partem ſecuta corruptione, uni ſaltem genti ſalvandæ ſingularem curam ex protoparentis eius Abrahami & aliorum merito impendit: Nec tamen ceteras ita neglexit, ut non ipſa celebritate miraculorum, qua gentem Iudaicam maxime illuſtrem in orbe reddidit, illas veritatis identidem admoneret: ſaltem eos privatis auxiliis nunquam deſtituit, qui medias inter tenebras naturæ vocem debita pietate auſcultarunt. Unde videmus Iobum in medio gentilium infidelium fidelem DEO; eiusque magnanimas virtutes præ ipſa Iudæorum fidelitate admiramur. Atque eandem quoque rationem veniente tempore in divulgatione Chriſtianæ revelationis reipſa tenuit. Primo Apoſtolis præcepit, ut irent *in mundum univerſum*, & Evangelium prædicarent *omni creaturæ*, *Marci ult.* v. 16. Deinde miraculorum

donum illis tribuit, ut, quo ipſi non poſſent, ſaltem mirabilium ab illis patratorum fama pertingeret. Ad quos demum neque Apoſtoli, nec illorum fama penetrare poſſet, eos inſtruendos ſibi DEUS ipſe reſervabat, primum quidem magiſterio rationis naturalis, ac deinceps, ſi huic ſaltem in facilioribus dociles ſe præberent, paratus erat eos primo per auxilia remote ſufficientia, ac demum etiam per proxime ſufficientia ad Chriſtianæ veritatis ſecurum tramitem perducere. Non itaque habet temeritas Theiſtæ, quod DEO exprobret, qui *cum magna reverentia* vel ipſas creaturas rationales proprias *diſponit*, & dum *attingit a fine uſque ad finem fortiter*, ſimul *omnia ſuaviter diſponit*, teſte Sapiente cap. 12. v. 18. & cap. 8. v. 1.

§. 134.

Offenſio removetur, quam Theiſtæ ex multis hæreticorum inter Chriſtianos dogmatis, ex ſcholarum diviſione, & ex ſuperſtitionibus ſubinde in Chriſtiana plebe invaleſcentibus, capere, & magnopere exaggerare ſolent. Non deſunt, inquiunt 1mo. Chriſtiana in religione doctrinæ maxime inconditæ, noxiæ, & perverſæ, puta de libero hominis arbitrio, quod multi neceſſitate ineluctabili involvi ad peccandum docent; de Prædeſtinatione abſoluta non nullorum pauciſſimorum tantum, ac reliquorum omnium hominum reprobatione æterna & item abſoluta; de auxiliorum ſalutis ſufficientium in multis hominibus defectu; de bonorum operum inutilitate &c. &c. In aliis præcipuis religionis capitibus controverſiæ perpetuæ & contradictiones unius factionis Chriſtianorum adverſus aliam exaudiuntur. 2do. Ipſos inter Catholicos, qui ſolos inter omnes ſapere ſe exiſtimant, quot litibus & pugnis ſcholarum diverſarum doctores committi inter ſe ab

Digitized by Google

ab omni retro memoria ad hunc diem conſueverunt? Quot ſuperſtitionibus omnia religionis exercitia chriſtiana in plebe perpetuo miſcentur? Taliſne religio, tam parum ſibimet conſtans, tot abſurdis luculentis fœde vitiata, DEUM auctorem vademque habeat?

Reſpondeo. Primam offenſionis iſtius partem Theiſtæ equidem facile ignoſcam. Revera enim, ſi methodum cogitandi cunctis hæreticis noſtris communem quiscunque recta ſequatur, fieri non poteſt, ut intra totius chriſtianæ religionis limites, libertate iudicii proprii in definiendis fidei dogmatis ſemel ſibimet ſumta, uſquam ſubſiſtat; ſed certa neceſſitate in ipſa uſque planiſſimi Theiſmi caſtra trahitur. Atque inde eſt, quod, philoſophandi libertate & acumine hodie ſi unquam invaleſcente, tantus hæreticorum numerus in omnibus Chriſtianis provinciis, priſtinis ſectarum deſertis ſignis, ad liberrima illa mere philoſophicæ ac naturalis religionis ſigna transvolet. Sed advertat animum Theiſta, noritque, ſectarum noſtrarum inconſtantiam illam & diviſionem revera eiusdem prorſus, aut ſimilis certe, arrogantiæ effectum eſſe; qualis ipſi cauſſa eſt, ut a tota religione chriſtiana ex integro abhorreat. Iugo nimirum fidei & ſubmiſſione proprii iudicii adverſus Eccleſiæ auctoritatem ſemel vel una in parte, ſeu dogmate, excuſſo, quam unam dogmatum ſuorum iudicem & Magiſtram, tam neceſſariam, quam falli neſciam, IESUS Chriſtus pro ſua ſapientia inſtituit; veluti fundamento ſubruto, omne fidei ædificium ex toto corruit. Profecto enim aut nihil omnino fidei, aut totum tribuendum eſt in religionis dogmatis tam obſcuris, qualia IESUS Chriſtus docuit. Ultro itaque fatebor, non poſſe aciem adverſus Thei-

ſtarum acumen ſatis conſtanter tenere quoscunque hæreſiarchas noſtros, ſolosque catholicos huic pugnæ conferendæ aptos eſſe pugiles. Sed ſi Theiſtæ hæreticorum noſtrorum doctrinæ diſplicent, ceu ipſi etiam rationis naturalis lumini adverſantes; diſcat ex præſente experimento proprio, quam inſufficiens ſibimet rationis lumen ſit, niſi altiori DEI Magiſterio modeſta ſui ſubmiſſione ſe regendum & docendum præbeat. Non itaque niſi in ſinu Romanæ & Catholicæ Eccleſiæ IESU Chriſti religionem genuinam quærat; ac tum ſecuri ſumus, nihil inventurum in omni eius ſumma, quod vel cum iuſta illa ſupremi Numinis idea, vel cum ſana ratione pugnet uſquam:

Ad caput alterum adhuc facilior eſt *reſponſio.* Eccleſia Catholica omnium controverſiarum iudex falli neſcia a IESU Chriſto conſtituta quidem eſt, & regula morum æque certa. Attamen tolerat illa diſputationes & controverſias, circa modum dogmata explicandi, divinitus non revelatum, aut in corollariis ac ſequelis quibusdam inde deducendis, ſalva illorum ſubſtantia, verſantes. Tolerat illa item, præter ſtata præſcriptaque cunctis religionis exercitia, uſus quosdam ac certas praxes ſponte a fidelibus ſibi ſubditis bono animo aſſumtas, quin probat etiam, quamdiu rectæ rationi atque dogmatis fidei non adverſantur; nec tamen cuiquam præcipit. Iam in illis mere ſcholaſticis doctrinis, ſubinde etiam ſerpere errores quosdam, in plebis religiones ſæpe irrepere abuſus, quid adeo eſt mirum denique? Hos illosve ſiquis obſervet, alio non eſt opus, quam ut ad Eccleſiam iudicem ſimul ac piam matrem deferat; & correctio amborum illico in promtu erit. Iam vero omnis rectæ mentis officium eſt, ob alienas

filiorum

Digitized by Google

filiorum maculas a matris pulcritudine intuenda, & admiranda perfectione; oculos obſtinate non avertere; imo ne maculas quidem nemini, niſi volenti, noxias ultra modum exaggerare.

§. 135.

Corollaria ex dictis hactenus generalia. I. *Omnis ex integro quæſtio, totaque inquiſitio, de veritate totius Chriſtianæ religionis unice ad hanc quæſtionem meri facti reducenda deinceps eſt: an eadem vere ſit ab ipſo DEO revelata?* Neceſſitate enim revelationis divinæ in genere, poſſibilitate, atque etiam utilitate, dignitateque revelationis reſpectu totius religionis Chriſtianæ in ſpecie, iam plene oſtenſis, non niſi de ſola exiſtentia huius revelationis, quæ tota utique factis, locutione, & ſignis externe a DEO editis conſtare debet, quæſtio iam eſſe poteſt.

* Demonſtrationis ergo ratio & modus omnis quæſtionis propoſitæ modum & rationem ſequi ex integro debet. Quæritur ergo, ſecundum bonæ Dialecticæ præſcriptum quænam facti propria demonſtratio exiſtat, cui oporteat omnem ſanum hominem acquieſcere?

§. 136.

II. *Male Theiſta ad obligationem fidei inducendam demonſtrationes Geometricas requirit de veritate rerum revelatarum, aut ipſius revelationis a DEO factæ, circa quamcunque religionem.* Dem. Evidens enim eſt, quod DEUS pro ſuo iure æque liberam intellectus ſubmiſſionem erga ſuum teſtimonium, atque ſubiectionem liberam voluntatis erga ſua præcepta, cum obligatione gravi exigere ab hominibus potuerit, tum ad maius ſuæ gloriæ, tum ad eorum meriti, incrementum. Atqui non eſſet libera por-

ro

Digitized by Google

ro ſubmiſſio intellectus, ſi aut de ipſa veritate rerum revelatarum, aut de facta a DEO revelatione, per demonſtrationes metaphyſicas, vel, ut vocant, Geometricas, conſtaret. Evidens enim eſt (evidentia ſaltem extrinſeca, quæ iuxta intellectum rapit ad aſſenſum, ſi plena ſit, atque eum rapit evidentia intrinſeca) eſſe verum, quod ſumme evidens eſt, DEUM revelaſſe: ergo intellectus non poteſt non aſſentiri, id eſſe verum: nec adeo liberum voluntatis imperium expectaret ad aſſenſum.

§. 137.

III. *Demonſtratio partim phyſica, partim moralis proprie quadrat revelationi comprobandæ, quod facta reipſa a DEO fuerit.* Dem. Revelatio enim fit per facta, nempe per locutiones divinas exterius per ſigna ſenſibilia, aut per ſigna interna in ipſa mente hominis, editas. Atqui facta ſufficienter & proprie per demonſtrationes phyſicas, nempe ex ſuis naturalibus effectis, ſeu per morales demonſtrantur, ita, ut data tali demonſtratione omnes obligationes quamcunque graves ultro citroque humano in commercio ſortiantur locum, inter parentes & liberos, inter principes & ſubditos, in commerciis, in negotiis quibuscunque. Quippeni ergo & homo DEO obligetur, voluntatem ſuam atque mentem homini cum demonſtratione & ſumma morali certitudine ſignificanti?

§. 138.

IV. *Incredulitas, quam Theiſtæ ceu vim quamdam & vigorem profundæ rationis vulgo oſtentant, reipſa rationis ingens imbecillitas eſt, aut a tumore ſpiritus, aut a perverſione animi nata.* Dem. Si enim vis quædam profundæ rationis eſſet, perſpicaci intellectione regularum genuinarum bonæ Logicæ niteretur.

tur. Atqui nulla ſana Logica docet, demonſtrationibus moralibus factorum obſtinate obnitendum, aut pro infantiæ præiudiciis eas habendas eſſe. Defectus ergo potius eſt rectæ Logicæ, ſeu artis cogitandi, atque adeo vera mentis imbecillitas. Porro mens iſta imbecillis vel inſtrui melius recuſat, quia ſapere nihilominus ſe perfecte exiſtimat; & tumoris typho agitur: vel officia ſua doceri refugit, ne implere eadem cogatur; & tum perverſione animi laborat.

* Ecce! quo phantaſmate multi ſeducantur, cum magnum quid eſſe putant obſtinationem, qua increduli divinis teſtimoniis obnituntur. Revera enim ſunt non pauci, qui ipſi religionis indolem non examinant, nec ſatis ab ingenio inſtructi eſſent ad ſimile examen. Nihilominus oſtentatum ab aliis in hoc argumento ingenium ſuſpicientes, pulcrum & ſibi eſſe putant, ſi eorum grandes videlicet ſpiritus imitentur. Diſcant ergo, quid ſentire de incredulis revera debeant. Diſcant ipſi Theiſtæ increduli, quid, & quanto argumento, de ipſis doctiſſimi iuxta ac probi omnes ſecundum omnem ſanam rationem ſentire omnino cogantur.

§. 139.

Demonſtrationi morali, quæ revera talis eſt, nil ſolidi, nil probabile, opponi poteſt; etſi abſolute impoſſibile oppoſitum eſſe cum evidentia metaphyſica non conficiat. Regula hæc Logicis ſat nota eſt.

* Si eam ignorat Theiſta, ad Logicæ rudimenta redeat, ut imbecillitatem mentis ſuæ diſcat.

§. 140.

Incredulitas ergo ineptiſſimum eſt remedium ad ſuffocandos remorſus conſcientiæ, ſtante morali demonſtratione

Digitized by Google

tione revelationis a DEO factæ. Dem. Nullum enim probabile argumentum, nihil uſquam ſolidi, obiicere mentis anguſtiis poterit incredulus, quo timorem DEI vindicis & æternitatis pœnarum in ſe ipſo conſoletur.

* Solent iſti homines anguſtias mentis, quibus initio ſaltem rebellionis ſuæ acriter perurgeri conſuevere, tribuere primis infantiæ ſuæ inſtitutionibus, & educationis præiudiciis. Sed enimvero deponi denique iſthæc facile, ubi ſolida ratio de contrario nos edocet, in quam plurimis nemo eſt qui non experiatur, & quidem eo facilius in iis, quæ moleſte alioquin nobis tenere accidit. Quodſi itaque tam ſolida Chriſtianæ religioni argumenta habent imponere boni homines; cur non angores illos ſuæ conſcientiæ, tam moleſtos ſibi alioquin, iſtis ſopiunt? Sed nempe non imaginatio tantum, aut error imperfecti ſenſus, non inanis vulgi opinio, aut præceps fama, iſthic obſtat, ut fieri in infantiæ præiudiciis ſolet: ſed clara nimis ſolidæ rationis vox acclamat, quam non eſt tam facile ſuffocare. Sed & multo periculoſius eſt hanc contemnere.

** Verum eſt: docilis etiam Chriſtianus quandoque armis illis, queis ſolis pugnat incredulus, videlicet myſteriorum, quæ credenda illi proponuntur, obſcuritate, & evidentiæ metaphyſicæ defectu de exiſtentia revelationis, quandoque conterretur. Sed id genus tentationi & neceſſario relinquendus erat locus, ut libertas aſſenſus fidei maneret ſalva, & arma ſolida in promtu adverſus eam ſunt, queis elidatur, nempe integrum ſummæ certitudinis moralis robur, tollens omne prudens dubium. Atqui hoc ipſo iſtorum ſoliditati armorum reſiſtere incredulus non valebit, &, ſi non quidem eis omnino cedat, tamen non conterreſieri perpetuo ab eisdem, ac triſtibus dubiis agitari, non poterit.

§. 141.

Digitized by Google

§. 141.

Incredulus ergo revera is eſſe definiri poteſt, qui, etſi rationes credendi prorſus ſufficientes habeat, tamen obſtinavit abſolute animum ad non credendum.

* Ecce quantus incredulitatis honor! idem nempe atque inſaniæ. Tanti ſcilicet erat ſtolidum propugnare *amorem libertatis, & proprii iudicii,* nec niſi evidentiæ cedere velle. Patere vero, ut verba magni Auguſtini ſtultitiæ tuæ opponam. Is in lib. de vera religione de univerſis, qui more tuo religionis iugum excutere libertatis amore ſolent, cap. 38. inquit: *non efficient, ut non ſerviant. His rebus, quibus quisque beatus vult effici, ſerviat neceſſe eſt; velit, nolit. Itaque omnibus mundi partibus ſerviunt, qui propterea putant nihil colendum eſſe, ne ſerviant.* Quod alterum attinet, de libertate iudicii videlicet, nota, libertatem iſtam ne locum quidem abſolute in rebus evidentibus habere. Quodſi ergo libertatis iudicii uſus quidam eſt cum merito & vera laude coniunctus, tunc profecto eſt; cum divinæ veritati, etſi non per evidentia vincula trahenti, ſed ſumma veriſimilitudinis ac certitudinis moralis ſpecie invitanti, ultro ac libere captivum tradis intellectum.

CAPUT V.

EXISTENTIA DIVINÆ REVELATIONIS DE RELIGIONE CHRISTIANA HYPOTHETICE DEMONSTRATUR EX CHARACTERIBUS SEU CRITERIIS ISTIUS EXTRINSECIS IMMEDIATIS.

Characteres extrinſeci immediati Divinitatis, ſeu divinæ originis, quos hoc capite revelationi Chriſtianæ religionis aſſeremus, ſunt vera *Miracu-*

la

la & Prophetiæ divinæ; quia immediate, nec ullo mediante alio ſigno, DEUM eſſe locutum oſtendunt. Ratiocinium totum, quo utemur, ad hanc ſynopſin reducitur. *Miracula & Prophetiæ, quæ in teſtimonium veritatis edita pro IESU Chriſti Divinitate & doctrina aſſeruntur, certa divinæ revelationis ſigna ſunt. Ergo ſi vere edita aſſerantur, Chriſti religio eſt divinitus revelata.* Duobus articulis gemini iſtius *characteris* indolem ac vim omnem exponemus: quem utrumque recte *extrinſecum* vocamus; quia revera ab ipſis Chriſtianæ religionis dogmatis atque regulis diſtinguitur. *Demonſtrationem* denique iſtam adhuc non niſi *hypotheticam* eſſe profitemur, donec realis iſtorum characterum exiſtentia Cap. ſeq. a nobis quoque demonſtretur.

ARTICULUS I.

CERTITUDO REVELATIONIS DIVINÆ DE RELIGIONE CHRISTIANA EX VERIS MIRACULIS HYPOTHETICE DEMONSTRATUR.

Ut id genus demonſtratio ſit numeris omnibus abſoluta, quatuor capita demonſtrari debent: 1mo. miraculum poſſibile eſſe; ad quod opus eſt diſtincta eiusdem notione: 2do. diſcerni idem certis ex indiciis poſſe a prodigiis naturalibus, 3tio. imo etiam a præſtigiis dæmonum: 4to. talia revera eſſe, quæ pro religione Chriſtiana allegantur. Omnia enim iſthæc capita Theiſtæ præfracte negant. Prima quatuor capita huius articuli quatuor paragraphis abſolvemus: quintum, ceu cum prophetiis commune, peculiari articulo tertio expediemus. Ceterum extremæ ſubtilitatis controverſias hic cum Theiſtis Philoſophis tractaturis

ſtaturis ſcholaſtica ſtyli præciſione utendum rurſus erit, ut ſpurias demonſtrationes, quas D. David Hume in Diſſert. de miraculis inanibus ſtyli parergis involvit, eo ſolidiore ſimplicitate disiiciamus.

§. I. *Lemmata quædam prævia philoſophica, ex quibus notio Miraculi divini, & eius poſſibilitas ſtabilitur.*

§. 142.

Omnis ſenſibilis mutatio, quæ in corporibus huius mundi evenit, motione eorundem varia efficitur: qua tum elementorum corporeorum, tum ipſorum corporum compoſitio inter ſe mutua, ſucceſſione perpetua aliter atque aliter immutatur.

§. 143.

Succeſſio compoſitionum in mundo evidenter adhuc numero infinita eſſe non potuit; atque adeo una aliqua prima elementorum & corporum mundi compoſitio fuit.

§. 144.

Primæ compoſitionis elementorum & corporum iſtius mundi ratio ſufficiens adæquata & ultima nec in elementorum eſſentia, nec in ipſa illa compoſitione prima eſſe potuit: ſecus enim hoc ipſo, uti ratio, ita & rationatum immutabile fuiſſet, nec adeo primæ compoſitioni unquam alia ſuccedere potuiſſet.

§. 145.

Primæ ergo compoſitionis elementorum atque corporum mundi ratio adæquata & ultima extra mundum fuit, nimirum in voluntate entis infiniti, ſub hac compoſitione mundum creantis potius, quam ſub alia.

* Hæc ipſa eſt demonſtratio DEI a poſteriori; quam qui cum Spinoſa impudenter negat, is utique nec miraculum eſſe poſſibile admittet. Sed cum id genus Atheis debellatum in Metaphyſica ſupponimus.

* * Secundum Leibnitianos ſaltem ratio motiva, ſeu *cauſſa moralis*, non tamen *efficiens*, huius præ alia compoſitionis in ipſa compoſitione prima inerat: quia nimirum hæc ſola aptitudine pollebat ad mundum optimum conſtituendum. Unde, cum ſecundum ipſos DEUS neceſſario ſemper faciat, quod ſecundum ſe optimum eſt, ideo ſic elementa mundi primo compoſuit; quia hæc optima eorum poſſibilis compoſitio erat; quin aliter componere potuerit.

§. 146.

Regulæ motuum in hoc mundo vocantur iudicia enuntiantia rationes ſufficientes proximas quantitatis & qualitatis motuum, qui fiunt in hoc mundo adſpectabili. Similiter *regulæ mutationum mentis humanæ* ſunt iudicia enuntiantia rationes ſufficientes proximas illarum.

§. 147.

Rationes ſufficientes proximæ motuum, qui in corporibus iſtius mundi perpetuo ſibi ſuccedunt, vel inſunt in ipſa vi activa & paſſiva aliqua elementorum mundi, determinata ad certum modum agendi per ipſam eorum compoſitionem; vel inſunt in ſola voluntate DEI, elementa immmediate modo quodam ſtabili moventis, hoc eſt, nunc hoc, nunc alio loco, conſervantis. In compoſito enim, quale eſt mundus, nihil ineſt niſi componentia & ipſe modus compoſitionis: ergo aut in alterutro horum, aut extra totum mundum in ipſo DEO rationes illæ ſufficientes quærendæ ſunt.

Digitized by Google

* Ambæ ſententiæ ſuos habent defenſores hodiedum: neutram tamen præ altera hic adoptare opus eſt, ut demonſtratio locum habeat: etſi mihi quidem prior illa vel hoc nomine certa videatur; quod ſecus, ſi vi activa omni, a compoſitionis modo pendente, elementa corporum deſtituantur, inutilis prorſus ac otioſa omnis illa belliſſima organorum ſenſualium conſtructio futura ſit.

§. 148.

De mente humana ſenſu intimo evidens eſt, aliquarum eius mutationum rationes ſufficientes proximas, e. g. idearum ſenſibilium, eſſe extra mentem, aliarum vero, e. g. cognitionum & volitionum, vulgo eſſe in mente ipſa. Porro idearum ſenſibilium ratio proxima rurſus eſt vel in corporibus externis, per organa ſenſuum agentibus in ipſam mentem, vel in DEO.

§. 149.

Leges naturæ vocantur regulæ motuum corporeorum & mutationum mentis humanæ ſtabiles & uniformes, ſecundum quas omnis in hoc mundo motuum quantitas & qualitas, item omnis mutatio non libera mentis humanæ, uniformiter & conſtanter adminiſtrantur in hoc mundo adſpectabili.

§. 150.

Dantur eiusmodi leges naturæ. Hoc Aſtronomia inprimis evidenter docet, quæ ſecundum id genus leges motus omnium aſtrorum in calculos reducit. Hoc docet Phyſica, quæ ſecundum easdem experimenta diverſiſſima capit. Hoc docet ars omnis, quæ iuxta regulas ſtabiles eosdem ſemper effectus & artefacta producere docet. Idem de mente humana docent Optica, Acuſtica, Muſica, regulæ ſenſuum, phantaſiæ, memoriæ, imo tota Logica, & Pſychologia.

Digitized by Google

§. 151.

Determinatio legum naturæ, quæ actu viget in hoc mundo, a DEI voluntate inde ab initio in ipſa mundi creatione pendebat. Vel enim (per §. 147.) rationes ſufficientes motuum inſunt in ipſa vi activa quadam & paſſiva elementorum, vel in ſola voluntate DEI eadem per ſe immediate moventis? Si primum: modus agendi elementorum per primam mundi compoſitionem determinatus eſt ad hanc ſeriem motuum, quæ nunc fuit, eſtque adhuc in mundo (§. ult.); prima autem mundi compoſitio pendebat a voluntate DEI (§. 145.). Si alterum: idem per ſe evidens eſt. Ergo &c.&c. Porro cum mutationes mentis omnes pendeant a conſtructione organorum ſenſualium; uti Pſychologia demonſtrat: ſi leges naturæ corporeæ pendent inde ab initio a voluntate DEI, leges etiam mutationum mentis humanæ neceſſario primitus item voluntati DEI fuerunt ſubiectæ.

§. 152.

Prodigium vulgo vocatur mutatio quævis in hoc mundo adſpectabili eveniens, cuius regula, ſeu ratio ſufficiens proxima (§. 146.) inter leges naturæ vulgo notas non continetur. Quodſi reipſa quidem in iſtis contineatur, attamen occulta, vel pauciſſimis nota hominibus ſit: *prodigium naturæ* dicitur. Sin mutationis cuiuscunque ratio ſufficiens proxima reipſa in nullis naturæ legibus contineatur, tunc mutatio talis efficietur vel opera diabolica, ſeu ſpirituum malorum; & *prodigium diabolicum*, ſive *præſtigia*, appellatur; vel eadem efficitur virtute Angelica, ſeu bonorum ſpirituum, DEI nomine & voluntate agentium, vel immediata ipſius DEI actione; & utroque hoc caſu ultimo

prodi-

Digitized by Google

prodigium divinum, ſive *miraculum* ſimpliciter, vocatur. Eſt itaque *miraculum* mutatio in natura corporea, vel humana, eveniens, & habens auctorem DEUM, vel immediate per ſe, vel per miniſtros Angelos, agentem præter leges naturæ. Vide Coſmol. §. 294. not.

* Progreſſus illuſtres hodiernæ Phyſicæ plura *naturæ prodigia* detexere, quorum ratio non modo vulgo hominum ſemper ignota, ſed antiquis, etiam doctiſſimis, ad unum omnibus impervia fuit: etſi inter leges naturæ reipſa contineri hodie certiſſime noſcatur. Porro præter mentes humanas alios *ſpiritus nobiliores*, acriore cogitandi vi, quin & potentiore movendi corpora facultate præditos, *poſſibiles eſſe*, omnis ſana ratio perſuadet. *Eorundem exiſtentiam actualem* affirmarunt omnes omnium temporum nationes, & omnis, quæ adhuc in mundo viguit, religio docuit. Qui ipſe conſenſus omnium hominum *de facto*, ab omni exteriore ſenſu tam prorſus remoto, cum naturalis utique non ſit, non aliunde verius originem ſuam traxit, quam a quadam revelatione divinitus facta primis hominibus, & traditione ad eorum poſteros, ex quibus natæ ſunt integræ gentes, tranſmiſſa. Et vero hanc ipſam illius originem chriſtiana religio meridiana in luce ponit: cum magnam ſuperiorum id genus ſpirituum multitudinem primitus a DEO creatam eſſe docet; quorum quidem pars maior, in DEI obſequio conſtans ac fidelis, in gratia ipſius & æterna amicitia mox confirmata fuerit; una tamen pars tertia in rebellionis contra DEUM admiſſæ pœnam cœlo, & divinæ poſſeſſione amicitiæ, deiecta momento fuerit. Spoliati hi quidem omnibus puræ gratiæ donis, haud tamen item naturali ſua virtute exuti penitus. Imo ſervata hæc illis eſt eum in finem, ut, ceu divinæ Iuſtitiæ adminiſtri, vel puniendis iam in hac vita, vel certe æternum torquendis in vita altera illis hominibus ſervirent, qui illorum ſecuti exemplum, paris ſe in DEUM rebellionis reos

 facturi

facturi eſſent. At vero idololatria ſucceſſu temporis invaleſcens, ut creatoris ideam etſi pæne a natura menti impreſſam, miſere peſſumdedit, ſic & revelationis iſtius doctrinam peſſime pervertit. Spirituum utriusque generis, bonorum & malorum, cultus, ceu totidem Deorum, aut ſemidêum, veri unius Numinis cultui ſucceſſit; &, ut omnis fœcundus error eſt, Magiam, ſortilegia, incantationes, divinationes, auguria, & auſpicia, & neſcio quas id genus ſtygias artes invexit in orbem. Sacrificuli, trahentes ex eis emolumenta maxima, fabulis easdem innumeris nutrivere: Philoſophi & Poëtæ antiqui quoddam etiam arcanæ ſcientiæ decus in earum fabularum articulata eruditione conſtituerunt. Imo DEI permiſſu dæmones reipſa ſuam operam hominibus, eam ultro requirentibus, ſæpe præſtitiſſe, nunc ad prodigia quædam efficienda, nunc ad inferenda aliis damna, ſacra chriſtianæ antiquitatis monumenta exemplis indubitatis confirmant. Theiſtæ noſtri hodierni ex adverſo, ultra omnem modum ſapientes, cum ſacrificulorum gentilium fabulis ipſam quoque veritatem chriſtianæ religionis hac in parte explodunt, & cum illis tam veras præſtigias dæmonum, quam miracula divinitus edita, univerſe ad aniles ineptias ablegant, imo in rebus plane impoſſibilibus miracula vera numerant. Nempe ſatis acuti homines advertunt, dæmonum præſtigias & fallacia prodigia ſine veris divinis miraculis haud ſane prudenter admitti; nec omnino poſſe permitti a DEO, ente illo ſumme provido, & veritatis iuxta ac felicitatis creaturarum ſuarum rationalium tam amante, ut mendacibus prodigiis hominem in errorem mali ſpiritus inducere contendant; niſi eodem tempore veritas, maioribus certioribusque miraculis firmata, fraudis devitandæ remedium animis doli expertibus miniſtret. Id quod optime pridem Origines contra Celſum probavit. Vide Fleurii hiſt. l. VII. §. 17. In edit. latin. T. II. p. 390.

§. 153.

§. 153.

Miracula vera evidenter ſunt poſſibilia. Dem. Evidenter enim leges naturæ, quas ipſe primitus ſola voluntate ſua determinavit (§. 151.), DEUS quoque in peculiari quodam caſu ex ſpeciali quadam ratione, e. g. ad ſignificandam homini voluntatem ſuam de quacunque re, vel ad conteſtandam ſua auctoritate veritatem aliquam, exceptione facta mutare poteſt. Vel enim vi ſua activa & paſſiva propria ac ſtabili moventur corpora in mundo, vel ſola DEI moventis uniformi & ſtabili voluntate? Si primum; motus omnis ex prima mundi compoſitione, hæc vero a DEI voluntate determinata eſt: ergo & nunc, ſicuti initio, aliter determinari a DEO poterit, aut ſaltem exceptio quædam legis initio determinatæ fieri. Aut an minus nunc quam inde ab initio DEUS creaturæ ſuæ Dominus eſt: Si alterum; rurſus ſola DEI voluntate leges naturæ ſunt definitæ, imo in ipſa uniformi DEI voluntate, hoc, non alio, modo corpora ſtabiliter movente conſiſtunt: ergo, ſicut initio poterant voluntatis divinæ decreta variari, & aliæ movendi leges ſtabiliri; ita & deinceps pro peculiari caſu in legibus & decretis cetera uniformibus poterit exceptio quædam fieri. Idem prorſus valet de mutationibus mentis humanæ, quarum leges ſive omnes in ipſa vi mentis & corporum, ſive in voluntate DEI immediate fundentur; ſemper tamen a voluntate DEI inde ab initio pendebant (§. cit.). Ergo adhucdum in eis quidquam variari, & pro peculiari caſu ex ſapiente fine exceptio fieri poteſt, vel actione extraordinaria DEI immediate interveniente, vel negotio bonis Angelis dato, ut actionem ſuam DEI nomine & voluntate extra ordinem interponant. Atqui mutatio in mundo eveniens, naturæ legibus contraria, &

Digitized by Google

cum exceptione illarum coniuncta, ſimulque habens DEUM auctorem, aut agentem immediate, aut per bonos Angelos adminiſtros, verum miraculum eſt (§. praec.). Evidenter ergo poſſibile eſt verum miraculum.

* Vides, datam miraculi notionem & ſignificatui recepto conformem eſſe, & ſimul ita attemperatam, ut cuivis Philoſophorum adhuc celebri de natura corporum ſententiae tota demonſtratio haec pariter omnino quadret. Soli Leibnitiani, qui tenent, DEUM neceſſitate & lege quadam generali naturae ſuae ſemper facere, quod in ſe eſt optimum, peculiarem iſthic offendunt difficultatem. Dicere enim ex conſequentia doctrinae debent, DEUM in mundo non niſi leges naturae omnium optimas voluntate ſua inde ab initio ſtabilire potuiſſe. Ex quo ſequi videtur, ne nunc quidem mutari quidquam ab eo in illis poſſe, neque adeo miraculum contra illarum vim patrari. Nihilominus Leibnitiani ipſimet miraculorum poſſibilitatem ultro admittunt; & vero non ſine veriſimilitudine reſpondere hic quidem poſſunt: licet leges naturae praeſentes, quatenus *ſtabiles*, uniformes, & ordinariae ſunt, optimae ſint, & ordinarium mundi curſum optimum determinent; non tamen ideo ſequi, quod particularis exceptio quaedam, quae miraculi ſpecie interveniat, ſalvis cetera legibus ordinariis, non melior ſit, quam ipſius omiſſio. Interim, etſi tale decretum DEI (nempe faciendi exceptionem per miraculum in lege aliqua naturae ſtabili) oriretur ex alia *lege generali naturae ipſius DEI*, qua regerentur iuxta Leibnitium ipſae DEI actiones, & decreta, tam quae ſtabiles *naturae creatae leges*, quam quae harum exceptiones determinarent (nempe illa lege naturae Divinae, qua is ſemper debet facere, quod eſt optimum); adhuc tamen miraculum non in ſtabili *lege naturae creatae* rationem ſufficientem *proximam* habiturum, ſed potius in iſtius exceptione quadam; etſi

etſi rationem *remotam* tum miracula, tum omnes ordinarii eventus in mundo, habituri ſint *in* communi aliqua *lege naturæ ipſius DEI*, qua ſcilicet ipſæ omnes DEI actiones reguntur. Satis tamen vel ex ſolo hoc exemplo apparet, quantis difficultatibus & Philoſophiam, & Theologiam, hæc Leibnitii doctrina involvat; quæ multis hodiedum placet; quam tamen in Pſychologia iam abſolutiſſime refutatam ſupponimus.

** Advertes porro, eadem pæne methodo poſſibilitatem præſtigiarum dæmonis probari poſſe: cum nihil obſtet, quo minus DEUS ex ſapienti aliquo fine permittat etiam dæmoni, ut actione ſua interveniente intra certos limites ordinarium naturæ curſum mutet: modo miraculis veris, aut mediis aliis, hominem ab illius fraudibus, quantum opus eſt, immunem præſtet. Sicut enim tentari hominem ab homine, ſic & tentari eundem a dæmone, permittere ſane poteſt. Qui tamen etiam ſpiritibus creatis actionem in corpora abiudicant, utique nec diabolicam præſtigiam, nec angelicum prodigium, ſenſu alio admittere poſſunt, quam quo ſenſu motus corporis humani, ad mentis arbitrium evenientes, etſi ſecundum ipſos a ſolo DEO ponantur, tamen hominis actiones ab ipſismet appellantur, ipſique menti tribuuntur: eo quod nempe DEUS corpus ad arbitrium mentis ſtabili lege moveat.

*** Ceterum demonſtratio hæc poſſibilitatis miraculorum ſummi res momenti eſt in præſente omni argumento, ut ex corollariis ſequentibus patebit; quæ totam vim ac omne fundamentum evidentiæ demonſtrationis noſtræ deinceps circa primum hunc divinæ locutionis characterem complectuntur.

§. 154.

I. *Determinatio futurorum eventuum in mundo, per ſolas leges naturæ facta, non eſt omnino abſoluta, ſed*

 condi-

Digitized by Google

conditionata tantum; id eſt, vi legum naturæ omnes in mundo mutationes certo modo evenient, niſi exceptione per miraculum facta DEUS aliter diſponat. Sequitur hoc ex poſſibilitate miraculi oſtenſa; quæ oſtenſio univerſe ad ſingulos eventus naturales ex æquo ſe extendit.

§. 155.

II. *Cuiuslibet eventus, mutationis, & facti, in hoc mundo contingentis, antequam reipſa contingeret, oppoſitum abſolute poſſibile erat.* Poterat enim virtute divina per miraculum impediri.

§. II. *Natura atque indoles certitudinis phyſicæ & moralis accurate explicatur.*

§. 156.

Evidentia phyſica iudiciorum de eventibus, ſeu mutationibus, in hoc mundo contingentibus eſt intuitus diſtinctus rationum ſufficientum naturalium, ſeu legum naturæ, per quas quilibet eventus, vel mutatio, in mundo pro quovis tempore & loco ſic determinatur, prout iudicium enuntiat.

§. 157.

Evidentia ergo *phyſica iudiciorum de futuris eventibus in hoc mundo pro quavis hypotheſi non omnino abſolute cum veritate eorundem iudiciorum, ſeu ipſa futuritione eventuum eorundem, coniuncta eſt, ſed ſolum ſub conditione non intervenientis actionis ſupernaturalis* (per §. 154.).

* *Differt* hac in parte *evidentia phyſica ab evidentia reali metaphyſica;* quæ poſterior ſemper abſolute cum veritate

ritate coniuncta eſt. Omnino enim abſolute verum eſt, *bis duo eſſe quatuor.* At vero, etſi ſpiritum aliquem creatum tam excellenti intelligentia præditum exiſtere ponas, qui ipſas rerum creatarum eſſentias intime introſpiciendo ipſas rationes ſufficientes eventuum & mutationum corporearum naturales intueatur; nunquam is tamen prorſus abſolute certus eſſet ex præſenti cauſſarum naturalium, etiam neceſſario agentium, diſpoſitione, quod eventus quidam huic reſpondens, vel per naturæ leges determinatus, actu futurus ſit, ſed nunquam non hæc conditio interveniret: *niſi DEUS actione prodigioſa intercedat.*

§. 158.

Evidentiam phyſicam nunquam vere & proprie aſſequimur iudiciis noſtris de eventibus, ſeu mutationibus, in hoc mundo contingentibus. Dem. Nunquam rerum extra nos exiſtentium naturam ipſam, ſeu eſſentiam, facultatesque activas & paſſivas, nos homines intuemur; ſed ſolum mutationes ipſas in obiectis ſibi mutuo ſuccedentes; & tum quidem, cum experimur, conſtanter duas ſenſationes externas continuo in mente noſtra ſubſequi, concludimus, primæ ſenſationis obiectum cauſſam eſſe illius mutationis in obiecto externo, quæ ſecundæ, continuo & conſtanter ſubſequentis, ſenſationis obiectum conſtituit; vel certe, quod lex naturæ a DEO conſtituta ſit (ſuppoſito videlicet, quod ſubſtantiæ corporeæ ipſæ non agant §. 147.) ut poſita prima obiecti mutatione continuo ſecunda ab ipſo DEO ſubiungatur. Et quoniam ea eſt lex phantaſiæ noſtræ naturalis, ut, quæ aliquando ſimul coniuncta ſenſatione externa ſatis diſtincta percepimus, eorum unius recurrente idea mox quoque idea alterius olim ſimul iunctæ, vel mox conſecutæ rei, reproducatur: hinc quando conſtans, valdeque frequens, & ſemper uniformis eſt experientia

rientia ſenſuum de duabus mutationibus in aliquo obiecto ſemper continuo ſubſequentibus, ex reproductione duarum eiusmodi idearum ſibi cum conſtanti uniformitate in mente noſtra ſuccedente concludimus, mox atque primam ſenſatione externa alicuius obiecti reproduci ſentimus, ex ſtatu obiecti primæ huic ſenſationi reſpondente mutationem alteri ideæ, cuius reproductio reproductionem primæ continuo ſequitur, reſpondentem in obiecto, velut effectum ex cauſſa, vel certe vi legis naturæ ſtabilis, ſubſecuturam. Non itaque ipſas *rationes ſufficientes* mutationum & eventuum naturalium ſibi continuo ſuccedentium vulgo intuemur, ſed ipſam ſolum earum *ſucceſſionem*, ceu obiectorum, in ſucceſſione idearum noſtrarum experimur, *ut præſentem* quidem *in ſucceſſione idearum*, quarum ambæ *ſenſuales* ſunt, *ut præteritam* mere *in ſucceſſione idearum*, quas a phantaſia reproductas facultas memoriæ recognoſcit. Demum ſi ſemper quædam ſibi tempore præterito ſucceſſiſſe meminimus: prioris idea ſenſuali & alterius phantaſtica redeunte, multarum ſimilium experientiarum memoria habitum in nobis creat eventus ſimiles continuo expectandi. Ergo evidentiam phyſicam nunquam habemus &c. (§. 156.).

§. 159.

Lemmata quædam logica et psychologica. 1mo. *Cum ſenſu externo frequenter iam & nunquam non uniformiter experti ſumus, certas in obiectis externis mutationes conſtanter easdem & eodem modo coniungi, tunc recurrente unius mutationis ex eisdem duabus ſenſatione continuo ſenſu intimo ſentimus nos inclinari ad concludendum cum omni ſecuritate & certitudine, ſubſecuturam mox alteram illam in obiecto eodem mutationem, quam antehac ſemper ſubſecutam eſſe uniformi*

uniformi ſemper ac ſimul frequentiſſima experientia ſenſuum experti ſumus.

2do. *Ex adverſo ſi experientiæ ſenſuum uniformes non fuerunt, ſed diſſimiles, ita, ut non ſemper eadem mutatio ſubſequens in obiecto eidem mutationi præcedenti reſpondiſſe obſervata fuerit, ſed nunc hæc, nunc alia: tunc neutiquam cum firmitate illa, ſecuritate, ac certitudine ex primæ mutationis redeunte obſervatione ſecuturam alteram concludimus, ſed cum probabilitate ſolum, eaque maiore, vel minore, pro eo atque plures uniformes, & pauciores diſſentientes experientias prævias de ſucceſſione continua id genus mutationum in obiecto numeramus.*

3tio. *Pſychologia & Logica nos docent, inclinationem illam naturalem ad concluſiones illas nunc cum certitudine, nunc cum probabilitate ſolum, faciendas immediate oriri ab ideis uniformium illarum, vel difformium, experientiarum ſenſualium ope phantaſiæ reproduci ſolitis; quæ ideæ ſingulis experientiis olim captis reſpondentes ſingulæ totidem ſint rationes inſufficientes & probabiles, quarum uniformitas pro illarum numero probabilitatem augeat, &, ſi numero ſat frequentes ſint, ſimulque diſſentientium experientiarum ideæ nullæ omnino adſint, quæ ſimul ab aſſenſu talis concluſionis eodem tempore abſterreant, omnino certitudinem, id eſt, gravem illam ac firmam mentis ad aſſenſum inclinationem, nullo in oppoſitam partem momento retentam ac debilitatam conficiat.*

4to. *Porro ipſe intuitus mentis (ſeu ſenſatio interna) uniformis in ideas uniformes præteritis ſenſationum experientiis reſpondentes* CERTITUDO PHYSICA *de ſimili eventu vocatur; quia ex natura ipſa tum mentis noſtræ eiusque facultatis phantaſticæ, tum obiectorum naturalium, ſecundum ſtatas naturæ leges mutationes ſuas obeuntium, enaſcitur.*

Exem-

* Exempli gratia, poſtquam diutina, frequenti, & ſemper uniformi ſenſuum experientia experti ſumus, ignem accenſum admotam manum continuo comburere; deinceps ut primum ignis nobis propius admovetur, phantaſia continuo uniformem & claram uſtionis ideam ideæ ignis propius admoti coniungit, quæ mentem graviter inclinat ad certo credendum, fore, ut rurſus ignis adurat manum, ſi propius admoveatur. 2. Ex adverſo, etſi flante auſtrali vento ſæpius experti ſimus, ſecutas eſſe pluvias; ſi tamen ſæpius quoque factum, ut eventus idem flanti vento illi non reſponderet; etſi flante eodem vento pluviæ idea mox ſimul recurrat, cum tamen & idea ſerenæ aut ſiccæ tempeſtatis itidem recurrant, oppoſitis nimirum experimentis reſpondentes; ideæ quidem pluviarum pro numero frequentiæ ſuæ inclinabunt mentem ad expectandas denuo poſt illum ventum pluvias; & ſimul oppoſitæ ideæ itidem pro ſuo numero eandem ab expectandis pluviis abſterrebunt.

§. 160.

Certitudo phyſica iuxta hypothetica eſt, id eſt, non niſi ſub eadem hypotheſi non intervenientis miraculi cum veritate coniuncta, atque hypothetica eſt evidentia phyſica (§. 157.). Dem. Nititur enim & ipſa hypotheſi, quod obſerventur leges naturæ, mentis ſcilicet humanæ naturali ex lege phantaſiæ reproducentis præteritarum ſenſationum ideas, & obiectorum extraneorum ſecundum ſtatas leges mutationes ſuas obeuntium (§. præc. Lemmate 4to.).

§. 161.

Certitudo phyſica iudiciorum noſtrorum de eventibus futuris in mundo non nititur inductione generali & completa. Dem. Nemo enim eſt hominum, qui aut ipſe experientiam generalem & completam

tam omnium caſuum ceperit, aut eam captam ab aliis certa atteſtatione ſaltem humana compertum habeat.

* Cum ergo certitudo phyſica ex inductione generali vim veritatis nec abſolute, nec ſub conditione etiam abſentis miraculi habeat; quæritur, *an eam habeat omnino, ſaltem ſub iſta conditione; & unde eam habeat.* Vel quæritur: unde ſingulæ experientiæ præteritæ rationem probabilis argumenti pro conſecutione ſimilis eventus futuri in ſimilibus circumſtantiis nanciſcuntur? Cum tamen ipſas eſſentias rerum, quas pro cauſſis habemus, non intueamur. Item: Cur bene concludimus cum certitudine, id, quod ſemper certo aliquo poſito evenire experti ſumus, etiam deinceps poſito eodem rurſus eventurum?

§. 162.

Certitudo phyſica (abſente conditione miraculi) cum ipſa veritate iudiciorum connectitur præciſe per hypotheſin vel bonitatis (ſeu veræ perfectionis) naturæ mentis humanæ, vel exiſtentium in determinandis rerum creatarum mutationibus ſtatarum legum naturæ. Dem. Quodſi enim facultas illa phantaſiæ, ſecundum notam ſuam legem reproducentis ideas mutationum olim coniunctim ſenſatione externa perceptarum, atque per iſtarum uniformitatem inclinantis ad ſimiles eventus expectandos, quodſi, inquam, facultas illa vera naturæ mentis perfectio eſt; ad falſa iudicia inclinare mentem non poteſt: cum idem ſit omne bonum vere tale ac verum, & idem contra malum vere tale ac falſum, in metaphyſica conſideratione. Porro ſi vere extant ſtabiles & generales leges naturæ, ſecundum quas uniformiter & conſtanter iisdem poſitis eveniunt eædem mutationes in rebus tamdiu, donec miraculo DEUS interveniat; tunc rurſus iudicia, ad

quæ

quæ ferenda mens humana illa certitudine phyſica (§. 159. num. 4.) inclinatur, vera ſunt, ſimulque hoc ipſa facultas illa mentis, ideas uniformes experimentorum præteritorum producens, & per has ad aſſenſum inclinans, vera mentis perfectio eſt; quia ad iudicia vera inclinans. Per utramque ergo iſtam hypotheſin, & quidem per quamvis ſeorſum, ſi vere exiſtat earum vel alterutra, certitudo mentis phyſica, abſente interventu miraculi, nunquam non cum ipſa veritate iudiciorum connectitur, ad quæ inclinat.

* Itaque non niſi abſolutam alterutrius ex iſtis duabus hypotheſibus, quarum utraque alteram infert, exiſtentiam & veritatem demonſtrare opus eſt, ut evidens evadat, *certitudinem phyſicam* poſita conditione abſentiæ miraculi nunquam non æque ac *evidentiam* ipſam *phyſicam* cum veritate iudiciorum ita certorum connecti.

§. 163.

Certitudo phyſica, etſi ex reproductis ideis conſentientium ſemper experientiarum, ſive ſenſationum, naſcatur; tamen per ſeipſam non exhibet menti immediate impoſſibilitatem abſolutam etiam naturalem alterius diſſimilis eventus ſub iisdem adiunctis antecedentibus eventuri; & per hoc differt præciſe ab evidentia phyſica: quia hæc, ceu intuitus ipſius rationis ſufficientis nunc actu præſentis, hoc ipſo oſtendit, manente hac ratione ſufficiente invariata, nec ſubſequens ex ea rationatum variari omnino poſſe, niſi vel in ratione ſufficiente naturali quid mutetur, vel accedat ratio ſupernaturalis.

* *Quæritur ergo,* utrum, cum certitudo phyſica nec oppoſiti eventus naturalem impoſſibilitatem, nec adeo infallibilitatem iudicii menti per ſe exhibeat; utrum, inquam, nihilominus fallere abſolute (extra caſum miraculi, pro

quo

Digitized by Google

quo nihil illa enuntiat) & cum falſitate iudicii coniungi abſolute queat, ad quod inclinat. Sive: *an evidenter exiſtant hypotheſes* §. 162. *explicatæ.*

§. 164.

Certitudo phyſica gradus varios habere magnitudinis poteſt. Dem. Tota enim uniformitate idearum, præteritas experientias uniformes repræſentantium, & iſtarum claritate ac frequentia nititur (§. 159.). Iam vero cum utique ideæ iſtiusmodi uniformes ob variam reflexionis intenſionem in aliis clariores, in aliis minus claræ & diſtinctæ, item ob diverſam experimentorum ſimilium frequentiam in aliis magis, in aliis minus multiplicatæ eſſe poſſint: hoc ipſo nunc plures, nunc pauciores rationes inſufficientes, eæque nunc magis, nunc minus validum momentum habentes, concurrent ad pariendam illam inclinationem mentis ad iudicium de ſimili in ſimilibus circumſtantiis eventura mutatione efformandum (§. 159. num. 3. & 4.).

§. 165.

Ad ſummam phyſicam certitudinem de futuro aliquo eventu non opus eſt propria experientia cuiusque, qui phyſice certus eſſe velit, qua is ſingillatim omnes ſimiles eventus præteritos ipſe expertus ſit, ſed ſufficit conſentiens aliorum hominum teſtimonium, idem ſe conſtanter expertos teſtantium, ac ne iſtorum quidem univerſorum, ſed aliquorum tantum; ſic tamen, ut nullo probabili teſtimonio conſtet de experimento contrario. Cum enim arctis limitibus ætas hominis circumſcripta ſit, nec ipſe omnibus eventibus in omnibus locis præſens eſſe, nec omnibus convivere hominibus quisquam poteſt. Ergo numerus conſentientium experientiarum propriarum iuxta ac teſtimonio-

rum humanorum, qui ſummam in hac vita poſſibilem certitudinem determinat, plane ad utramque iſtam reſtringi conditionem debet. Nec tamen etiam de experimento etiam contrario conſtare debet; ne momentum ad certum iudicium de ſimili eventu futuro inclinans pondere contrario hebetetur.

§. 166.

Vis illa, quæ memoriæ conſtanter ſimilium experimentorum in ſimilibus adiunctis captorum ineſt ad inclinandam mentem humanam, ut deinceps quoque ſimiles eventus cum ſumma certitudine phyſica expectet, vera mentis humanæ perfectio eſt, atque adeo certitudo illa phyſica talium iudiciorum cum veritate iſtorum abſolute (extra caſum miraculi) connexa eſt, & vere evidenter exiſtunt leges ſtatæ in natura (§§. 162. 149.). Dem. Evidens enim eſt ea ipſa, quam omnes homines in ſe ipſis capiunt, experientia & ſenſu intimo, eam ipſam facultatem eſſe unicum omnis providentiæ futuri & prudentiæ medium, cuius ope & vitam omneque bonum, quo actu fruuntur, conſervare, futurum ſibi procurare, & a malo ſe præſervare poſſunt. Siquid ergo omni humana in vita bonum ineſt, & ſi in univerſis humanæ vitæ eventibus, qui illius ope facultatis aut procurari, aut evitari poſſunt, quid ineſt aut boni, aut mali; evidenter medium unice neceſſarium ad ea bona procuranda, & evitanda mala, non poteſt non ipſum eſſe bonum, veraque perfectio mentis humanæ. Itaque etiam hoc ipſo (ut §. 162. dictum) per ſe ad falſum iudicium inclinare ceu ad verum malum non poteſt; quia hoc ipſo nec medium aptum eſſet ad bonum homini procurandum & vitandum malum. *Rurſus.* Vel natura ineſt menti facultas iſta, vel indita per accidens? ſi primum:

cum

Digitized by Google

cum reale quid ſit, utpote ad reales actus & iudicia determinans, ſimulque ex neceſſaria determinatione, non libera fingendi facultate, ſeſe exſerat; participatio quædam eſt bonitatis veritatisque entis infiniti, adeoque hoc ipſo bonum aliquod. Sin alterum: non niſi a bono ente inditum, nec ſine DEI creatoris conſilio, eſſe poteſt; quod falſum intendere non poteſt. 2do. Quodſi autem evidens eſt, vera eſſe iudicia, ad quæ vis illa memoriæ homogenearum experientiarum tam potenter inclinat; cum homogenea & conſtans vis illa ipſamet ſit, leges quoque naturæ conſtantes extare & homogeneas oportet, quibus rerum ſucceſſio, & eventus mutationesque in hoc mundo determinentur (§. 149.); cum ſecus vera eſſe iudicia non poſſent, ad quæ vis illa inclinat.

§. 167.

Etſi certitudinis phyſicæ actualis connexio cum veritate iudiciorum ratiocinio §. præc. demonſtretur; tamen vulgo illo ratiocinio aſſenſus humanus phyſice certus non nititur, ſed præciſe uniformitate idearum memoriæ de experimentis præteritis. Dem. Revera enim quando cum iſta certitudine eventus quosque expectamus, nihil unquam ad ipſius fundamenta reflectimus; quin & ab infantia mox eadem concludendi methodo utimur veluti certiſſima duce ad evitandum malum, & procurandum nobis bonum, naturæ noſtræ neceſſarium. Quin & brutis ſuo modo ea concludendi ratio convenit, ratiocinii omnis vere expertibus. Ergo &c.

* Proprie ergo inſtinctus naturæ quidam dici poteſt inclinatio illa concludendi ex præteritis experientiis ad ſimiles futuros eventus, quam ratiocinium. Et vero hic cogitandi modus nimis neceſſarius erat ad conſervandam

 ſpeciem

Digitized by Google

ſpeciem humanam, quam ut fallibilibus rationis inexperta operationibus ſubiiceretur, quæ valde lenta eſt in ſuo progreſſu; quæ in primis infantiæ annis vix ſui indicium aliquod prodit, & in omni ſequente ætate errori ac deceptioni extreme ſubiecta eſt. Conveniebat profecto ſapientiæ auctoris naturæ, ut ſecuritati actus tam neceſſarii proſpiceret, affigendo eundem alicui inſtinctui, & natural inclinationi, quæ ceu in ſua operatione falli neſcia, mox a noſtro in mundum ingreſſu ſe manifeſtet, cum facultate ipſa cogitandi ſeſe magis identidem evolvat, nec ulla in re a laborioſo intellectionis ſtudio dependeat. Fere perinde, atque mero inſtinctu nos natura uſum membrorum noſtrorum edocet; etiamſi cognitioni noſtræ conſtructionem nervorum atque muſculorum eodem tempore ſubducat, quibus illa cientur ad motum: ſic & illum præfatum inſtinctum eadem nobis indit, qui cogitationes noſtras redigit in ordinem, ordini illi ad amuſſim reſpondentem, quem inter obiecta earundem ſtabilivit; occultans nobis ſimul vires & elateres, quibus regularis curſus ille perpetuo ſuſtinetur.

§. 168.

Certitudo itaque *phyſica, hactenus explicata, evidentiæ metaphyſicæ, aut phyſicæ* (§. 156.), *rationem reipſa nec habet, nec eam cognitionis claritate aſſequitur; attamen ſi ſummum attingit gradum, quem poteſt* (§§. 164. 165.), *connexione cum iudiciorum, ad quæ determinat, veritate eidem prorſus æquivalet* (§. 165. & §. 166.).

§. 169.

Certitudo moralis, qua auctoritati & teſtimonio humano adſtipulamur, item præciſe experientiæ uniformis memoria perinde nititur, & naturali exinde ſe exerente inſtinctu, perinde atque certitudo phyſica, qua ex pro-

Digitized by Google

propriis præteritis experientiis uniformibus de ſimilibus futuris eventibus concludimus. Dem. Nititur enim moralis illa certitudo unice veri notitia teſtibus reipſa competente, atque voluntate eorundem ſincera dicendi verum; quæ duo proprie rationem ſufficientem veracitatis eorundem conficiunt. Atqui neque iſtas rationes ſufficientes veracitatis teſtium quorumcunque unquam in ſe ipſis intuemur, ſed ſolum ſigna quædam externa, quæ ſi vulgo & communiter adſint in teſtibus quibusque, uniformiter experti ſumus, veritatem dictis eorundem, & notitiam voluntatemque dicendi verum eorum mentibus, conſtitiſſe. Quoties ergo eadem ſigna recurrere in teſtibus quibusdam obſervamus; toties continuo uniformis illius experientiæ memoria inſtinctu ſuo connaturali nos perinde ad ſimilem inferendam teſtium eiusmodi veracitatem pari certitudine nos inclinat; atque inclinari ſolemus ad effectus phyſicos ex phyſica experientia uniformi inferendos. Itaque revera certitudo moralis perinde, atque phyſica, non niſi uniformis experientiæ præteritæ memoria innititur.

§. 170.

I. *Certitudo ergo moralis certitudini phyſicæ æquivalet quoad connexionem cum veritate; quoties æque generali, uniformi, clara, & frequenti experientia de veracitate teſtium ſub certis quibusdam ſignis teſtantium nititur.* Eadem enim utriusque ratio connexionis cum veritate eſt, nempe naturæ mentis conſtitutio ad aſſenſum tunc inclinans, & hæc inclinatio & inferendi methodus ab experientia veracitatis teſtimoniorum humanorum perinde neceſſarium medium ſummeque utile eſt ad providentiam boni & mali in vita humana, atque inſtinctus

& methodus concludendi ex propria uniformi experientia phyſica eventuum naturæ.

* Dixi, *quoties æque generali & uniformi &c. experientia nititur.* Nam in hoc differt experientia veracitatis humanæ ab experientia eventuum humanorum; quod, cum leges naturæ uniformes ſint ex neceſſitate naturæ, vel ſtabili decreto DEI; ex adverſo veracitas teſtis ab arbitrio libero humano pendeat, quod eſt inconſtans; idcirco longe frequentior & uniformior ſit ſimilium effectuum naturalium obſervatio, quam experientia talium ſignorum in teſtimoniis humanis, quæ nunquam non cum veritate coniungi ſolent. Facilius ergo in pluribus rebus certitudo phyſica inſignem illum gradum ſuum attingit (§. 165.): contra rara & pauca ſunt illa ſigna, nec ita frequens eorum obſervatio, quæ nunquam fallere in teſtis veracitate indicanda ſolent. Dari tamen aliqua e. m. ſigna, e. g. in generali teſtimonio, quod Roma exiſtat, experientia notum eſt.

§. 171.

II. *Etiam certitudo moralis iudicii de veritate teſtimonii non ratiocinio* (§. 167), *nec impoſſibilitate oppoſiti nititur* (§. 163.), *ſed præciſe uniformis experientiæ memoria de connexione talium ſignorum veracitatis teſtis cum ipſa veracitate eorundem.*

§. 172.

III. *Ad ſummam moralem certitudinem de veracitate alicuius teſtimonii, itidem non requiritur propria perſonalis experientia de eius veracitate in omnibus omnino caſibus, in quibus cum ſimilibus ſignorum adiunctis editum eſt; ſed ſufficit præter propriam numeroſam experientiam conſentiens teſtimonium aliorum hominum de uniformi ſua experientia, ac ne iſtorum quidem univerſorum, ſed aliquorum tamen* ſecundum dicta §. 165.

* Viden-

Digitized by Google

* Videndum iam eſt, qua ratione hæc principia (ad quæ firmius ſtabilienda arduam hanc ſpinis Logicis viam ingredi Theiſtarum argutiæ nos coëgerunt) ad miracula cum certitudine omni ſufficiente diſcernenda nos deducant.

§. III. *An miracula vere divina a prodigiis naturæ iuxta ac a diabolicis præſtigiis cum ſufficiente certitudine diſcerni queant?*

§. 173.

Eventus naturaliter ſuturi certitudo phyſica, imo & evidentia phyſica (ſi detur) ſicut nec pro exiſtentia oppoſiti per miraculum, ita nec contra exiſtentiam oppoſiti per miraculum, vel tenue & qualecunque argumentum conficit. Dem. Utraque enim non niſi conditionata eſt (§§. 157. 160.), i. e. non niſi ſub conditione non intervenientis miraculi futurum eventum exhibet; quin de veritate iſtius conditionis uſpiam vel aliquid affirmet, vel neget, ſuadeat, vel diſſuadeat: imo poſſibilitatem oppoſiti per miraculum prorſus intactam, imo & demonſtratam (§. 153.) relinquit. Ergo &c.

* Nempe certitudo, quin & evidentia, phyſica eventus futuri nullo modo *contrarie* aut poſſibilitati, aut exiſtentiæ miraculi opponitur, ſed ſolum privative huius exiſtentiæ adverſatur; ut Metaphyſici loquuntur.

§. 174.

Eventus alterius naturalis certitudo phyſica omnino potius requiritur, ut certus eſſe queam, eventum illi adverſantem veram habere miraculi rationem. Dem. Ut enim certo ſcire queam, eventum quemcunque veram habere miraculi rationem, certus eſſe de-

Digitized by Google

beo, illum legi naturæ adverſari. A qui de hoc ipſo certus eſſe nequeo, niſi certum ſit, ilium eventum per leges ſolius naturæ abſen e miraculo evenire debuiſſe: quæ certitudo cum reipſa phyſica ſit; patet certitudinem phyſic im oppoſiti eventus naturaliter futuri omnino po ius requiri, ut in quocunque caſu haberi certitud queat, miraculum in præſens intervenire.

* Quam craſſus ergo error eſt D. Davidis Hume Angli (*dans l' Eſſai Philoſophique Dixieme ſur les Miracles.* Edit. Gallic. Londin. 1764. pag. 8. & 13.) affirmantis, certitudinem phyſicam eventus oppoſiti naturalis, quæ ab experientia ſenſuum naſcitur, venire in conflictum cum quacunque alia evidentia, miraculi exiſtentiam conteſtante; atque idcirco, cum moralis certitudo, ex humano teſtimonio nata, nunquam non inferioris ordinis ſit, quam certitudo phyſica; idcirco nullo humano teſtimonio ſatis conteſtari exiſtentiam præteriti miraculi poſſe; quin nata ex illo moralis certitudo ab adverſante illi certitudine phyſica eventus contrarii naturalis, ceu debilior a fortiore, prorſus elidatur. Quam, inquam, craſſus hic error eſt, & ſanæ Logicæ adverſans. Circa *exiſtentiam* miraculi certitudo phyſica diverſi ab eo eventus naturalis nullam omnino rationis utut inſufficientis, ſeu ſuadentis, ſeu diſſuadentis ſpeciem aut vicem gerit (§. 173.). Ad dignoſcendam vero naturam, ſeu *ſupernaturalem originem, miraculi*, ſeu cuiuscunque eventus prodigioſi, cuius exiſtentia unde unde, ſeu proprio ſenſuum experimento, ſeu ex alieno teſtimonio, perſpecta eſt, certitudo phyſica eventus naturalis diverſi, in eius abſentia futuri, omnino potius neceſſaria eſt. Profecto ſecus ne proprio quidem ſenſuum experimento numeris omnibus abſoluto Apoſtoli IESU Chriſti certi fuiſſent de exiſtentia miraculorum IESU Chriſti; cum certitudo phyſica cum alia certitudine phyſica teſti-

teſtimonii ſenſuum pugnans haud dubie iſtam quoque ſic eliſiſſet, ut pondus omne ab æquali pondere in bilance elidi ſolet. Advertit abs dubio ſequela iſta Anglum Philoſophum, & tamen eodem momento, qua prima religionis Chriſtianæ fundamenta modis omnibus ſuccutere laborat, frigido ſanguine ſe Chriſtianum iactitat, At iam familiaris hæc hypocriſis eſt Theiſtis medios inter Chriſtianos agentibus.

§. 175.

I. *Quam certum eſt in quovis caſu lege naturæ aliquid in certa ſpecie eventus evenire debere, tantundem certum eſt, eventum huic adverſum, ſiquis forte eveniat, rationem veri miraculi habere.* §. præc.

§. 176.

II. *Quisquis ergo coram ipſe oculis & propriis ſenſibus eventum percipit, qui certitudine phyſica legi alicui naturæ adverſari noſcitur, in certitudine phyſica certus eſt de exiſtentia miraculi.* Senſus enim experientia præſens *exiſtentiam* talis eventus prodigioſi ſimpliciter cum certitudine phyſica probat; certitudo phyſica vero de alia lege naturæ pari cum certitudine evincit, eum miraculi indolem habere (§. præc.).

§. 177.

III. *Qui vero eundem eventum ex teſtimonio hominum moraliter certo cognovit, is moralem certitudinem de eius exiſtentia, & phyſicam de eius indole prodigioſa, habet.* Cum enim certitudo phyſica alterius legis naturæ argumento exiſtentiam probanti nullo pacto adverſetur; hoc vim ſuam conſuetam retinet.

Digitized by Google

§. 178.

Lege naturæ, etſi non omnes, plurimæ tamen paſſim cum morali, imo phyſica, certitudine nobis notæ ſunt, ac perſpectæ. Dem. Leges enim naturæ ſunt regulæ ſtabiles & uniformes, ſecundum quas mutationes in hoc mundo uniformiter & conſtanter eveniunt (§. 141.). Atqui harum plurimæ cum certitudine phyſica nobis ſunt notæ, hoc eſt, conſtanti, uniformi, & frequentiſſima omnium hominum, perpetuaque experientia obſervatæ (§§. 159. 165.). Sic ſumma certitudine ſaltem phyſica (159.) notum eſt nobis, lege ſtabili naturæ Eclipſes ſolis non niſi in noviluniis, & Eclipſes Lunæ non niſi in pleniluniis evenire & ſolere, & poſſe; item ſolem curſum ſuum diurnum nunquam per horas aliquot ſiſtere &c. Phyſice item certum, lege naturæ ſtabili proportionem quamdam inter cauſſam quamlibet atque effectum eſſe debere; certum quoque eſt, hanc proportionem aliquando non dari e. g. inter vires corporis humani & inter motum alicuius integri montis, vel maris diviſionem. Phyſice quoque certum eſt, lege naturæ ſtabili opus eſſe quadam applicatione inter cauſſam efficientem & inter ſubiectum, quod actionem recipiat; ita, ut quævis cauſſa certam habeat ſphæram activitatis, intra quam conſtitui oportet illud ſubiectum. Certum vero etiam ſæpius nobis eſt ſphæram activitatis alicuius cauſſæ non pertingere ad ſubiecta nimis remota. Sic e. g. certum eſt, actionem hominis vel corporis humani non pertingere uſque ad ſolem ita, ut ſola voce hominis aut impulſu ſiſti vel ipſe, vel globus terraqueus, ſuo in motu queat. Phyſice certum eſt, ad certos effectus ſtabili quadam naturæ lege requiri non ſolum quædam cauſſarum media, ſed etiam tempore eſſe opus, quo id genus effectus quaſi matureſcant.

Sic

Sic e. g. Ars multa poteſt in omni genere, multa item natura, ſed non ſine inſtrumentis congruis, nec niſi temporis iuſto intervallo. Sic Medicina multa præſcribit morborum apta remedia, ſed quæ non niſi per gradus & cum mora debita operantur. Idem tene de aliis artibus, quæ ſtatas ſingulæ leges naturæ cum certitudine phyſica obſervant in arteſactis ſuis efficiendis. Sic etiam nulla ſeges momento naſcitur, & matureſcit. Quodſi rebus ipſis creatis mutuam in ſe agendi virtutem neges (§. 147.), ſolique DEO omnes iſtiusmodi effectus tribuas; eadem manebit in ſenſu accommodo omnium iſtarum naturæ legum certitudo. Namque phyſice certum manebit, DEUM non ſolere in noviluniis ſolis lumen Luna interpoſita nobis ſubtrahere, neque eundem ad conatum hominis ſolere montes transferre, dividere maria &c., nec ad vocem hominis ſolis curſum apparentem ſiſtere, nec ſine applicatis congruis remediis, nec uno momento morbos graves ſanare &c. &c. Itaque leges naturæ quam plurimæ, etſi non omnes, ſatis nobis perſpectæ ſunt &c. &c.

* Verum inſuperhabita hac multarum legum naturæ certa ſatis notitia noſtra, urgent Theiſtæ, tenentque, opus plane fore, ut nullam prorſus ex omnibus naturæ legibus ignoraremus, ut ſecure de miraculi alicuius veritate ſtatuere, idque a meris naturæ & artis arcanæ prodigiis diſcernere poſſemus. Etſi multas ſatis perſpectas naturæ leges habeamus, inquiunt; ſunt tamen multo plures aliæ, quas oppido ignoramus. Iam quis vadem ſe præſtabit, quoties miraculi ſpecies aliqua ſe offert, nullam reipſa ex occultis illis naturæ legibus intervenire, ſecundum cuius præſcriptum res ex communi prorſus naturæ curſu atque ordine eveniat, quæ nobis miraculi omnem habere ſpeciem videtur. Eſto, legi alicui naturæ cœtera ſtabili eventus

tus adverſetur: etiam leges ſtabiles notæ & occultæ ſubinde concurſu mutuo ſibi adverſari, & *exceptionem* parere poſſunt ab alterutra ex eisdem; tumque id genus *exceptio*, etſi a lege occulta ſtabili profecta, rurſus nobis ignaris miraculum videbitur. Eſto ſolis eclipſis in plenilunio legi naturæ notæ adverſetur: quis ſcit, an non occulta alia nobisque prorſus adhuc ignota lex perpetua hanc a nota illa lege exceptionem poſtulet? Satis profecto frivola talis oppoſitio eſt. Sola *poſſibilitate* nititur; quin ullam vel tenuem rationem addat, quæ intervenientis *actu* occultæ legis naturæ ſuſpicionem ingerat. Non ergo certitudinem phyſicam illa tollit, eamque tam perfectam, quanta uſquam in hac vita eſſe ſolet: cum nec illa unquam tam univerſali omnium naturæ legum experientia nitatur, quæ exceptionis etiam naturalis impoſſibilitatem demonſtret (§. 163). Nihilominus, præter inveriſimilitudinem, quæ in eo inſuper eſt, quod unus aliquis homo fraudulentus, & forte etiam cetera notorie literarum expers, leges naturæ perſpectas habeat, quas omnes alii doctiſſimi univerſe ignorant, ſicque omnibus falſa miraculi ſpecie imponat, afferendæ a nobis ſunt rationes claræ ac convincentes, iſtud permitti a DEO in argumento religionis haud poſſe. Probabunt autem deinceps afferenda argumenta, quod, ſi etiam certitudo phyſica alio in caſu fallere unquam poſſet (quod evidenter falſum eſſe §§. 162. & 166. oſtenſum eſt) fallere illa nihilominus ſaltem tunc non poſſet, cum de vera indole miraculi in eventu quodam phyſice certi ſumus, cuius exiſtentia ceu argumentum religionis alicuius divinitus revelatæ allegatur.

* * Addunt porro iidem Theiſtæ, amplius etiam incertum fore, an eventus aliquis extra ordinem eveniens vere divinum miraculum ſit, ſi præter mentes humanas etiam maligni quidam, & hominibus infeſti ſpiritus admittantur: horum quippe vires, quo uſque ſe extendant, multo adhuc penitius ignorari, neque adeo diſcerni unquam

quam poſſe præſtigias iſtorum a veris miraculis. Plagium quidem hic Theiſta palam committit; cum armis nos oppugnet, quæ ipſe pro futilibus habet, nec niſi ex noſtra religione vires argumento adſciſcit. Reſpondendum nihilominus eidem non inanibus verbis, ſed gravibus argumentis eſt; ſi demonſtrare revelationem ex miraculis pleniſſime velimus.

§. 179.

Prorſus inveriſimile eſt, quod DEUS unquam permittat, ut homo quispiam impoſtor leges naturæ occultas, ac ceteris etiam doctiſſimis paſſim ignotas, ſolus ita calleat, ut eadem abutatur ad hominibus ceteris etiam probis univerſe, aut ſaltem integris gentibus, in materia religionis imponendum, & errorem tanquam agentis ipſius DEI nomine atque auctoritate conteſtandum; quin ullum detegendæ fraudis remedium moraliter poſſibile ſuperſit. Item: *æque inveriſimile eſt, quod DEUS in ſimili caſu maligno cuidam ſpiritui permittat, ut ſuam id genus impoſtori virtutem eo fine accommodet, ut eiusdem ope cum abuſu divini nominis in materia religionis integras paſſim gentes & probos etiam homines decipiat; quin fraus adverti humanitus poſſit.* Dem. Atque inprimis evidens eſt, quod neutrum DEUS permittere poſſit reſpectu univerſi generis humani circa præcipua & abſolute neceſſaria etiam naturalis religionis capita: cum ſine his nemo creationis finem implere poſſet, qui eſt DEO gloriam reddere, & beatitudinem ſibimet promereri (§. 28. &c.). Sed neque veriſimile, quod alterutrum permittat DEUS circa alia religionis capita minus abſolute neceſſaria. Pugnat enim iſtud cum idea DEI entis infinite boni, potentis, ſapientis, amantis veritatem, præſertim in ſuo cultu, quo a creaturis ſuis rationalibus afficitur. Talis enim DEUS non poteſt ſpeciali quadam permiſſione

ſione eripere ſibi ipſi facultatem extra naturalem ordinem per revelationem, ſeu internam, ſeu externam (§§. 47. 149.), loquendi homini cetera iuſto ac rectæ mentis, eumque ſive convincendi de aliqua veritate, ſive ſignificandi eidem cum ſufficiente certitudine aliquam ſuam voluntatem, & obſequium ab eo expetendi : neque poteſt idem DEUS id genus ſpeciali permiſſione eripere ſeu toti humano generi, ſeu integris gentibus, plane inſontibus, & nullius culpæ reis, omne prudens medium ſe expediendi ab abſurdis erroribus, ſuperſtitionibus, imo & gravibus periculis ſalutis, quæ ex ſpuria id genus erroneæ religionis revelatione paſſim naſcerentur ; ſiquidem ab impoſtore huiusmodi proponerentur nova dogmata credenda, captu valde difficilia, aut etiam officia ardua exercenda. Aut ſi certitudo illa phyſica ceu medium neceſſarium humanæ providentiæ in procurandis bonis & cavendis malis phyſicis, idcirco fallere non poteſt: num minus ad DEI bonitatem & providentiam ſpectabit, ut ne fallat, cum de religione & ſincero eius cultu ac ſignificatione propriæ ipſius circa iſta voluntatis agitur? Vide §. 166. Iam vero ſubeſt utique providentiæ ſummi ac divini gubernatoris tam ſcientia hominum, quam poteſtas dæmonum, & ſpirituum quorumcunque in religionis negotio æque, ac in ceteris ad naturale bonum hominis ſpectantibus. Etgo prorſus inveriſimile eſt &c. &c.

* Argumentum hoc cuique moderate, & ſine pravo affectu, de rebus iudicanti non poteſt, non abſolutiſſimum & cum ſumma certitudine coniunctum videri. *Opponit* nihilominus Theiſta 1mo. Permiſit DEUS, ut innumeri homines pagani falſis Deorum gentilium oraculis & prodigiis inducerentur in errorem de falſis Numinibus colendis ;

lendis; quin pro rudi ſimplicitate ſua diſcernere vel artes ſacrificulorum, vel dæmoeum præſtigias, potuerint: maxime, ſi ſenſus communis, de unitate DEI conteſtans, pro ſufficiente criterio religionis naturalis non ſerviat (§. 40.). Ergo ſimile quid in aliis permittere DEUS paſſim poteſt. *Reſpondeo.* Quisquis reverenter de DEO ſentit, ſtatuere in antecedentis propoſitionis caſu debet, DEUM, non niſi præviis gravibus delictis & iam hebetato per hæc communis ſenſus ſtimulo, reſpectu hominum illorum ſingillatim permotum, id genus ultimi mali & ſupplicii adverſus eos permiſiſſe. (Vide §. 63. not. 2. & §. 133. num.4.). Secus enim ex ſignis infra §. 180. recenſendis facile detegere præſtigiarum & fraudum eiusmodi fallacias potuiſſent. Si Theiſta tam effrons eſt, ut DEUM ſolum tantæ inclementiæ adverſus prorſus innoxios accuſet; fateor, ipſummet admittere delictum, quod cæcitate pari a DEO caſtigari plane mereatur. Sed mox eundem, qui homines illos vult eſſe omnes innoxios, ut DEUM crudelem faciat, audiemus reos facere omnes homines, ut ne loquentem DEUM audire ipſe teneatur. Ceterum cum prodigia illa & oracula nec utique phyſice certo talia fuerint, nec ſatis conteſtata, imo obviis fraudibus plena: quæ paritas cum miraculis prorſus phyſice certis inſtitui, aut quæ vis tali argumento eſſe poteſt?

* * *Opponit* itaque 2do. Fieri potuit, ut omnes homines occultæ alicuius culpæ rei ſint apud DEUM: ergo in pœnam talis culpæ univerſalem impoſturam in religionis materia permittere DEUS potuit. *Probat antecedens.* Secundum ipſos Chriſtianos omnes homines in Adam peccaverunt: ergo &c. *Reſpondeo.* Indignum DEO ſupplicium eſt pæna anticipata, & culpam præveniens. Atqui religio erronea falſis miraculis confirmata eſſet pœna iam anticipata, & præveniens ortum hominum primum naſciturorum in tali gente, vel in univerſo humano genere; ſiquis impoſtor huic palam ſine remedio noſcendæ fraudis impo-

imponeret. 2do. Theiſta rurſus ex mera *poſſibilitate* arguit; quin ullo vel tenui argumento probet, *actu* exiſtere id genus univerſale peccatum. Imo ne id quidem ſuſpicari de bonitate DEI licet, quod homines etiam peccatorum reos, attamen pœnitentes, & lucem veritatis ab eo demiſſa prece petentes, decipi permiſſurus ſit modo in theſi enuntiato. Oret itaque ſimilem lucem a DEO Theiſta, ut errori occurrat. 3tio. Allegat idem factum, originale peccatum videlicet, quod, niſi revelationem ipſe admittat, pro falſo prorſus ipſe habere debet; quodque eadem revelatio meritis Filii hominis ita remiſſum docet, ut ipſum ſolum ſecundum ſe ſpectatum nulli ſit cauſſa pœnæ poſitivæ, ut vocamus, quæ plus importet, quam meram ſubtractionem indebiti favoris, qualis eſt poſſeſſio naturæ integræ, & donorum ei adhærentium (§. 130. num. 8.). Atqui deceptio publica in materia religionis pœna eſt poſitiva, non merum favorem ſubtrahens, ſed grande inferens malum abſolutum etiam ſtatui puræ naturæ. Ergo etſi in parentibus modo quodam conſimili, & per peccatum quoddam originale peccaſſent reipſa homines omnes; tamen illa deceptio publica pœna iuſta non eſſet. 4to. Denique ſequetur ſic prorſus, etiam certitudinem phyſicam ex DEI permiſſione ſimili poſſe fallere: cum DEUS reos homines non magis teneatur a malo phyſico quam morali reddere immunes. Vide §. 166.

* * * *Opponit* porro 3tio. Etiam veræ religionis cognitio merus eſt favor iuxta nos ipſos nulli ſingillatim a DEO debitus (§. 59.). Ergo etiam ſine omni culpa prævia, vel ſaltem ob ſolam aliquam culpam originalem præviam, ſubtrahi hominibus a DEO poteſt. *Reſp. diſt. conſeq.* Ergo ſubtrahi poteſt omnibus plane; *nego* ob rationem §. 58. datam: ergo ſubtrahi poteſt multis; *ſubdiſtinguo:* id eſt, non concedendo veritatis notitiam; *conc.* permittendo deceptionem, & inductionem abſolutam in errorem poſitivum; *nego.* Sic enim iam non mera favo-

ris

ris ſubtractio eſt, ſed vera illatio mali. Siqui ſint ex noſtris, qui etiam pœnas poſitivas, uti vocamus (id eſt, mala ipſa abſoluta, non meras ſubtractiones favoris indebiti, irrogantes) peccato originali adhærere doceant; ipſi viderint, quomodo Theiſtarum acumen effugiant. Mihi defendere niſi dogmata Chriſtiana hic quidem non eſt propoſitum.

**** *Opponit* 4to. Error ſemper innoxius erit, quamdiu circa religionis mere naturalis ſubſtantiam non verſabitur: ergo permitti a DEO citra inclementiæ vitium poterit. *Reſp. nego antec.* Graves enim obligationes inde orientur apud omnes, ſive credendi, tanquam a DEO revelata, dogmata inperceptibilia, ſive præſtandi officia ardua, e. g. confitendi homini ſua omnia peccata etiam occultiſſima &c.; quæ ſi non impleant, committent gravem DEI contemtum, a quo præcipi iſta pro certo habent; atque adeo novis pœnis graviter puniri merebuntur. An hæc levia Theiſtæ videntur? Si ita eſt: eccur ergo tantopere a Chriſtiana abhorret religione? quæ nulla in re cum naturali pugnat, nec ei ſuperaddit, niſi quæ ſancta ſunt & cum ingenti ipſius hominis gloria & utilitate coniuncta (§. 119.).

***** *Opponit* 5to. Error iſte ſemper detectu facilis erit, ſi univerſe pro impoſtura habeas modum loquendi tam obſcurum, qui DEO tribuatur, qui clare loqui & convincere hominem, ceu creaturam ſuam, ſi velit, pro arbitrio poteſt. *Reſp.* Ergo certitudini phyſicæ omnem vim ſuam abiudicabis? quam non tenacius illa in rebus naturalibus ſane exerit quam in miraculorum indole comprobanda. Ergo DEO facultatem negabis omnem ita loquendi homini, & atteſtandi eidem veritatem aliquam ſic, ut huic liberum maneat, exhiberene DEO fidei obſequium velit, an non? Quodſi enim cum *evidentia* hunc DEUS convincat, ſe ipſum loqui; cum evidens quoque ſit, DEUM

Digitized by Google

loquentem fallere non poſſe; ſidei obſequium iam non liberum erit, ſed prorſus neceſſarium. Deinde an homini tenebimur obedire ſub piaculo gravis noxæ, quem qualiscunque negativa certitudine credimus eſſe Regem, præpoſitum, aut patrem noſtrum? DEO autem nunquam credere aut obedire tenebimur, niſi certitudine ſumma convincamur, ipſum eſſe, qui loquatur, aut præcipiat? Vides itaque, mi Theiſta! ut nihil probabile afferre adverſus theſis noſtræ certitudinem uſquam poſſis.

§. 180.

Non obeſt certitudini phyſicæ miraculorum, quæ ſenſu proprio percipiuntur, quod præciſe & ſimpliciter demonſtrari nequeat, mali ſpiritus præſtigias haud ſubeſſe, ſed ſufficit ſumma iſtius inveriſimilitudo ſ. præc. oſtenſa. Dem. Idem enim nec certitudini phyſicæ teſtimonii ſenſuum obeſt; etſi nec de iſto quis demonſtrare abſolute queat, omnino impoſſibile eſſe, ut malus aliquis ſpiritus nobis perpetuo illudat. Sufficit nempe & hic ſumma inveriſimilitudo talis illuſionis actualis, ut phyſica certitudo plene huic criterio veritatis conſtet. Ergo idem tenendum de certitudine phyſica miraculorum, quæ ſenſu percipiuntur.

* Ecce itaque, quo res tota reducatur! *Non eſt evidentia metaphyſica impoſſibile, miraculum, etſi a ſapientibus univerſis pro vero habitum, reipſa aut impoſturam eſſe acuti hominis, aut præſtigiam diaboli: ergo non teneor credere, imo nec prudenter crederem, DEUM mihi miraculi iſtius voce loqui.* Hoc totum Theiſtæ argumentum, hoc robur invictum eſt. Adde vero illationi a te factæ: *ergo non teneor credere, nec prudenter credo, etſi inſuperhabito plenæ evidentiæ defectu moraliter, imo phyſice, certum ſit, DEUM hoc miraculo mihi loqui, & veritatem chriſtianæ religionis conteſtari.* Quam ſtupida hæc illatio! Quid oppones, quæſo,

ſo, Idealiſtæ, ſic tecum iuxta argutanti: *non eſt evidentia Metaphyſica impoſſibile, ut ens aliquod DEO inferius, permittente DEO, mundum ſenſibilem per illius ideas mentibus noſtris impreſſas nobis identidem repræſentando, nos homines perpetuo decipiat, & mundum nobis exhibeat, qui nuſquam reipſa ſit: ergo prudenter credo, mundum ſenſibilem reipſa non exiſtere.* Tu, Theiſta, dicis, DEUM miraculi errorem permittere poſſe in pœnam communis cuiuscunque peccati: quippenî tecum Idealiſta id ipſum dicat de perpetuo errore ſenſuum? Ecce Labyrinthum! & nunquid hoc prætextu ſolo iam probe te excuſabis Numini, quod non crediderис? An vero bene ſimili in caſu tuo te excuſares principi, quod non obedieris?

** Ceterum ſicui argumentum §§. 162. & 166. pro abſoluta connexione certitudinis phyſicæ cum veritate in rebus naturalibus demonſtrationis evidentiam attingere revera videatur; patet, haud dubie etiam argumentum prorſus ſimile, pro certitudinis phyſicæ miraculorum eadem abſoluta connexione cum veritate eorundem §. 78. allatum, itidem veræ demonſtrationis habere rationem.

§. 181.

I. *Quoties ergo in eventu prodigioſo, qui ad invocationem divini nominis pro aſſerendo aliquo falſo, vel negando aliquo vero dogmate religionis, conſequitur, vel fraus hominis artificioſa, vel præſtigiæ dæmonis interveniunt, cum periculo decipiendi integram gentem; toties ad DEI providentiam ſpectat fraudis certum aliquod indicium probis & rectæ mentis hominibus procurare.*

§. 182.

II. *Id genus indicia erunt* 1. *vel manifeſta abſurditas aut inhoneſtas doctrinæ, quæ per ſpuria id genus prodigia aſſeritur:* 2. *vel notæ iam alioquin fraudes*

& præſtigiæ hominis, prodigia id genus patrantis; 3. occultarum artium, quibus utitur, detectio: 4. miracula vera omni exceptione maiora, quibus veritas a DEO defendatur, & impoſtoris ars omnis confundatur; 5. pro vulgo hominum, quod proprio iudicio fraudem diſcernere non valet, univerſalis doctorum ſimul ac proborum hominum contemtus, quo id genus artes ut malignas explodunt.

* *Primi indicii exemplum* habes in oraculis falſorum Numinum, quæ vel diabolica, vel a ſacrificulis fraudulenter confiсta, quivis prudens facile agnoſcere poterat; dummodo adverteret, pro aſſerenda Divinitate laſcivorum & edacium neſcio quot Numinum eadem allegari. *Secundi exemplum* obvium eſt in Mahometis artibus. *Tertium* in Daniele ſacrificulorum nocturna veſtigia Dario Regi in templi pavimento clam illis a ſe pulvere conſperſo oſtendente videre eſt. *Quartum* Pharaoni adnotare in promtu erat in miraculis Moiſis, præſtigias Magorum palam confundentis, imbecillitatem limitationemque virtutis per eos operantis denique oſtentando. *Quinti exemplum* ſuppetit in præſtigiis Simonis Magi, Apollonii Thyanæi, aliorumque ſimilium, qui, utut neſcio quibus artibus famam conciliare ſibi ſtuduerint, tamen ſectatores non habuere, qui poſt fata eis multum tribuerent.

§. 183.

III. *Quoties pro aſſerendo aliquo dogmate religionis tanquam divinitus revelato ad arbitrium alicuius hominis DEI teſtimonium & nomen invocantis prodigium conſequitur, quod ab omnibus omnium temporum & locorum doctis ſimul ac probis hominibus leges naturæ corporeæ & humanæ ſtabiles cum certitudine phyſica §. 165. deſcripta tranſcendere creditur, quin ullum ex allatis §. præc. fraudis indiciis ſe prodat; evidens ſignum & loquentis DEI per verum miraculum: maxi-*

maxime ſi id fiat in ordine ad magnum hominum numerum, aut gentem integram ad eius dogmatis fidem adducendam (§§. 166. 179.).

§. 184.

IV. *Ipſa fides id genus dogmati, ceu divinitus revelato, intuitu eiusmodi miraculi a gente integra & a probis ſimul ac doctis hominibus paſſim & publice adhibita, certum indicium eſt veri miraculi* (§. 179.)

§. 185.

V. *Sanctitas teſtis, a quo ſub invocatione divini nominis miraculum patratur, ſi aliunde, quam ex ipſo miraculo, ſatis comperta ſit, novum veritatis miraculi argumentum præbet.* Eſt enim grave indicium, quod & ab omni tam ſacrilega fraude, & a commercio cum dæmone, longe abſit.

§. 186.

VI. *Si per hæc indicia de miraculi veritate conſtet, nihil eiusdem veritati porro obſtare poteſt ſola dogmatis per id conteſtati obſcuritas; vi cuius captum præciſe noſtrum excedat; quin tamen aperte & evidenter repugnet.* Oſtenſum enim iam toto Capite IIItio eſt, poſſe nobis a DEO talia revelari.

§. 187.

VII. *Primo ergo omnium in eventu miraculi ſpeciem habente ad hæc tria attendendum, 1mo. an ſub invocatione divini nominis editum ſit. 2do. An eventus revera opinione omnium doctorum ac proborum naturæ ſtatis legibus certo adverſetur. 3tio. An dogma ipſum, pro quo aſſerendo editus eſt, prudens & honeſtum ſit.*

* *Dices:* ergo veritas dogmatis ex miraculis tanquam DEI atteſtatione, & veritas miraculorum ex veritate dogmatum probanda erit, per circulum videlicet. *Repono,* gerram hanc eſſe, centies pridem exploſam, & philoſophico acumini indecoram. Aliud eſt *veritas dogmatis,* aliud eſt *immunitas ab abſurdo* ſatis manifeſto. Non omnia, quæ abſurda non apparent, vera ſunt. Iam autem dogmatis honeſtas & veriſimilitudo negativa connexum quid eſt cum DEI atteſtatione, ſicut ipſa veritas. Porro ex unius connexi neceſſarii abſentia ſatis nota recte alterius negatio infertur. Recte ergo inferes: dogma honeſtum ac prudens non eſt; ergo revelari a DEO non potuit. At ex unius connexi præſentia alterum connexum non niſi tunc recte infertur, ubi connexio eſt mutua. Male ergo ſtatues: dogma honeſtum eſt; ergo revelatum per miraculum. Honeſtas nempe dogmatis veri miraculi *poſſibilitatem* tantum admittit, non *exiſtentiam* probat. At ſi de exiſtentia miraculi aliunde conſtet, poſſibilitate etiam per dogmatis indolem comprobata novum lumen accedit. *Poſſibilitatem* ergo veri miraculi ex poſſibilitate, ſeu honeſtate, dogmatis, utcunque nota, ad *veritatem* dogmatis ex miraculi *exiſtentia* bene inferimus.

§. 188.

VIII. *Quodſi aliquando contraria miracula pro oppoſitis dogmatis confirmandis ſimul concurrant, dubium ex his ipſis tribus indiciis diſcernendum erit, ſcilicet quænam ex his miraculis legibus naturæ certius & amplius adverſentur: quæ doctrina melior: an utraque ſub invocatione divini nominis ſint patrata.*

§. 189.

IX. *Quodſi de veritate vel unius tantum miraculi pro revelatione alicuius dogmatis divinitus patrato per data hactenus indicia aliquando evidenter conſtet; tum vero*

vero recte & ſapienter abſque ullo examine reiicientur nova quævis prætenſa miracula; quæ deinceps ad evertendum eiusmodi dogma, vel ad doctrinam ei oppoſitam adſtruendam, a contentioſis hominibus forte proferantur. Cum enim certum ſit, DEUM contradictoria teſtari ac docere non poſſe: poſtquam de eius teſtimonio pro dogmate quocunque edito convicti ſumus, hoc ipſo certi quoque ſumus, oppoſitum novis ab eo miraculis firmari iam nequaquam poſſe, atque adeo, quæcunque contraria miracula allegentur, certo eſſe fraudibus aut præſtigiis obnoxia. Porro quod alioquin certo falſum eſſe novimus, id prudenter ſane citra novum examen reiicimus.

§. 190.

X. *Præſtigiarum diaboli indicia ſunt, ſi ſapientum & proborum vulgari iudicio effectus vim dæmonis non excedat; ſi non pro virtutis ac probæ doctrinæ conteſtatione, ſed in damnum proximi, aut pro atteſtatione doctrinæ evidenter falſæ & inhoneſtæ; ſi denique non ſub invocatione divini nominis, ſpecies quædam prodigii patretur, nec prudenti aliquo fine; ſi aut ipſa veritas effectus, aut exiſtentia non ſatis certa ſit:* quod ultimum, ſi aliud indicium abſit, vulgo evenire ſolet.

§. IV. *Miracula, quibus divina revelatio veteris religionis Iudaicæ & religionis Chriſtianæ comprobari ſolet, vere divina miracula fuiſſe, oſtenditur.*

§. 191.

Miracula revelationem Divinam religionis inde ab initio mundi primis Patriarchis factam comprobantia. Iſta quidem præcipue in familiari & frequenti

DEI ipſius alloquio conſtabant. Ne tamen paterna auctoritas ſola aliquando filiis ad faciendam fidem non ſufficeret, DEUS ſubinde prodigia publica identidem addebat. Talia erant 1. ignis cœlitus delapſus ad Abelis ſacrificium abſumendum. Gen. IV. 4. 2. Prodigia diluvium Noëmi comitantia. Gen. VI. & ſeqq. 3. Confuſio linguarum ad turrim Babel. Gen. XI. 4. 4. Sodomæ & Pentapolis incendium, & uxor Loth in ſalis ſtatuam converſa &c. &c.

* Non iſthæc prodigia multis vindicare ſingillatim opus eſt ullatenus, nec tam ea recenſeo, ut ex eis præcipuum texam argumentum, ſed ut revelationis divinæ inde a mundi exordio inchoatæ filum, nexum, progreſſumque ſub oculos ponam. Si IESU Chriſti miracula ceu vere talia vindicabimus (id quod ſine omni recurſu ad veteris teſtamenti acta per ſolam Evangelii hiſtoriam plene effectum dabimus) ſufficiet iſtius, ad Moiſen ceu divinitus miſſum Prophetam ſæpius appellantis, & Patriarcharum primævam fidem cum univerſa Iudæorum religione non modo approbantis, ſed ſibi ipſi maxime complendam ſumentis, divina auctoritas, ut hac ſola fides univerſis illis veteribus miraculis abunde concilietur.

§. 192.

Miracula præcipua, pro confirmanda religione Iudaica patrata ſunt ſequentia: 1. Occiſio omnium primogenitorum, tam ex hominibus, quam animantibus, una nocte ſine tumultu & armis facta in Ægypto, ſolis Hebræis eorumque animantibus innoxiis. 2. Tranſitus maris rubri ad Moiſis imperium ſe dividentis. 3. Manna de cœlo pluens per quadraginta annos in deſerto, veſtimenta omnia illæſa, immunitas a morbis &c. 4. Sol ad imperium Ioſue pugnantis per quatuordecim horas

ras ſuſpendens occaſum ſuum. 5. Muri Ierichuntini ad buccinarum ſonitum momento deiecti. 6. Tranſitus Iordanis ſuſpenſis aquis &c. &c.

* Non me latet, non nullis iſtorum prodigiorum varia opponi, quibus probetur, e. g. tranſitum maris rubri, prout in Exodo deſcribitur, naturalem in modum contingere potuiſſe. Iſtiusmodi obiectionum ſolutiones integras leges apud Calmet Diſſert. de tranſitu maris Erithræi; quas exſcribere mihi non vacat. Si veritatem miraculorum IESU Chriſti evicero, ultro ruent id genus argumenta miraculis veteris teſtamenti eliminandis excogitata; quæ alioquin non niſi ex propoſito omnium univerſe explodendorum miraculorum inventa ſunt.

§. 193.

Miracula præcipua a Chriſto patrata ſunt iſta: 1. Reſuſcitatio plurium mortuorum ſolo vocis imperio facta, & inter hos Lazari quatriduani. 2. Curatio cæci nati per lutum oculis illitum, vel item aliorum cæcorum plurium omnisque generis morborum ſolo vocis imperio. 3. Plura hominum millia quinque panibus & duobus piſcibus poſt trium dierum famem ſaturata. 4. Reſuſcitatio ſui ipſius a morte, & aſcenſus in cœlum &c. &c.

§. 194.

Phyſice certum eſt miracula Moiſis & IESU Chriſti, ſi vere ita patrata ſunt, ut refertur, fuiſſe naturæ legibus altiora, nec ullis præſtigiis dæmonum obnoxia. Dem. Omnium enim, qui omnibus temporibus atque ætatibus vixere, doctorum proborumque hominum, uniformi experientia, & atteſtatione, atque adeo cum ſumma phyſica certitudine (§. 165.) naturæ legibus adverſum eſt voce, vel actione hominis, maria dividi, ſolem ſiſti, alios

mortuos vel ſe ipſum ſuſcitare ad vitam, ſolo imperio curare morbos quoscunque lethales uno momento (§. 178.). Porro patrata ſunt hæc a Moiſe & Chriſto invocato ipſius DEI nomine & teſtimonio ad probandam ceu divinitus præſcriptam religionem ſumme ſanctam (§. ſeq.). Chriſtus ipſe ob ſanctitatem plane divinam ab omni imposturæ ſuſpicione erat immunis (§. 117.). Moiſes quoque ſumma morum probitate conſpicuus, nulla uſquam in re proprium quærere commodum viſus, imo eximia manſuetudine & patientia importuniſſimos populi maxime inconditi mores tolerans. Utraque demum miracula fides integrarum gentium, imo totius pæne mundi, omni tempore probavit ut genuina, & doctrinæ per eadem ceu divinitus confirmatæ, adſtipulata eſt. Ergo omnia veritatis indicia a §. 183. recenſita miraculis Moyſis & Chriſti inſunt, abſque ulla ſuſpicione aut fraudis, aut dæmonis præſtigiarum. Ergo omni certitudine phyſica certum eſt, illa fuiſſe vera divina miracula (§. 175.), ſi eo modo evenerint, uti eveniſſe referuntur.

* Vide hoc totum argumentum egregie pridem tractatum ab Origine lib. I. & II. contra Celſum, & ab Euſebio Cæſarienſi in Demonſtratione Evangelica lib. III.

** Ceterum dixi, *ſi revera ita evenerint &c.*: abſolutam enim eorum exiſtentiam Caput VII. & VIII. denique demonſtrabit.

§. 195.

Miracula a Moiſe & Chriſto patrata ſunt pro comprobanda miſſione divina & religione per illos a DEO revelata. Dem. *De Moiſe* quidem conſtat ex cap. III. Gen. v. 19., DEI ipſius iuſſu ſignis probaſſe miſſio-

miſſionem ſuam Pharaoni. *Ego ſcio*, inquit Dominus loc. cit. ad Moiſen; *ego ſcio, quod non dimittet vos rex Ægypti, ut eatis, niſi per manum validam. Extendam enim manum meam, & percutiam Ægyptum in cunctis mirabilibus, quæ facturus ſum in medio eorum*, Sequente cap. IV. v. 1. DEUS ipſe Moyſi prodigiis tribus probat, a ſe ipſum mitti omnipotentia ſua armatum tum ad Iſraëlitas, tum ad Pharaonem; iubetque per ſigna præſcripta utriſque probare divinam miſſionem. *Reſpondens Moiſes ait: non credent mihi, neque audient vocem meam, ſed dicent: non apparuit tibi Dominus.* Deſignat deinde DEUS ipſe tria miracula in teſtimonium coram ipſis patranda. & ſubdit v. 8. *ſi non crediderint tibi, neque audierint ſermonem ſigni prioris, credent verbo ſigni ſequentis.* Lege exinde caput ſextum, ſeptimum, octavum, &c. &c. in quibus omnibus miſſionem ſuam divinam Iſraëlitis iuxta ac Pharaoni probat per prodigia in eius oculis patrata. Cap. XIX. v. 3. & 4. diſpoſiturus populum ad legem per Moyſen recipiendam DEUS, ipſe appellat ad miracula per Moiſen a ſe patrata, ut fidem a populo obtineat de ſua paterna cura, qua ipſe regendum illum ſuſceperit. Tum v. 9. Moiſi promittit, facturum ſe ope ſignorum, ut fidem is perpetuam apud populum inveniat: *iam nunc veniam ad te in caligine nubis, ut audiat me omnis populus loquentem ad te, & credat tibi in perpetuum.* Exin cap. cit. & ſeq. plura ſigna continua ſequuntur in confirmationem legis divinitus acceptæ per Moiſen, ex monte Sinai deſcendentem.

De *IESU Chriſto* Domino S. Matthæus Evangeliſta eodem cap. IV. ubi initium prædicationis illius v. 17. deſcribere incipit, etiam miraculorum eius texere narrationem v. 24. inchoat. Imo iam

cap.

cap. III. 16. cœlum apertum, deſcenſus S. Spiritus in forma columbæ, vox de cœlo audita, filium DEI illum declarans, S. Præcurſoris teſtimonium confirmat; quo hic teſtatus fuerat, illum Meſſiam eſſe, quem DEUS Iſraëli miſſurum ſe promiſerat. Cum exin ipſe IESUS primum ſignum in Cana operatur, mox Evangeliſta ſubdit, Ioan. II. 11. *Hoc fecit initium ſignorum IESUS, & manifeſtavit gloriam ſuam; & crediderunt in eum diſcipuli eius.* Quid vero aliud eſt manifeſtare gloriam ſuam, niſi comprobare dignitatem filii DEI & divinam miſſionem. Cum poſtea Scribæ quidam offenſi eſſent, quod Paralytico remiſiſſet peccata; Matth. IX. 6. *ut ſciatis,* inquit, *quia filius hominis poteſtatem habet in terra dimittendi peccata; tunc ait paralytico: ſurge, tolle lectum tuum, & vade in domum tuam. Et ſurrexit, & abiit.* Rurſus Matth. XII. 39, poſtquam cum Phariſæis acriter contenderat, ſe non in Beelzebub, ſed in digito DEI dæmonia eiicere, eisdem ſignum miſſionis divinæ petentibus affirmate dicit, reſurrecturum ſe tertia die a mortuis in eius teſtimonium. Lucæ VII. 19. S. Ioannes Præcurſor *duos de diſcipulis ſuis miſit ad IESUM, dicens: tu es, qui venturus es; an alium expectamus? In ipſa autem hora multos curavit a languoribus, & plagis, & ſpiritibus malis, & cæcis multis donavit viſum. Et reſpondens, dixit illis: euntes nuntiate Ioanni, quæ audiſtis, & vidiſtis: quia cæci vident, claudi ambulant &c., & beatus, qui non fuerit ſcandalizatus in me.* Ecce impletum ſimul Iſaiæ vaticinium de futuro Meſſia. Iſai. XXXV. 5. Iterum Ioan. X. 24. *circumdederunt eum Iudæi, & dicebant ei: quouſque animam noſtram tollis! ſi tu es Chriſtus, dic nobis palam. Reſpondit eis IESUS: loquor vobis, & non creditis. Opera, quæ ego facio in nomine Patris mei, hæc teſtimonium perhibent de me.* Apud eundem S. Ioannem

XI. 41.

Digitized by Google

XI. 41. facturus celeberrimum illud prodigium Lazari mortui ſuſcitatione, exclamat coram omnibus præſentibus: *Pater, gratias ago tibi: quoniam audiſti me. Ego autem ſciebam, quia ſemper me audis: ſed propter populum, qui circumſtat, dixi: ut credant, quia tu me miſiſti.* Denique Ioan. XV. 24. apertiſſime Apoſtolis ſuis de obſtinatione incredulitatis Iudæorum ait: *ſi opera non feciſſem in eis, quæ nemo alius fecit, peccatum non haberent: nunc autem viderunt, & oderunt & me, & Patrem meum.*

§. 196.

Opponunt porro 1mo. Ne quidem de notione *miraculi* ſat convenit inter Philoſophos: quid autem ſine definitione iuſta de miraculi cuiusdam veritate cum certitudine ſtatuere licebit?

Reſp. Cur de notione miraculi minus inter Carteſianos & Leibnitianos Philoſophos convenerit, ratio erat, quod quælibet ſactio eam præciſe ad ſuum ſyſtema, vel aſſiſtentiæ divinæ, vel harmoniæ præſtabilitæ, adaptaret. Verum dandæ rerum notiones ſunt, tum communi ac recepto vocis ſignificatui reſpondentes, tum ab incertis, vel ſaltem non vulgo receptis, ſyſtematibus ſecretæ. Talem eſſe, quam dedi §. 152., omnino contendo. Nec tamen niſi pro definitione nominali eam oſtentans, realitatem ipſius §. 153. demonſtro. Iam vero compertum ex hodiernæ Logicæ inſtitutis eſt, quam genuinus iſte ſit iſtiusmodi definitionum uſus, & quam ab omni lite vocabularia ſecurus. Vide Log. §. 147.

§. 197.

Opponunt 2do. Miracula non ſunt ſatis certum aptumque argumentum, quo locutio divina, &

& veritas aſſertorum per eam dogmatum comprobetur. *Probant* hoc 1mo. auctoritate Moiſis, & S. Auguſtini. Moiſes quidem Deut. XIII. 1. ſic Iſraëlitas admonet: *Si ſurrexit in medio tui prophetes, aut qui ſomnium vidiſſe ſe dicat, & prædixerit ſignum atque portentum, & evenerit, quod locutus eſt, & dixerit tibi: eamus, & ſequamur Deos alienos, & ſerviamus eis; non audies verba prophetæ illius, aut ſomniatoris.* S. Auguſtinus lib. de unitate Eccleſiæ cap. 15. contra Donatiſtarum miracula pugnans, ita habet: *quæcunque talia in Eccleſia catholica fiunt, ideo ſunt approbanda, quia in catholica fiunt, & non ideo ipſa Eccleſia manifeſtatur, quia in ea miracula fiunt.* Vides, ut ſecundum Auguſtinum potius ex doctrina veritas miraculorum, quam ex miraculis veritas doctrinæ comprobanda ſit.

Reſp. negando. Moiſes & Auguſtinus, ut ex contextu patet, aliud non volunt, quam quod nos paulo ante ipſi pro lege (§. 189.) ſtatuimus, ſcilicet, ſi doctrinam aliquam aliquando miraculis certis & omni exceptione maioribus comprobatam eſſe conſtet, tum vero recte citra ullum examen reiici prætenſa quævis miracula, quæ pro alia doctrina oppoſita forte allegentur: cum certum ſit, iſthæc iam DEO auctore patrari non potuiſſe. Et talis nimirum doctrina religionis Iudaicæ Moiſis tempore, talis doctrina erat Eccleſiæ catholicæ Auguſtini ætate. Utriusque nimirum veritate per certa prodigia divinitus iam firmata, recte miraculorum deinceps patrandorum veritas ex conſenſu cum eadem, veluti incertum quid ex certa iam regula, diiudicari ſuadebatur. Nihilominus cum lex Moſaica, prout erat Iudæis ſingillatim propria, & a dogmatis generalibus & omnium hominum communibus diſtincta non in perpetuum con-

conſtituta eſſet; Moiſes iſtud monitum ad ſolam cavendam *idololatriam* reſtringit, de lege autem ſibi peculiari ipſe monet, eam a venturo Meſſia in aliam perfectionem commutatum iri. Deut. XVIII. 15.

§. 198.

Probant 2do. Etiam pro falſis dogmatis confirmandis non raro miracula ſunt patrata; quæ haud profecto divinæ atteſtationis ſigna fuiſſe dixeris. Sic mirabilia venefici coram Pharaone ad Moiſis ipſius invidiam operati ſunt. Quæ mira a Veſpaſiano Imperatore, ab Apollonio Tyanæo, a Mahomete patrata, apud Hiſtoricos non leguutur? Omnes pæne religioſæ ſectæ miracula pro ſe allegant; quas tamen inde veras comprobari nemo non inſanus dicat. Quid quod per Chriſtianam religionem malis etiam ſpiritibus prodigioſa virtus competat. Hoc ſi admiſeris ſemel, quis, DEUS, an malus dæmon prodigii verus auctor ſit, divinabit ſatis?

Reſp. Negamus ſimpliciter, uſpiam allegari miraculum poſſe pro falſo dogmate confirmando editum, in quo ſimul tria hæc concurrant, *primo* quod omnium vulgo prudentum conſenſu naturæ corporeæ & humanæ legibus adverſetur; *deinde* quod ſat certis teſtibus ſit conteſtatum; *tertio* quod nullo certo indicic, etiam ab ipſa doctrinæ abſurda ratione diſtincto, fraus aut dæmonis mali latens præſtigia detecta fuerit. Alterutrum ex his tribus nunquam non detectum iri, abſolute affirmamus, quoties doctrinæ & finis ratio, cuius cauſſa patratum prodigium dicatur, certam fallaciæ ſuſpicionem moverit. Atque hunc ipſum in in modum, cum DEUS in pœnam pertinaciæ Pharaonis permitteret, ut quædam Moiſis prodigia etiam

etiam venefici ope diabolica, vere, an ficte, imitarentur; mox fraudis detegendæ certam rationem & indicium in longe altioris ordinis miraculis adiecit, quæ aſſequi virtus diabolica non permittebatur; quorum conſpectu ipſi venefici illi coacti ſunt exclamare: *digitus DEI eſt hic.* Exod. VIII. 19. Similem in modum S. Petri Apoſtoli precibus Simonis magi artes eluſas, ipſumque ex aëre, in quem volatu ſe extulerat, terram verſus confractis cruribus præcipitem, apud Arnobium lib. II. in Gentil. S. Cyrillum Catech. 6. Severum hiſt. lib. II. legere eſt.

De tribus Veſpaſiani Cæſaris miraculis, Alexandriæ patratis, Tacitus lib. IV. cap. 8. & Suetonius in eius Imperatoris vitæ hiſtoria teſtantur, ſe ex narratione quorumdam, qui interſuere, hominum cognoviſſe. Et en! iam Davidi Humio (Eſſais ſur les miracles) videntur iſthæc præ aliis chriſtianæ religionis omnibus miraculis certius atteſtata. Tantumne in Philoſopho partium ſtudium in detorquendo iudicio poteſt? *Primum* eſt, quod Veſpaſiano ſolitario prorſus, in templo Serapidis oranti, præſens adeſſe viſus ſit libertus quidam ſuus Baſilides nomine, quem tamen ob nervorum debilitatem incedere a multo iam tempore non poſſe, noverat; & ſimul dimiſſis mox curſoribus compererit, ea ipſa hora octoginta milliaribus Italicis Alexandria abfuiſſe. *Alterum*, ac *tertium*, quod cæco, hortatu idoli eiusdem Serapidis, ut aiebat iſte, opem Cæſaris imploranti, conſpuendo viſum, & alteri infirmæ manus uſum iſtam calcando pedibus, reſtituerit. Addunt vero hiſtorici iidem, Veſpaſianum ipſum primo poſtulata tam exotica riſiſſe, & conſuluiſſe Medicos; num infirmitates iſtæ humanis artibus curari poſſent, illisque annuentibus, cum riſu rei periculum feciſſe. Hem tibi grandia mira-

miracula, ab eo ipſo non ſatis credita, & inanes ſcilicet blanditias ſuſpicante, qui fuiſſe auctor ferebatur; Non ſolet profecto in mire a Cæſaribus geſta multum exacto & curioſo examine inquiri; credunt alii reverentia, alii prudenti circumſpectione inducti. Qui poſt Cæſaris mortem quoque de his prodigiis, nullo mendacii iam pretio, ut ait Tacitus, tamen teſtati adhuc ſunt, aut fraudis ignari fuere; aut ſi conſcii & participes, hoc ipſo nomine tacuere.

At *Apollonii miracula* num pluris ſunt facienda? Primo quædam illius *Prophetica oracula* ſunt ſparſa. Exempli cauſſa. Cum aliquando de bonorum communione loqueretur ad Epheſios, & perſuadere vellet, ut alter alteri victum præberet, forte in ſylva proxima colloquentibus aviculæ ramis arborum inſidebant: advolat alia, quaſi ſuo clamore ſodalibus aliquid novi annuntians; moxque ceteræ veluti vocatæ ſimili cum clamore omnes cum ea avolant. Tunc Apollonius gradum ſiſtit, & ad populum: *puer ferens frumentum ceſpitavit, & granorum copiam in illa platea diſperſit; vidit hoc avicula, & ſodalibus bonæ fortunæ index fuit.* Statim ex auditoribus aliqui in locum deſignatum currunt, & paulo poſt reduces clamore ſtuporem teſtantur. Inde Apollonius populum ad bonorum communicationem adducto avium exemplo commonere. Aliàs Epheſios peſtifera lue afflictos iuſſit ſenem centonibus tectum ac ſtipem rogantem iniectis in eum lapidibus mactare, tumque poſt modicum intervallum iuſſit, ut ſublato acervo lapidum viderent, quale animal neci dediſſent, tumque nihil hominis, ſed inſolitæ magnitudinis canem, inventum fuiſſe. Rurſus, cum eſſet Corinthi, *fiet,* inquit, *ut Iſthmus hæc manibus hominum pe-*

fodiatur, imo non fiet; quod vaticinium fuiſſe crediderunt de molitione Neronis Imperatoris, cuius iuſſu paulo poſt opus inceptum eſt, ſed non perfectum. Sic & Romæ quodam die, cum ſol eclipſin paſſus, ſimulque tonitru auditum eſſet, levatis in cœlum oculis, inquit: *quiddam magni eveniet, imo non eveniet.* Tertia die cum Nero Imperator cibum ſumeret, fulmen Incidens, poculum, quod bibiturus ori admovebat, excuſſit. Creditum mox eſt, Apollonium prædixiſſe hoc ipſum. Denique & Domitiani necem Romæ patratam longe abſens Epheſi inter concionem ad populum habitam eadem hora ex vero cognoviſſe & publice evulgaſſe fertur. Hem tibi prædictiones dignas, quæ cum Chriſti & veterum Iudaicorum Prophetarum prædictionibus in comparationem venire poſſint? *Miracula* ſequentia potiſſimum celebrantur. Iuvenem, quem prius ipſe dæmone clam obſeſſum detexerat, ab hoſpite hoc ſuo liberavit Athenis. Cum Romæ de læſo per ſarcaſmum Cæſaris Neronis honore in iudicium vocatus eſſet, & Iudex libellum accuſationis contra eum oblatæ inſpecturus aperiret, alba charta ex integro ſine ſcripturæ veſtigio apparuit. Ibidem, cum puella ex familia conſulari, iam parata ad nuptias, ſubito mori viſa eſſet, & ad tumulum portaretur, occurrens Apollonius eam tangit, verbisque ab eo non nullis muſſitando prolatis, quæ nemo intellexit, illico evigilans puella loqui cœpit, ac rediit in domum patris ſui. Ex illis tamen ipſis, qui facto præſentes fuerant, nemo eam fuiſſe mortuam affirmare auſus eſt; vapor enim ex vultu ſurgebat, & ros de cœlo cadebat, quo facile factum (ait ipſe vitæ Apollonii ſcriptor) ut ex deliquio revocaretur. Idem Apollonius ſub Domitiano carcere & vinculis concluſus, primo coram Dami amico ſuo principe,

atque

Digitized by Google

atque participe captivitatis eius, libere crus e vinculis ferreis exemiſſe, quibus vinciebatur, ac rurſus eisdem pro arbitratu induiſſe inſpectante Dami dicitur, ut ſua in poteſtate eſſe oſtenderet liberum, ſi vellet, carcere exire. Cumque paulo poſt coram Domitiano iudicium ſubiiſſet, repente ex Cæſaris & omnium præſentium oculis diſparuiſſe fertur, & eadem die ad veſperum Puteolis, ferme quinquaginta leucas diſtantibus, viſus eſſe. Hæc omnia poſt centum & viginti annos a morte Apollonii refert Philoſtratus Sophiſta ex relationibus incertis, de quarum fide ipſe paſſim hæſitat, nullius, ut fatetur, coævi teſtis auctoritate inſtructus. Quod porro de Apollonii miraculis dubitanter a Philoſtrato eſt proditum, id deinde iam confidenter Vopiſcus narrare cæpit in Aureliano. Hoc conſtat, vivum adhuc Apollonium publica fama pro inſigni Mago & præſtigiatore habitum, præſtigias ſuas ad confirmandum Polytheiſmi cultum ordinaſſe, nec tamen ſectatores, nec diſcipulos reliquiſſe, eiusque memoriam brevi cum idololatriæ tenebris evanuiſſe. Amplius noſſe fraudes illius Philoſtrati, & ipſius Apollonii, ſi velis, lege ſis Euſebium in eo opere, quo refellendum ſuſcipit librum Hieroclis, atque inprimis Ill. Huetium in Demonſt. Evang. Prop. IX. cap. 147. De ceteris ethnicorum miraculis, quæ paſſim oſtentantur, quid ſentire oporteat, ex ipſis eorum contribulibus præcipuis ac doctiſſimis facile intelliges. Scribit ipſo in operis ſui limine Titus Livius, ſe fabulas fictaque pro arbitrio miracula relaturum. Eadem de ſuis Valerio Maximo, quas recitat, miraculis ſententia fuit. *Nec me præterit,* ait lib. 1. cap. 8. n. 7. *de motu & voce Deorum immortalium, humanis oculis auribusque percepto, quam in ancipiti opinione æſtimatio verſetur Sed fidem Au-*

T 2 *thores*

thores ſibi vindicent; qui ſcilicet primi talia ſparſere. Non aliter Tullius ſentiebat; qui, poſtquam in primo de divinatione libro trecenta & amplius Deorum mirabilia opera per Quintum fratrem retulit; eadem lib. 2. velut frivola, numine indigna, & per ſuperſtitionem invecta explodit. *Mahometis* demum *miracula* tam abſurda ſunt, ut ne mentionem quidem hic ſine opprobrio ſuſtineant. Sufficit fabuloſa eſſe, abſurda, nullo certo auctore ac teſte conteſtata. Armus vervecinus veneno infectus ipſum allocutus eſſe dicitur, ne ſe guſtaret. Luna in ipſius ſinum deſcendiſſe creditur, atque ipſe etiam cœlos aſcendiſſe &c. &c. Talia miracula qui religioni Chriſtianæ opponere audet, iniuriam rationi ſibique ipſi inprimis facit, & decipi in re graviſſima amat, a quo tota ipſius ſalus pendet. Æque vero ſtolide inferret, eo quod paſſim multæ fabulæ miraculorum ſpecie temere & abſque ullo probabili teſte vel argumento a plurimis vulgentur, recte idcirco etiam fidem Chriſtianis abiudicari; etſi iſti non niſi talia ipſi miracula admittant, quæ ſecundum omnem acerrimæ criticæ rigorem examinata, & teſtibus omni exceptione maioribus probata, omnium prudentum iudicio DEUM auctorem habere certo comperta ſint. Si æquam lancem cum IESU Chriſti miraculis conſtituere adverſarius quiscunque velit, afferat miracula æque conteſtata ac certa, æque certo naturæ leges excedentia, & omnis expertia indicii intervenientium fraudum ac præſtigiarum. Non niſi de talibus eadem noſtra argumenta valebunt, ex quibus originem divinam miraculorum IESU Chriſti intulimus. In ſimilibus fraudem habere locum ſimpliciter negamus. In aliis poſſe fallacias paſſim ſubeſſe, ultro fatemur.

§. 199

§. 199.

Probant 3tio. Nimis magno acumine ad diſcernendum verum miraculum divinitus patratum opus eſt (ſi tamen omnino diſcerni poteſt) quam ut pro congruo divinæ locutionis ſatisque indubitato ſigno ſervire univerſo hominum indoctorum vulgo queat. Atqui religionis Chriſtianæ tota ratio ad omnes ex æquo pertinere dicitur. Aut ecquis rudium ſtatas naturæ leges ſatis compertas habet, ut facile ſtatuere mox queat, hunc illumve prodigioſum eventum illis omnibus adverſari?

Reſp. An ergo magis hæſurum ruſticum exiſtimas, quam acutum Philoſophum, ſuper quæſtione: an ignis accenſus ſecundum naturæ leges ſemper urat: an virtus naturæ aliqua ad ſuſcitandum a morte vere defunctum hominem pertingere uſquam poſſit: an ſola voce hominis læſum oculorum lumen, membra pridem emortua, valetudo penitus proſtrata, momento reſtitui queant, ſalvis naturæ legibus? Sunt nimirum naturæ quædam leges ita obviæ, & omnium oculis indies expoſitæ, ut non magis illæ ab indoctis, quam a doctiſſimis quibusque, ignorari poſſint. Porro ad DEI ſapientiam pertinebat, religionem Chriſtianam, pro omnibus ex æquo a ſe propoſitam, talibus prodigiis confirmare; quæ perinde ex mente omnium doctorum, atque rudium, notiſſimas naturæ leges ſuperarent.

§. 200.

Probant 4to. Etſi miracula, cum ſunt præſentia, & proprios noſtros incurrunt ſenſus, ſatis apte de DEI interventu nos convincere fortaſſis poſſent: tamen eadem, cum pridem iam præteri-

ta ſunt, nec a nobismet ipſis ullo ſenſu percepta, uti ſunt ea, quæ pro Chriſtiana religione allegantur, nullo pacto pro convincente ſatis argumento ſervire valent. Quo enim ſufficiente argumento de ipſa talium miraculorum exiſtentia diu præterita reddemur certi? An ex humano quantumvis probato teſtimonio? Atqui huius morali tantum certitudini nunquam non contraria experientia ſenſuum noſtrorum propria, & quidem generalis, ac omnium communis hominum, obſtabit; quæ contrarium prorſus evenire debuiſſe cum certitudine phyſica nos docebit, quam reipſa eveniſſe olim teſtes qualescunque affirmabunt. Iam vero etſi id genus teſtimonio in aliis naturalibus eventis moralem ſummam certitudinem conſtare teneas; tamen moralis iſta omnis certitudo certitudine illa phyſica, e diametrro oppoſita, ut prorſus elidatur, omnino eſt neceſſe. Sic quidem argutus ille Anglus Philoſophus D. David Hume (Eſſais Philoſ. X.) valde ſerio, quod mireris, argumentatur ex ſcriptis Doctoris Tillotſon popularis ſui.

Reſp. Si vera argumento iſti vis ſubeſſet, iuxta utique probaret, nec præſentem quidem miraculi, ſub experientiam propriam cadentis, intuitum certitudinem habere poſſe de vera eius exiſtentia. Æque enim certitudo phyſica experientiæ generalis hominum de oppoſito eventu ſecundum naturæ leges extituro cum certitudine phyſica unius ſimplicis ac ſingularis ſenſuum experientiæ pugnaret, & colliſione mutua ambæ certitudines ſe enervarent, ut certo credi miraculum etiam propriis viſum oculis non poſſet. Sed quis tam heteroclito eſt intellectu, ut hoc abſurdum admittere non vereatur? Itaque obiectio in eo capite

pite a vero aberrat magnopere, quod oppoſitionem quamdam contrariam (§. 139. Ontol.) inter experientiam generalem ſenſuum, vel certe inter ipſas naturæ leges, & inter eventum veri miraculi, confingat: id quod falſum eſſe alias in Coſmologia §. 294. not. oſtendi, & ſupra quoque (§. 173.) ſatis aperte explicavi. Nimirum determinatio eventus futuri per naturæ quascunque leges, atque adeo & certitudo experientiæ humanæ generalis, ex obſervatione uniformi naturæ legum orta, non niſi conditionata eſt, videlicet ſumta ſub hypotheſi, *ſi naturæ auctor atque Dominus altiore vi non interveniat.* Vides, iſtius conditionis *negationem* in omni naturæ lege præciſe ſumi, at nullatenus vel argumento tenui probari; quippe quæ unice a DEI arbitrio perpetuo dependet. Qui fieri ergo poſſit, ut naturæ quædam lex miraculo cuicunque aliter quam privative, ut loquimur (§. 140. Ontol.), i. e. ſalva abſoluta compoſſibilitate, opponatur? ſtante enim naturæ lege quacunque adhuc DEUS prodigio intervenire, & non intervenire, poteſt, neque naturæ lex per ſe potius determinat, ut non interveniat, quam ut interveniat. Experientia ipſa conſtans & generalis aliud non probat, quam DEUM vulgo miracula non patrare: & hoc ipſum neceſſe omnino eſt, ut, quis effectus miraculi, quis naturalis eventus rationem reipſa habeat, diſcerni abſolute poſſit. Phyſica ergo certitudo de naturæ quacunque lege, in certis rerum adiunctis habente locum (quæ non niſi conſtanti experientia obtenta eſt) adeo non obſtat certitudini miraculi, ſeu per ſenſus proprios, ſeu per alienum teſtimonium, obtinendæ, ut potius neceſſaria prorſus conditio ſit ad iſtam quacunque via obtinendam (§. 173. ſeqq.). Quî enim ſciam, eventum quemdam miraculi habere ra-

tionem, niſi phyſice ab exerientia ſaltem certus ſim, aliud per naturæ leges prorſus evenire debuiſſe? Stante ergo quantacunque phyſica certitudine naturæ legum, adhuc quæſtio facti prorſus diſtincta eſt; an oppoſitum quid naturæ legibus hoc illove in particulari caſu evenerit DEO interveniente, nec ne? Si probationes pro affirmatione deſint, ſufficiet utique argumentum negativum, cui experientia naturalis ſemper pro fulcro eſt. At ſi vel ſenſu proprio miraculum experiar, aut alii teſtes omni exceptione maiores ſeſe id expertos teſtentur, negatio mera abſolutis his argumentis per ſe locum cedet, maxime quod & humani teſtimonii moralis certitudo, ubi ſupremum attingit gradum, hoc ipſo, quod & ipſa generali experientia nitatur, certitudini phyſicæ prorſus æquivaleat (§. 170.). Rurſus itaque experimento diſcimus eximio, quam inaniter philoſophicum acumen pro incredulitate adverſus ſanctam IESU Chriſti religionem velitetur.

§. 201.

Urget adverſarius. §. præc. nominatus. Chriſtiana religio ſaltem miraculum perpetuum in Euchariſtiæ myſterio affirmat, cui præſens & perpetua experientia ſenſuum phyſiceque certa contradicit. Quantacunque ergo ſit teſtimonii humani id atteſtantis certitudo, prævalere certe contra illam certitudinem phyſicam præſentis ſenſuum teſtimonii non poteſt. Etiam hoc eſſe decretorium argumentum D. Hume exiſtimat, a Doctore Tillotſon, ut ait, excogitatum.

Reſp. Errat adverſarius, cum putat, Chriſtianos DEI Hominis veram præſentiam ſub panis & vini ſpecie immediate ob teſtimonium humanum credere.

credere. Ob teſtimonium certe Apoſtolorum aliud non credimus, niſi *facta* prodigioſa a IESU Chriſto edita fuiſſe, & oculis ab his aſpecta, quibus ille DEUM ſe probavit. Ob idem teſtimonium, omnibus ſummæ moralis certitudinis characteribus inſignitum, credimus, IESUM Chriſtum apertis verbis ſuam ſub panis & vini ſpecie præſentiam affirmaſſe (quæ affirmatio merum eſt factum in ſenſus Apoſtolorum utique incurrens) & iam ob divinam auctoritatem & teſtimonium IESU Chriſti ipſius demum credimus, miraculum perpetuo in Euchariſtiæ myſterio intervenire, quo, abſente licet reipſa pane, tamen IESU Chriſti divina actione perinde atque a pane ipſo noſtri afficiantur ſenſus. Non itaque phyſica certitudo ſenſuum hic cum teſtimonio *humano*, ſed cum *divino* teſtimonio colliditur, quod non *phyſice* tantum, ſed *metaphyſice* omnino certum ac verum eſt.

ARTICULUS II.

RELIGIONIS CHRISTIANÆ REVELATIO DIVINA CERTA ESSE HYPOTHETICE DEMONSTRATUR EX VERIS PROPHETIIS.

Argumentum ex prophetiis omnium luculentiſſimum eſt, quo divina intervenire auctoritas in revelatione aliqua probari queat. Nihil enim evidentius, quam nulli extra DEUM enti uſquam veram competere ſcientiam futuri circa eas res, quæ a ſolo vel DEI, vel hominum, libero arbitrio pendere ſolent. Unde & in vera Prophetia a ſpuria diſcernenda, modo clara eius notio præfigatur, difficultas nulla eſt. Itaque tria tantum demonſtrare opus eſt, 1mo. quid ſit prophetia, & an ſoli DEO conveniat? 2do. An, & quibus eius-

modi prophetiis, in veteri & novo teſtamento revelatio religionis Chriſtianæ comprobetur? 3tio. Quibus præcipue prophetiis nexus utriusque revelationis divinæ, in veteri, & novo teſtamento editæ, contra Iudæorum pertinaciam demonſtretur?

§. I. *Quid ſit Prophetia, & an ſoli DEO conveniat eſſe illius auctorem?*

§. 202.

Prophetia dicitur prædictio abſoluta & præciſa eventus futuri, cuius exiſtentiæ ratio ſufficiens non in ſolis legibus naturæ continetur, ſed a libero arbitrio entis alicuius intelligentis (ſeu creati, ſeu increati) pendet.

* *Eventus,* qui in ſolis naturæ legibus rationes ſufficientes habent, *naturales* proprie vocantur. Quamquam enim liberæ actiones etiam naturæ conformes ſint; tamen per eam ſolam nondum determinantur. Tales eventus naturales prædicere etiam hominibus, e. g. Aſtronomis, & Phyſices peritis, convenit. Etiam liberas hominum actiones, aut aventus ab his pendentes, ex communiter contingentibus *coniectura* prævidere, imo & caſus ac ſortes regnorum ex præſenti rerum ſtatu *generatim cum magna aliqua veriſimilitudine* prænoſcere, auctorum hominum & magnorum Politicorum eſt; qui & indolem, ſtudiaque hominum præſentia, atque facultates probe perſpectas, & rerum politicarum magnam peritiam habent. Attamen pro ſua prudentia probe homines eiusmodi cavent, ne quid ultra coniecturæ ſpeciem ſuis præſagitionibus tribuant; ne quid ſingillatim & præciſe affirment; ſed generatim ſolum & absque ſingularium adiunctorum præciſione, de futuris eiusmodi liberis eventibus enuntiant. Multo magis de homine nunquam ſibi adhuc viſo, de regni non-

dum

dum conſtituti eventibus, certi aliquid prædicere humana prudentia ſuperſedet: minime vero omnium ad præſagienda ea ſe exponit, quæ a ſolo libero DEI, citra leges naturæ agentis, arbitrio in futurum pendent.

§. 203.

DEUS omnia futura, ſeu quæ a ſola ipſius, ſeu quæ etiam ab hominum pendent libertate, clariſſime & ſumma cum certitudine prænoſcit ab æterno. DEM. Eſt enim ens infinite perfectum, ſimulque prorſus immutabile. Ut infinite perfectus nullo ſcientiæ veri defectu laborare poteſt. Ut immutabilis, quod ceu actu præſens aliquando utique cognoſcet verum eſſe, id ipſum iam cognoverit ab æterno neceſſe eſt.

* Negavit quidem Tullius Cicero hanc DEO præſcientiam; quod humanæ eam libertati officere putaret. At notaſſet modo, quod non ideo, quia DEUS ſcit, res liberæ futuræ ſint; ſed quod ideo DEUS ſciat, quia ſunt futuræ. An dependere idcirco DEI ſcientiam ab humano ſuſpicaberis arbitrio? Neutiquam: tam parum nempe, atque omnipotentia a rerum poſſibilitate proprie dependet; etſi, niſi quod in ſe poſſibile eſt, facere non poſſit, ideoque tantum facere quæque poſſit, quæcunque poteſt, quod poſſibilia in ſe ipſis ſint. Sic & ſcire nequit DEUS, niſi quod in ſe ipſo alioquin verum eſt. Etſi itaque modum, quo DEUS ſciat futura libera, homini haud datum ſit noſcere; evidens tamen eſt, ipſam in DEO ſcientiam dari: imo, cum hæc ſcientia, ut mox oſtendetur, ſoli DEO ut enti infinito ſit propria; impoſſibile homini, enti nempe finito, eſt, modum eius ſcire; ſtultum curioſius indagare; longe ſtultiſſimum, eoquod inveſtigare non poſſis, negare.

§. 204.

Res futuras liberas præſcire nulli præterquam uni DEO per ſe convenit. Dem. Omne enim ens aliud facultate cognoſcendi præditum, & a DEO diſtinctum, homo ſit, an angelus, isque bonus, aut malus, cum facultate cognoſcendi infinita præditum non ſit, præter ipſam cuiusque obiecti veritatem (ſeu cognoſcibilitatem) metaphyſicam, ad idem cognoſcendum ceu actu exiſtens, pro tempore ſeu præſente, ſeu futuro, opus habet ratione aliqua ſufficiente, quæ a ſua ipſius eſſentiali facultate cognoſcendi diſtinguatur. Etenim cum per iſtam ſolam minime determinetur neque ad omne verum univerſe cognoſcendum, quod ſoli intellectui infinito proprium; neque ad unum præ alio; multo vero minime omnium ad cognoſcendum *verum liberum* (quod ſic neceſſarium evaderet, ceu cum eſſentiali ipſius determinatione abſolute connexum): idcirco neceſſe plane eſt, ut ab aliqua ratione ſufficiente extranea determinetur, ad rem quamcunque Individuam, diſtinctam a ſe (inprimis autem, ſi liberi entis actio ſit) ſub ratione *nunc aut in futurum exiſtentis* cognoſcendam. Atqui nihil eſt prorſus in rebus creatis uſpiam, quo determinari idem ad futuram entis liberi liberam actionem prævie cognoſcendam poſſit; quippe cuius nulla adhuc *ratio ſufficiens & abſoluta*, ne remota quidem, in rebus actu exiſtentibus univerſis ineſt, ut ex notione ipſius entis *liberi* conſtat. Itaque res futuras liberas &c. &c.

* Quod de liberis actionibus hominum futuris tam eſt evidens, multo utique eſt evidentius de liberis futuris actionibus DEI, e. g. de prodigiis a DEO faciendis, imo etiam de iis naturalibus eventibus futuris; qui omnium ſapientum & doctorum opinione præſciri non poſſunt, uti

e. g.

Digitized by Google

e. g. everſiones urbium per repentinos terræ motus, naufragia claſſium per tempeſtates, incendia a fulminibus exorta &c. &c., quæ ſoli DEO ex plena cauſſarum ſecundarum earumque coordinationis notitia, ab ipſomet in mundi primordio factæ, tum perſpecta, tum etiam libera ſunt.

§. 205.

I. *Obvii ergo ſunt & facile noſcendi characteres veræ Prophetiæ, divinæque eius originis, nempe eventus futuri liberi abſoluta & præciſa prædictio, id eſt, talis, quæ fiat cum aſſeveratione certa & minime ambigua, itemque cum adiunctorum individuantium, ut vocant, præciſa enumeratione* (§. 202. not.).

§. 206.

II. *Prophetiæ vere tales in hoc ipſo differunt a prodigiis, & iſtud prærogativæ præ illis habent, quod ne Angelis quidem ac ullis ſpiritibus, bonis, ſeu malis, per ſe conveniant, niſi DEUS ſuam ipſis ultro ſcientiam communicet: atque adeo ſemper DEUM ultimum auctorem habent.*

* Dæmones quidem per oracula ex idolis, aut per magos, edita hunc Divinitatis characterem ſubinde affectarunt imitari; aſt non niſi incertitudinem, ænigmata, obſcuras, ambiguas, & involutas locutiones, rebus maxime oppoſitis iuxta congruentes, in oraculis iſtis omnibus eſt reperire.

§. II. *Revelatio divina Chriſtianæ & veteris Iudaicæ religionis veris Prophetiis comprobata eſt.*

§. 207.

Prophetiæ in SS. Scripturis Chriſtianorum occurrentes, duplicis generis ſunt, aliæ nimirum tam

claræ

claræ, ut nihil obſcuri prorſus habeant circa id, quod reipſa prædicere propoſitum DEO fuerat; aliæ contra ex parte *obſcuræ;* in quibus videlicet ſolum radius quidam lucis perlucet, non ante plenam allaturus lucem, quam poſtquam eventus ipſe reſpondens prædictioni iam eſſet præſto futurus. *Modus obſcuritatis Prophetiarum* eiusmodi nihilominus longe diverſus eſt ab eo, qui in fallacibus coniecturis & ambiguis dæmonum oraculis vulgo dominabatur. In iſtis enim aut res, quam prædicere intendebant dæmones, ac eorum opera utentes, ſat quidem clare definita, at prædictio ipſa, & affirmatio ac negatio, plane ambigua; aut certe utraque erat tam involuta, ut eventu etiam quocunque ſecuto æque incertum maneret, quid, & an affirmando, an negando, prædictum fuerit, imo manifeſtum vel tum maxime fiebat, quod nulla præciſione, nulla certa fide, ſed cum deſtinato fallendi conſilio edita prædictio talis fuerit. Ex adverſo prophetiæ divinæ vulgo non niſi in ſpeciem nobis obſcuræ ſunt, donec ſecutus reipſa eventus fuerit: tum enim eventu cum verbis Prophetæ comparato, & prædictionis præciſio, & abſoluta affirmatio vel negatio, multoque maxime in Prophetiæ vero auctore prævisio falli neſcia, quam luculentiſſime patere ſolent. Porro *finis obſcuritatis iſtius in prophetiis revera divinis*, uti & cauſſa, non unus, ſed multiplex erat. *Primo* ipſa multitudo prophetiarum, quæ ubertatem quamdam præſcientiæ in auctore religionis Iudaicæ & Chriſtianæ oſtentabat, & lumen ſufficiens reflectebat, quo fides religionis ſubſtantiæ conciliabatur, & ipſa non nullarum obſcuritate attentionem hominum amplius provocabat. *Deinde* complures prophetiæ quidem in ſcriptis Prophetarum, in Pſalmis, & Pentateucho diſperſæ, ita præciſæ ſunt, ut

ſimul

ſimul Chriſtum unice abſque alia re intermedia pro obiecto habeant; & hæ *primariæ* ac magis ſolennes ſunt, eædemque vulgo clariſſimæ. At præter iſtas magna aliarum multitudo ſuppetit, quæ *ſecundariæ* dici poſſunt, per quas Chriſtus & adiuncta vitæ illius non immediate, ſed mediante veluti umbra quadam, typo, & figura, prædicuntur. Huic typo ſignificatus verborum prophetiæ non niſi imperfecte congruit; cum contra tota eiusdem vis & amplitudo non niſi in perſona & ſub regno Meſſiæ reipſa implenda eſſet. *Tertio* libertas hominibus relinquenda erat prophetias divinas recipiendi, ac detrectandi; cui cum nimia & plena claritate convenire haud poterat. *Demum* ſi nimis aperte adiuncta Meſſiæ venturi omnia prænuntiata eſſent, qua ratione, quæſo, ii, qui adminiſtri mortis eius & prophetiarum veluti executores futuri erant, operam adimplendis illis ſuam accommodaſſent? Pone e. g. Micheam Prophetam non ſolum Nativitatis Meſſiæ locum Bethlehem, ſed cetera adiuncta, quæ eam præcedere, quæ conſequi debebant, accurate ſimul omnia prænuntiaſſe, puta adventum Magorum, colloquia cum Herode, animi in iſto turbas, conſilium cum Principibus Sacerdotum initum, cædem infantum &c: fieri-ne poterat, ut Herodes, hæc de ſe ipſe legens, ea omnia faceret, quæ re ipſa fecit? Hæc ipſa ratio erat, cur variis diſperſæ locis in ſacro textu prophetiæ fuerint, quæ reipſa ad unius eventus ſeriem pertinebant; quod item quædam adiuncta plane ſilentio ſuppreſſa fuerint. Duplex quoque Meſſiæ adventus, alter humilis & abiectus, ſplendidus & glorioſus alter, duplex Eccleſiæ eiusdem ſtatus, terreſtris, ac cœleſtis, duplex populi Iudaici captivitas, babylonica, & ſub qua hodiedum gemit, duplex item liberatio ab utraque, quarum

prima

prima iam facta per Cyrum, altera in fine mundi futura prædicitur &c. &c., hæc omnia nubes non raro pleno Prophetiarum lumini obtendunt. At demum ab iſtis omnibus obſcurioribus Prophetiis ſubſtantia religionis minime dependet, etſi curam, & ingenium, ſolersque ſtudium in DEI verbo intelligendo expromendum, mirifice provocare ſoleant. Prophetiæ, quæ religionis ſubſtantiam concernunt, & præcipuam argumenti vim conficiunt, omnes abunde claræ & prorſus manifeſtæ ſunt iis omnibus, qui ingenua ſimplicitate & candore animi illuſtrari potius a DEO optant, quam obfirmata malitia tenebras vitio faventes ipſi diligunt. Has itaque poſteriores ſolas, earumque ſaltem præcipuas, iamiam exponemus.

§. 208.

Prophetia tria complectitur, atteſtationem videlicet eventus liberi, eventum ipſum illi reſpondentem, & anteceſſionem congruam atteſtationis ante ipſum eventum (§. 202.).

* Prima duo capita Prophetiis, quas afferemus, competere hoc ipſo loco oſtendemus, tertium quoque competere, cap. VII. & VIII., ceu argumento communi, docebimus; quo nimirum & miraculorum art. præc. enumeratorum vera exiſtentia, & anteceſſio vera Prophetiarum, ex veritate & antiquitate Hiſtoriæ Iudaicæ & Chriſtianæ, quæ SS. Scripturarum nomine veniunt, comprobabitur.

§. 209.

Prophetiæ veteris teſtamenti præcipuæ.

I. Iacob Abrahami Nepos, morti proximus, ac teſtamentum veluti conditurus, ſic Iudam filium ſuum quarto loco genitum, ac poſt hunc alios, alloqui-

alloquitur Geneſ. XLIX. 8. *Iuda! te laudabunt fratres tui: - - adorabunt te filii patris tui: - - Zabulon in litore maris habitabit, & in ſtatione navium, pertingens usque ad Sidonem. - - Dux iudicabit populum ſuum* &c. &c. Dixerat autem Iacob ipſe initio prophetiæ huius filiis ſuis: *congregamini, ut annuntiem, quæ ventura ſunt vobis in diebus noviſſimis.* ibid. v. 1. Erat porro ipſo illo morientis Iacobi tempore poſteritas omnis Iacobi in Ægypto peregrina, paulloque poſt etiam ſervituti ſubiecta eſt. Iacob tamen non modo reditum in Palæſtinam, ac dominatum ibidem eis prænuntiat. Ac omiſſis quidem Ruben, Simeon, & Levi, Iudæ quarto loco geniti poſteris regnum prædicit. Zabuloni regionem, quam tribus eius poſthuma ſorte habitandam nactura ſit, deſignat. Ex Dani poſteris unum aliquem futurum Iſraëlis Iudicem prædicit. Taceo cetera, quæ in eadem Iacobi prophetia continentur; quia Rabbinorum tricis obnoxia: cum non niſi comperta prorſus hoc quidem loco afferre res ipſa poſtulet, & adverſariorum ratio, quibuscum nobis conflictus exiſtit. Alibi iam plura de præſente prophetia addendi occurret locus. Moiſes, qui centum poſt annis & amplius hanc prædictionem literis conſignavit, nec ipſe indicium eventus iſtius humanum aut naturale uſquam, præter prædictionem Iacobi, habebat in promtu. Præterea ipſe, tunc temporis dum populi Iſraëlitici, de tribu Levi; Ioſue autem, quem ſucceſſorem ex DEI nutu deſignavit ſuum, de tribu Ephraim erat. Vide Ioſephum Iudæum de antiq. Iud. lib. 14. Ecce vero I. Reg. 16. poſt Saulem primum Iſraëlis de tribu Beniamitica Regem, ſecundus mox David, ex tribu Iuda vilis paſtorculus, regni ſolio ſuccedit, tumque deinceps, avulſis licet decem tribubus, imo & poſt harum regnum Samaritanum

iam pridem extinctum, tribus Iuda, circa Ieroſolymam habitans, regimen per reges partim, partim per duces, uſque ad Chriſti ætatem continuat. Zabulon quoque reipſa ſorte obtinet regionem ſibi a Iacobo prædictam (lib. Ioſue XIX. 10.). Ex tribu Dan quoque progenitus Samſon poſt varios ex aliis tribubus Iudices & ipſe iudicat Iſraëlem quingentis & quinquaginta circiter annis a morte Iacobi.

* Non utique hæc prima fuit, qua DEUS religionis revelationem a ſe factam primis hominibus reipſa comprobaverat, prophetia. Iam primis parentibus lapſis, ut pœnæ ſeveriſſimæ denuntiatione proſtratos oblato novo ſalutis remedio erigeret, coram ipſe prædixerat Gen. III. 15. *inimicitias ponam inter te* (ſerpentem) *& mulierem, & ſemen tuum, & ſemen illius: ipſa conteret caput tuum.* Hæc prædictio haud dubie claro lumine primis illis progenitoribus noſtris ſecundum vim ſuam omnem perſpecta erat; quippe quæ unicum ſpei ſalutis ipſis præbebat a lapſu ſuo fundamentum. Abrahamo quoque plura DEUS ipſe prædixerat, uti Gen. XV. 13. ſortem poſteritatis ſuæ in Ægyto. Aſt id genus prædictiones, cum confirmatæ nondum eventu eſſent, non ea vi, quæ prophetiis eſt propria, primos iſtos religionis revelatæ cultores confirmabant in huius fide; ſed ipſa præſentia Numinis per Angelos eiſdem loquentis primum quidem Adamo & Abrahamo, horum vero auctoritas paterna eorum deinde poſteris abunde fidem de revelatione DEI, faciebat. Ubi obſervare perquam utile eſt, quam ſapienti providentia DEUS prodigia ſua & vaticinia in diverſa tempora diſpenſando confirmationi revelatæ ſemel primis parentibus ſupernaturalis religionis identidem proſpexerit. Ne enim paterna auctoritas Patriarcharum filiis aliquando fidem non ſatis certam faceret, tum prodigia nova, tum vaticinia, identidem inſtauravit, uti ex hiſtoria Noëmi Gen. VI. & VIII.

VIII. Abrahami XV. 13. Iſaaci Gen. XXV. 23. & XXVII. 29. & 39. &c. &c. abunde patet. Nobis autem prophetiæ non omnes æque firmum ſe ſolis fundamentum contra Theiſtas præberent; quippe quod vel minus nobis ſint claræ, ut illa Gen. 3. 15.; vel quod primum poſt, cum iam eſſent impletæ, conſignatæ literis a Moiſe fuerint, uti illa Gen. XV. de ſervitute Ægyptiaca poſterorum Abrahami; id quod Moiſen Theiſtis poſſet reddere ſuſpectum. Attamen illa Gen. XXII. 17. & 18. prædictio & Abrahamo a DEO facta, *benedicentur in ſemine tuo omnes gentes terræ,* non exigui eſt momenti; non ſolum quod fundamentum pacti ſpecialis, cum poſteris Abrahami initi, conficiat, ſed quod gentem iuxta, ex qua Meſſias naſciturus eſſet, & ſalutem ab eo cunctis gentibus afferendam, clariſſime deſignet, & reipſa in nullo alio, ſed in ſolo Chriſto luculentiſſime completa fuerit.

§. 210.

II. Moiſes, ſervus DEI, qui legem a DEO acceptam attulerat Iſraëlitis, miraculis, quibus eam confirmabat, innumeras adiunxit Prophetias ſane quam luculentas. Exodi XIX. 3. 4. 5. 6. & Deuteron. XXVI. 18. 19. fœdus DEI nomine cum populo ſuo iniens promiſſa adiungit ſane ſtupenda ſervantibus legem, ſecundum quæ populum illum DEUS facturus ſit *excelſiorem cunctis gentibus.* Exod. XXXIV. 24. & Deut. XVII. 1. & ſeqq. promittit DEI nomine, DEUM eiectis omnibus gentibus Hethæorum, Gergezæorum, Amorrhæorum &c. introducturum Iſraëlitas in terram promiſſam patribus eorum. Habitaturis ibidem & obſervaturis legem a DEO propoſitam Levitici XXVI. 3. & ſeqq. fertilitatem terræ, frugum omnium & vini abundantiam, pacem ab hoſtibus, iſtorum victorias promittit: contra tranſgreſſuris mandata a

verſu 14. contraria omnia & mala ultima comminatur, ita tamen, ut pœnitentiam acturis a verſu 42. miſericordiam exhibiturum DEUM polliceatur. Denique Deut. XXXI. 16. & ſeqq. Moiſes omnia iſta promiſſa & minas repetens, ſimul populi prævaricationes reipſa ſecuturas graphice prædicit, & ſecuturam inde reipſa minarum executionem celebri Cantico illo, *Audite cœli, quæ loquor* &c. &c. cap. XXXII. deſcribit; quod ipſum *in arca latere reponi* a Levitis iubet, ut eſſet *ibi in teſtimonium.* Memorabiles nominatim ſunt aliquæ leges ob promiſſa exotica adiuncta. Sic Exod. XXXIV. 24. legi præcipienti, ut *tribus anni temporibus in conſpectu DEI Iſraël*, coram arca videlicet, *omnes maſculi* comparerent, additur promiſſum hoc: *nullus inſidiabitur terræ tuæ aſcendente te in conſpectu Domini DEI tui ter in anno.* Levitici XXV. 20. legi de Iubileo terræ, ſeu de agris anno ſeptimo non colendis, additur rurſus promiſſum inſolens: *ſi dixeris: quid comedemus anno ſeptimo? - - - dabo benedictionem meam vobis anno ſexto, & faciet fructus trium annorum: ſeretisque anno octavo, & comedetis veteres fruges uſque ad nonum annum; donec nova naſcantur.* Adde prædictionem illam terribilem Numer. XIV. 22. & ſeqq. a Moiſe factam, quod omnes ex Iſraëlitis, qui viginti annos ætatis expleſſent, in deſerto eſſent morituri in pœnam querelarum & diffidentiæ, qua ex auditis exploratorum nuntiis de Palæſtina DEUM irritaſſent; ſolis Ioſue & Caleb exceptis, qui nuntii fideles fuerant. Porro executionem accuratam iſtorum omnium factam reipſa decurſus hiſtoriæ Iſraëliticæ univerſus docet, Sic promiſſa DEI mox impleta leges Ioſue XXIV. 31. Iudicum XI. 7. & præcipue Ioſue XXI. 4. 8. & XXIII. v. 14. Prima vero generatione illa Iſraëlitica DEO fideli iam extincta, mox prævari-

cationis

cationis prædictionem a Moiſe factam, ſimulque DEI minas impletas, leges Iudicum II. 10. & ſeqq. Item ibid. III. 7, 9, 15. IV. 1, 3. cap. VI. 1, 7. X. 6, 10. XIII. 1. cap. XX. 26. continuas viciſſitudines boni & mali rerum eventus, proſperitates & afflictiones, fidelitati & contumaciæ Iſraëlitarum accurate reſpondentes, invenies. Eadem rerum variatio ſub Regibus Iuda & Iſraël tenuit perpetuo ad Babylonicam uſque captivitatem; idem bonæ ac malæ fortunæ tenor quoque poſt iſtam uſque ad Chriſti ætatem. Nunc vindices ſcelerum invenies, Ieroboamos pro Salomone mulieroſo & Roboamo, Benadados Salmanaſſares, Nabuchodonoſores, Antiochos, nunc Servatores Eliſæos, Ezechias, Cyros, Eſdras, Nehemias, Machabæos &c. &c.: prout vel ſcelus, vel pœnitentia, & fidelitas, in electo illo DEI populo invicem alternant. Promiſſa quoque de fertilitate ſexti anni, & de immunitate ab inſidiis hoſtilibus per tria illa anni tempora, queis omnibus maſculis comparendum erat coram arca Domini, nunquam non ſervata fuiſſe, vel ipſa conſtans legum iſtarum obſervatio docet; quæ ſecus neutiquam diu tenuiſſet. Denique Eliſæus, Ioſias, Ieremias, Baruch, Eſdras, Nehemias, publice identidem populo Iſraëlis edicunt, bona & mala alternantia perpetuos eſſe DEI promiſſorum minarumque effectus; ipſeque populus univerſus, quoties ad pœnitentiæ remedium convolat, idem publice confitetur.

* Hem tibi in Moiſe legislatorem, cuius nemo exinde ſequi veſtigia ex profanis legislatoribus eſt auſus. Executores legum ſuarum ille non homines, ſed elementa, cœlumque ipſum conſtituit, imo ipſum ſupremum Numen. Certe aut ſtolonum omnium ſtolidiſſimus Moiſes fuit, qui tam certo periculo ſe exponit, ne fallentibus ſæpe pro-

 miſſis

miſſis ſuis fraus ipſius manibus palpetur; aut DEI nomine eſt locutus. Iam vero tu mihi Moiſen, quæſo, ne ſtolidum hominem effingas. Adde his legem illam admirabilem de muliere, cuius ſuſpecta fides matrimonii. Numerorum enim V. Moiſes DEI nomine promittit, ſi mulier revera noxia ſit, ventrem illius inflatum iri, femur putredine inficiendum, ipſamque ignominia præſente univerſo populo mox opplendam eſſe; quamprimum biberit de aqua, cui Sacerdos ſummus maledixerit. An erit impoſtor aliquis in paucis eximius, qui ita inſaniat, ut id genus legem ferre velit? An vero Philoſopho potiori iure iſthanc tu inſaniam tribues? an Politico egregie aſtuto? An præſtigiatori demum veniet in mentem ultra vitæ terminos ſuis præſtigiis graſſari ad hominibus imponendum? Ecce! quam multo facilius ſit, luſu quodam iucundo imaginationis Moiſen ſibi impoſtorem eximium fingere, quam talem reipſa fuiſſe, vel tenuit aliquo argumento perſuadere.

§. 211.

III. Prophetia Ioſue eximia habetur in eiusdem libro VI. 26. *Maledictus vir coram Domino, qui ædificaverit, & ſuſcitaverit civitatem Iericho. In primogenito ſuo fundamenta illius iaciat, & in noviſſimo liberorum ponat portas eius.* Ecce tibi illius eventum poſt annos 500 ſub rege Achab, conſignatum in III. Reg. 16. 34. *In diebus eius ædificavit Hiel de Bethel Iericho: in Abiram primitivo ſuo fundavit eam, & in Segub noviſſimo ſuo poſuit portas eius, iuxta verbum Domini, quod locutus fuerat in manu Ioſue filii Nun.* Ex hoc tempore nec Iſraëlita, nec alius quisquam auſus eſt reædificare in eo loco, etſi ſitu peramœno:

§. 112.

§. 212.

IV. Prophetia alia in III. Reg. 13. 1. & ſeqq. refertur. Ieroboam Rex decem tribuum, quæ a Roboam Salomonis filio deſecerant, ut ſubditos ſuos ab acceſſu templi ac Ieroſolymæ, atque ab omni cum Roboami ſubditis commercio averteret, contra ſeveram DEI legem in Bethel aram erigi curaverat, in qua ſubditi ſui ſacrificia ponerent DEO offerenda, & ne unquam Solymam proficiſcerentur ad templum, gravibus propoſitis pœnis prohibuerat. *Et ecce! vir DEI venit de Iuda in ſermone Domini in Bethel, Ieroboam ſtante ſuper altare, & thus iaciente. Et exclamavit contra altare: - - altare, altare! hæc dicit Dominus: ecce filius naſcetur domui David, Ioſias nomine, & immolabit ſuper te Sacerdotes excelſorum, qui nunc in te thura ſuccendunt, & oſſa hominum ſuper te incendet.* Quæ magis inſolita prædictio? Lege vero, quod trecentis poſt annis contigit, ſcriptum in IV. Reg. 23. de Ioſia rege: *altare, quod erat in Bethel, & excelſum, quod fecerat Ieroboam filius Nabat, - - deſtruxit, atque combuſſit, - - & occidit univerſos Sacerdotes excelſorum, qui erant ibi ſuper altaria, & combuſſit oſſa humana ſuper ea.*

§. 213.

V. Iſaias cap, XIII. urbi Babylon ſortem futuram eo tempore prædicit, quo ne minima quidem illius ſuſpicio erat. Sic autem a verſu 19. effatur: *& erit Babylon illa glorioſa in regnis, inclyta ſuperbia Chaldæorum, ſicut ſubvertit Dominus Sodomam & Gomorrham. Non habitabitur uſque ad finem, & non fundabitur uſque ad generationem & generationem: nec ponet ibi tentoria Arabs, nec paſtores requieſcent ibi. Sed requieſcent ibi beſtiæ, & replebuntur domus eorum draconibus: & habitabunt iſti ſtruthiones,*

nes, & piloſi ſaltabunt ibi. Addit cap. ſeq. v. 23. *& ponam eam in poſſeſſionem ericii, & in paludes aquarum.* Admirabilis prædictio! Sed vide accuratam illius executionem. Primus ad exitium gradus fuit, quod dignitate ſedis regiæ exciderit. Reges Perſiæ, qui eam expugnarunt, Suſam, Ecbatanam, Perſepolin ſedem regni Babylone tranſtulere. Alexander magnus devictis Perſis conſilium cepit gloriæ illius priſtinæ reſtituendæ, reparandi templum Belo ſacrum, quod Xerxes, ab infelici Græciæ expeditione redux, deſtruxerat, ſedemque ibi regiam reponendi. At conſilium hoc mors illius ſuperveniens diſturbavit. Macedones, qui eidem ſucceſſere, adeo illud proſecuti non ſunt, ut magis urbi penitius evertendæ inſiſterent. Seleucus, ſui memoriam nominis conſecraturus, Seleuciam viginti circiter leucis a Babylone, ad ripam occidentalem Tigridis exſtruxit, e regione illius loci, ubi hodie Bagdad, in ripa adverſa viſitur. Situs commoditas, & eximia privilegia a Rege adiecta, maximam incolarum partem Babylone in novam hanc urbem attraxere. *In ſolitudinem rediit*, ait Plinius lib. 6. cap. 26. *exhauſta vicinitate Seleuciæ, ob id conditæ a Nicanore.* Poſt hæc Babylon ad Parthos, & ab his denuo ad Perſas tranſiit; quorum reges (teſte S. Hieronymo in cap. XIII. Iſaiæ) reſiduam incolarum partem illi detraxere, ut Cteſiphontem, a paucis antea habitatam, frequentiorem redderent. Verſus medium ſecundi ſeculi, cum Pauſanias ſuas animadverſiones in Græciam ſcriberet, nil iam illius præter murorum ambitum reſtabat. Vide Pauſan. in Arcad. Novi reges Perſæ, cum eam deſertam viderent, ex eius ruderibus ferarum clauſtra conſtruxere, quas venationi ludicræ reſervabant. Incolis itaque hominibus apri, leopardi, urſi, onagri ſylveſtres, & cervi ſucceſ-

ſucceſſere. Talis erat urbis iſtius facies S. Hieronymi ætate, nimirum quarto a Chriſto ſeculo. Sed neque muri eius deinceps ſuperfuere; etſi nuſpiam apud hiſtoricos legere ſit, quando, & quonam auctore diruti ſint. Illud certum omnino, Euphratis fluvii undas, alveo ſua egreſſas, ita regionem illius urbis inundaſſe, ut ne peritiſſimi quidem Geographi ſatis certo definire illius locum hodiedum noverint.

* Plutarchus, Appianus, Lucanus, & Philoſtratus, ſuo quidem ævo adhuc Babylonis mentionem ingerunt. Sed evidens eſt, quod Babylonem cum Seleucia confundendo decepti fuerint. (Vide Plin. l. VI. c. 26. Steph. Byz.) In Lucano error ſeſe prodit manifeſto De Babylone is loquitur, quæ Parthorum regia fuit ad tigridem ſita. Iam vero nullo unquam tempore vetus illa Babylon regum Parthorum ſedes extitit; ſed ea Seleuciæ fixa fuerat. Præterea Babylon illa ad Euphratem, non ad Tigrim, ſita fuerat. Philoſtratus, hiſtoricus ſubleſtæ alioquin fidei, & minime exactus, minus etiam attendi hic meretur.

** Eiusdem ferme indolis eſt illa Ezechielis XXX. 13. prædictio de ſorte futura Ægypti; quod nimirum poſt expugnationem Nabuchodonoſoris nullos amplius reges indigenas illa provincia habitura ſit. Eventus certe ex eo tempore hodiedum reſpondet.

§. 214.

VI. Altera quoque illa Iſaiæ prophetia memorabilis omnino eſt, qua Iſai. XLIV. 28. DEUS, filiis Iſraël e captivitate Babylonica liberatorem his verbis promittens, inducitur: *qui dico Cyro: paſtor meus es tu, & omnem voluntatem meam complebis. Qui dico Ieruſalem: ædificaberis; & templo: fundaberis:* pergitque mox Propheta cap. ſeq. XLV. 1.

Hæc dicit Dominus Chriſto meo Cyro, cuius apprehendi dexteram, ut ſubiiciam ante faciem eius gentes, & dorſa regum vertam, & aperiam coram eo ianuas, & portæ non claudentur. Ego ante te ibo, & glorioſos terræ humiliabo: ut ſcias, quia ego Dominus, qui voco nomen tuum, DEUS Iſraël. Propter ſervum meum Iacob, & Iſraël electum meum, & vocavi te nomine tuo. Vide prædictionem iſtam ad amuſſim completam I. Eſdræ I. poſt annos circiter centum & ſeptuaginta.

* Similia prædicta invenies ab Ieremia XXXVII. 16. & XXXVIII. 3. item XXV. 9. & 11. ubi etiam tempus annorum ſeptuaginta pro captivitate babylonica præſtituitur. Plures quoque non minus ſtupendas prædictiones legere eſt in Daniele cap. II. de quatuor Monarchiis mundi & victoriis Alexandri a Dario reportandis &c.; imo iisdem omnes Prophetarum libri pleni ſunt.

§. 215.

Prophetiæ IESU Chriſti Domini præcipuæ tres ſunt, *prima* de futura obſtinatione gentis Iudaicæ, Urbis eorum principis Ieroſolymæ ac templi everſione. *Altera* de vocatione gentium & futura propagatione Evangelii per totum orbem. *Tertia* de ſua morte & reſurrectione. Itaque

I. IESUS Chriſtus mox inde ab initio prædicationis ſuæ, cum, redux a deſerto ac ieiunio quadraginta dierum, habitaret Capharnai in Galilæa, iamque miracula multa edere in primis ſuis prædicationibus cæpiſſet, prædixit pertinaciam Iudaicæ nationis, quæ fidem ſuis verbis non eſſet habitura, ſequentibus apud S. Matthæum verbis cap. VIII. 10. ex occaſione magnæ fidei illius prolatis, quam Centurio illum in ingreſſu urbis Capharnai

pharnai

pharnai accedens demonſtrabat: *amen dico vobis: non inveni tantam fidem in Iſraël. Dico autem vobis, quod multi ab Oriente & Occidente venient, & recumbent cum Abraham, & Iſaac, & Iacob in regno cælorum: filii autem regni eiicientur in tenebras exteriores: ibi erit fletus & ſtridor dentium.* Lucæ XIII. 28. & ſeq. eandem prædictionem iisdem pæne verbis repetit ex occaſione propoſitæ ſibi ab aliquo quæſtionis de paucitate electorum. Rurſus vero Matth. XXI. 28. & 33. per parabolas de homine habente duos filios, & de patrefamilias, cuius vinitores poſt alios ſervos etiam filium vineæ hæredem occiderunt, prædicit regnum DEI a Iudæis ad gentes ob illoram obſtinationem transferendum eſſe. *Ideo dico vobis,* ait v. 43, *quia auferetur a vobis regnum DEI, & dabitur genti facienti fructus eius.* Eadem Marci XII. & Lucæ XX. habentur. Sed clarius etiam Matth. XXIII. 29. ſeſe Chriſtus exprimere cæpit. Exprobrata enim ſcribis & phariſæis eorum hypocriſi & impietate ſic pergit v. 32. *Implete menſuram patrum veſtrorum* videlicet occidendo me, quem Prophetæ a patribus veſtris occiſi annuntiaverant. - - *Ecce ego mitto ad vos prophetas & ſapientes, & ſcribas, & ex illis occidetis, & crucifigetis, & ex eis flagellabitis in Synagogis veſtris, & perſequemini de civitate in civitatem: ut veniat ſuper vos omnis ſanguis iuſtus, qui effuſus eſt ſuper terram, a ſanguine Abel iuſti uſque ad ſanguinem Zachariæ, filii Barachiæ, quem occidiſtis inter templum & altare. Amen dico vobis: venient hæc omnia ſuper generationem iſtam.* Ecce expreſſum accurate tempus, quo effuſi ſanguinis Prophetarum ultio ſecutura ſit, ipſa nempe ætate & memoria Iudæorum tunc viventium nondum extincta. *Ieruſalem! Ieruſalem! quæ occidis Prophetas, & lapidas eos, qui ad te miſſi ſunt, quoties volui congregare filios*

lios tuos, quemadmodam gallina congregat pullos ſuos ſub ala, & noluiſti. Ecce! relinquetur vobis domus veſtra deſerta. Inde cum Aſinæ pullo vectus appropinquaret civitati Ieruſalem (Lucæ XIX. 41.) *flevit ſuper illam dicens: quia ſi cognoviſſes & tu; - - nunc autem abſcondita ſunt ab oculis tuis. Quia venient dies in te, & circumdabunt te inimici tui vallo, & circumdabunt te, & coanguſtabunt te undique* (quanta præciſio eventuum prædictorum) *& ad terram proſternent te, & filios tuos, qui in te ſunt, & non relinquent in te lapidem ſuper lapidem: eo quod non cognoveris tempus viſitationis tuæ.* Et egrediente IESU de templo Matth. XXIV. *acceſſerunt diſcipuli eius, ut oſtenderent ei ædificationes templi*, veluti innuentes, an crederet, has omnes evertendas? *Ipſe autem reſpondens dixit illis: videtis hæc omnia? Amen dico vobis: non relinquetur hic lapis ſuper lapidem, qui non deſtruatur.* Denique iam exiens cum cruce ad Golgotham, cum multas mulieres plangentes ſortem ipſius intueretur (Luc. XXIII. 28.) *converſus ad illas IESUS dixit: filiæ Ieruſalem, nolite flere ſuper me; ſed ſuper vos ipſas flete & ſuper filios veſtros.* Ecce filiorum ætate affuturam vindictam prænuntiat! & qualem? *Quoniam ecce venient dies, in quibus dicent* (ſcilicet, hi filii veſtri): *beatæ ſteriles, & ventres, qui non genuerunt, & ubera, quæ non lactaverunt. Tunc incipient dicere montibus: cadite ſuper nos; & collibus, operite nos. Quia ſi in viridi ligno hæc faciunt; in arido quid fiet?* Id eſt, ſi a me filio ſuo innocente DEUS Pater meus ob aliena peccata, quæ porto, tantas exigit pœnas; quanta ſupplicia ſceleri veſtro præparabit, quod me occidendo committitis?

Vide iam, ut per omnia capita executioni data hæc prædictio fuerit. Iudæi in pertinacia obſtinati,

ſtinati, non modo Chriſtum occidunt ſuſpendentes in ligno, ſed etiam in diſcipulis perſequuntur. Lapidant Stephanum impetu ſeditionis acti, cum iure diſponendi de vita & morte hominum iam carerent, a Romanis omni ſupremo Magiſtratu ſpoliati (Act. VII. 57.). Iacobos geminos occidunt, Petrum quoque per Herodem iam occidere parati. Suſcitant quoque contra Apoſtolos Romanorum odia, perque eos SS. Petrum & Paulum denique furori ſuo immolant. Sed & Apoſtoli derelictis obſtinatis iſtis ſuis popularibus convertuntur ad gentes Act. XIII. 46, & rurſus Act. XXVI. 23. Interim tempus vindictæ divinæ appropinquat. Infelix Ieruſalem iugum Romanorum, cui totus ſe incurvabat orbis, rebellione parat excutere. At anno poſt Chriſti mortem trigeſimo octavo obſidione a Tito cingitur, muro circumducto tota natio illuc ad celebrandum Paſcha collecta intercipitur, & in eas anguſtias agitur, quas apud Ioſephum Iudæum, teſtem omnium ocularem, ſine horrore legere vix quiſquam poteſt. Titus Imperator, hominum manſuetiſſimus, ultro parcere civitati & templo modis omnibus quærit. Sed obſtinatione obſeſſorum inaudita non permittitur. Civitate iam capta, templo ſaltem, totius orbis reverentia celebri, ut a ſuis militibus parcatur, ſtudioſiſſime iubet. At fruſtra omnia: imperium non exaudit miles, ſed veluti occulto numine impulſus, feneſtram templi aſcendit, ignem iniicit; qui momento ita graſſatur, & depopulatur omne ædificium, ut nulla Romanorum induſtria extingui poſſit. Totum ſus deque ædificium vertitur. Vide Ioſephum de bello Iudaico lib. VI. & VII. Si ex hac ruina ſuperfuit lapis, qui loco motus non fuerat, Chriſti prophetiæ minutim implendæ Iulianus Imperator Apoſtata profecto volens nolens

manum

manum & operam ad extremum commodavit. Princeps enim ille, Chriſtum, cui infenſiſſimus erat, quaqua via mendacii convincere, exoptans qui dixerat Matth. XXIII. 38. de Ieroſolyma: *ecce relinquetur vobis domus veſtra deſerta*, Iudæorum præcipuos modis omnibus ad reædificandam urbem iſtam incitavit, iuvans eos omnibus auxiliis. Accurrit excita tota natio, expenſas & communem operam confert, utque nova paret fundamenta, vetera labore maximo primum eruit, & ad apicem ſummum Chriſti prædictionem ſic ipſa complet. Verum hoc iam facto, cum nova iacere fundamenta parat, igne ex imo terræ erumpente, inſtrumentaque iuxta & operas conſummente, labor omnis & ædificii conſilium abrumpitur, humana induſtria virtuti altiori, tam manifeſtis indiciis ſe prodenti, cedere coacta. Vide ipſos paganos de hoc prodigio teſtantes, nempe Ammianum Marcellum lib. 23. init. Philoſtorg. apud Phot. l. 7. n. 9. ac poſt iſtos etiam Socratem lib. III. c. 20. & Sozomenum l. V. c. 22. Theodoret. l. III. c. 20.

Verum multo præciſior adhuc Chriſti prædictio de ſorte Ieroſolymæ & totius nationis Iudaicæ extat cap. XXIV. Matthæi, cap. XIII. Marci, & cap. XXI. Lucæ. Poſt auditam enim a Chriſto prædictionem de templo & urbe funditus evertendis, diſcipuli, nempe Petrus, Iacobus, Ioannes, & Andreas (Marc. XIII. 3.) illum ſecreto interrogarunt dicentes apud Matthæum v. 3.: *dic nobis, quando hæc erunt? & quod ſignum adventus tui, & conſummationis ſeculi?* apud Marcum v. 3. *dic nobis, quando iſta fient: & quod ſignum erit, quando incipient hæc omnia conſummari?* apud Lucam v. 7. *quando hæc erunt, & quod ſignum, cum fieri incipient.* Ex modo interrogandi patet, diſcipulos in ea opinione

ne fuiſſe, Chriſtum de ultimo mundi die & exitio generali locutum eſſe, cum everſionem illam urbis ac templi præſagiret. At reſpondet Chriſtus: *videte, ne quis vos ſeducat: multi enim venient in nomine meo, dicentes, quia ego ſum Chriſtus, & tempus appropinquavit, & multos ſeducent. Nolite ergo ire poſt eos.* Chriſtus itaque his verbis corrigit Apoſtolos, admonens, plura fore tempora, quibus Pſeudochriſti venturi ſint; antequam ipſe in fine mundi ad judicium venturus eſſet. Hoc ſenſu pergit: *cum* ergo *audieritis prælia & ſeditiones, nolite terreri. Oportet primum hæc fieri, ſed nondum ſtatim finis*, id eſt, nondum idcirco jam prope eſt finis mundi. *Tunc dicebat illis: ſurget gens contra gentem, & regnum adverſus regnum: & terræ motus magni erunt per loca, & peſtilentiæ, & fames, terroresque de cælo, & ſigna magna erunt. Hæc autem omnia initia ſunt dolorum. Videte autem vosmet ipſos:* id eſt, ſcitote vero, quid vobiscum ſingillatim futurum ſit. *Ante* hæc *omnia* (id eſt, antequam id genus adhuc a me recenſita dolorum initia veſtris temporibus contingant) *injicient vobis manus, & perſequentur, tradentes in Synagogas & cuſtodias, trahentes ad reges & præſides, propter nomen meum. - - Trademini autem a parentibus, & fratribus, & cognatis, & amicis, & morte afficient ex vobis, & eritis odio omnibus propter nomen meum. Et capillus de capite veſtro non peribit; in patientia veſtra poſſidebitis animas veſtras. Et multi pſeudoprophetæ ſurgent, & ſeducent multos. Et quoniam abundavit iniquitas, refrigeſcet caritas multorum: qui autem perſeveraverit in finem, hic ſalvus erit. Et prædicabitur hoc Evangelium regni in univerſo orbe, in teſtimonium omnibus gentibus;* id eſt, omnes iſtæ perſecutiones curſum Evangelii non retinere poterunt, ſed ubique illud prædicandum eſt, & *tunc* primum *veniet conſummatio.* Porro ipſe eventus ſeculorum docuit,

Digitized by Google

docuit, quæ hic diſcipulis primis prædixit Chriſtus, non illis ſolis, ſed paſſim cunctis illorum ſucceſſoribus dixiſſe. Sed his iam præmiſſis monitis de futuro curſu temporum ante diem iudicio generali deſtinatum, & de futura deinceps ſorte omnium ſuorum diſcipulorum quovis tempore, his, inquam, præmiſſis ad primam ſuam regrediens prædictionem de everſione templi & urbis Ieroſolymæ, ſic porro pergit: *cum autem videritis circumdari ab exercitu Ieruſalem, & abominationem deſolationis, quæ dicta eſt a Daniele Propheta* (IX. 27.), *ſtantem in loco ſancto, ubi non debet, tunc ſcitote, quia appropinquavit deſolatio eius*, vobis antea a me prædicta. *Tunc, qui in Iudæa ſunt, fugiant ad montes, & qui in medio eius diſcedant, & qui in regionibus, non intrent in eam: quia dies ultionis hi ſunt, ut impleantur omnia, quæ ſcripta ſunt. Væ autem prægnantibus & nutrientibus in illis diebus. Erit enim tunc tribulatio magna, qualis non fuit ab initio mundi usque modo, neque fiet. Et tunc ſiquis vobis dixerit: ecce hic eſt Chriſtus, ecce illic, ne credideritis. Exurgent enim pſeudochriſti & pſeudoprophetæ, & dabunt ſigna & potenta ad ſeducendos, ſi fieri poteſt, etiam electos. Si ergo dixerint vobis: ecce in deſerto eſt; nolite exire: ecce in penetralibus; nolite credere. Sicut enim fulgur exit ab oriente, & paret uſque in occidentem* (hoc eſt, ſicut fulgur manifeſtum eſt omnium oculis, quin poſſit eſſe dubius illius ſplendor): *ita erit & adventus Filii hominis* in extremo iudicii die. Qnaſi diceret: nolite ulli credere, qui ſe Chriſtum eſſe dicit: cum enim ego venero, qui ſolus vere Chriſtus ſum, ita palam veniam, ſicut fulgur, ut nemo de adventu meo dubitare poſſit. Finit denique Lucæ XXI. 24. prædictionem de urbis Ieroſolymæ & gentis Iudaicæ exitio his verbis: *& cadent in ore gladii, & captivi ducentur, in omnes gentes, & Ieruſalem calcabitur*

tur a gentibus; donec impleantur tempora nationum. Ecce prædictio diſperſionis gentis Iudaicœ in omnes gentes, ſervitutis, ſpeciem captivitatis babylonicæ habituræ, perdurationis iſtius mali uſque ad exitium omnium reliquarum nationum! Dehinc iam pergit Chriſtus inſuper prædicere, quid paulo ante iudicii extremi diem & finem mundi futurum ſit, nempe apud Matthæum a verſu 29. apud Marcum a v. 24. & apud Lucam a v. 25.: non quidem, quaſi non eadem ſigna perſecutionis Eccleſiæ, Pſeudoprophetarum, ærumnarum publicarum &c. etiam pertineant ad diem iudicii: initio enim iam monuerat Chriſtus diſcipulos, ut caverent ſibi ab errore, *nec* in ſolo mundi fine *tantum* futura id genus urbium & regnorum excidia putarent: quo loquendi modo non negat, *etiam* in fine mundi ſimilia futura; ſed poſtquam de exitio Ieroſolymæ & ſorte gentis Iudæorum incipienda v. 20. Lucæ prædictionem ſingularem abſolvit, pergit porro v. 25. diſcipulis quædam de extremo iudicio item ſingillatim prædicere; monet tamen apud S. Matthæum v. 36. ſe neutiquam etiam de huius diei adventu tam certa indicia ipſis ſuggerere, ut quisquam de illius propinquitate certus eſſe poſſit: *de die autem illa & hora nemo ſcit, neque angeli cœlorum, niſi ſolus Pater,* Poſt prædicta vero quædam de iudicio extremo ſingillatim, addit apud omnes tres Evangeliſtas: *Amen dico vobis, quia non præteribit generatio hæc, donec omnia fiant:* quibus verbis innuit, gentem Iudaicam inſuperhabita diſperſione & afflictione ſua uſque ad finem mundi in mediis aliis gentibus perduraturam.

Iam vero totius prædictionis iſtius filum reſumamus, quoad nempe illa ad exitium urbis Ieroſolymæ & ſortem Iudaicæ gentis ſingillatim at-

tinet, videamusque, utrum accurate ſecundum ſingula quæque capita executioni data ſit. Capita præcipua ſunt hæc: 1mo. prævia perſecutio diſcipulorum Chriſti acerrima, 2do, obſidio Ieroſolymæ facta ab exercitu, & abominatio tunc ſtans in loco ſancto, 3tio. fuga Chriſti aſſeclarum ab Ieroſolyma in montes & deſerta loca, 4to. ingentes urbis ærumnæ, 5to. Seductores multi & pſeudochriſti, 6to. Everſio Ieroſolymæ cum internecione civium, 7timo. diſperſio gentis Iudaicæ in omnes gentes, & captivitatis perpetuæ quædam ſpecies, 8vo. perduratio & urbis & gentis in hoc ſtatu uſque ad finem nationum omnium. *Quoad primum caput* lege in Actis Apoſtolorum (cap. V.) cæſos Apoſtolos a concilio Iudæorum, aliam vero perſecutionem Saulo præcipuo duce ibidem capite VIII.; ſimilia leges cap. XV. XVI. XXI. & ſeqq. lege item Suetonium de Nerone (cap. 16.) primam adverſus Chriſtianos perſecutionem movente, Lactantium lib. IV. cap. 21. de divina Inſtit. de SS. Petro & Paulo, qui a Iudæis Romæ proditi & accuſati, paulo antequam mortem crudelem oppeterent, iſtis ſuis proditoribus vicinum Solymæ & gentis ſuæ excidium ac diſperſionem ex Chriſti Magiſtri ſui ore de novo prædixere. *Circa ſecundum & tertium caput* nota ex Ioſepho Iudæo lib. II. de bello Iud. cap. 22, Ieroſolymam prima vice anno poſt Chriſtum natum 66. ſecundum æram vulgarem a Ceſtio Gallo ob motam a Iudæis adverſus Romanos ſeditionem obſeſſam, iamque duas urbis partes interceptas, atque ipſum in templum gravem aſſultum tentatum eſſe, tam felici ex parte Romanorum ſucceſſu, ut proxime victoriam iam res eſſet. At Ceſtio contra omnium expectationem obſidionem ſolvente, & ſubducente exercitum Romanum, crevere Iudæis animi, ita, ut hoſtem veluti fugientem

gientem acerrime inſequentes, impedimenta multasque eorum machinas interceperint, urbi defendendæ deinceps ſerrituras. Interim iam Romanæ aquilæ, *idolorum* imaginibus ornatæ, quæ in SS. Scripturis Hebræorum vulgo *abominationis* nomine deſignari ſolent, non modo in urbe ſancta, ſed ad ipſos templi muros ſteterant. Hoc ipſo itaque ſigno, veluti a Chriſto ſibi dato, moniti Chriſtiani omnes, qui antehac Ieroſolymis adhuc commorabantur, Ieroſolymis exceſſere, non aliter atque ex nave ſcopulis perforata inſtitui fuga ſolet, & verſus montana in oppidum Pellam, prope deſertum in Syriæ finibus ſitum, ſeſe receperunt. Vide Euſeb. hiſt. lib. III. cap. 5. Epiphan. hæreſ. 7. Nazar. item hær. 29. & de pond. 30. & Ioſ. l. II. de bello Iud. c. 41. Ne unum quidem Chriſtianum Ieroſolymis excidii tempore interceptum legimus. *De quarto capite*, ſive de ærumnis, quas cives Ieroſolymitani in altera obſidione, a Tito Veſpaſiani Imperatoris filii quarto poſt anno ſuſcepta, tolerarunt, ſtupenda legere eſt apud Ioſephum, & ex hoc apud Fleuri in hiſt. Eccl. T. I. lib. I. §. 37. & ſeqq. præſertim §. 39. ubi de matre ex famis rabie proprium devorante filium refertur: Circa *quintum caput* de ſeductoribus & pſeudochriſtis pluribus narrat Ioſephus lib. 20. Antiq. cap. 6. & lib. 2. de bello c. 22. nominatim de impoſtore ex Ægypto veniente, qui anno Chriſti 54. iam triginta millia Iudæorum ad ſe in deſertum attraxerat, prophetam mentitus, & certa prodigia ſequacibus ſuis ſe exhibiturum pollicitus; quem mox plures alii ſecuti. Vide apud Fleurium T. I. lib. I. §. 54. Sed & alibi extra Iudæam intra id tempus a morte Chriſti ad excidium Solymæ uſque plures eiuſmodi impoſtores, ſi ullo quodam alio ævo, numerare erat, uti Elymam, ſive Bar-Ieſu in inſula Pa-

phos, de quo Act. XIII. Apollonium Thyanæum, de quo ex Philoſt. vita Apoll. lib. 4. Fleurius l. c. §. 49. & lib. II. §. 22. & 32. Simonem Magum, de quo Fleurius lib. I. §§. 7. 8. 24. & lib. II. §. 23. pluresque alios, de quibus ſacræ & profanæ hiſtoriæ memorant. *De ſexto capite*, ſeu de everſione Solymæ, horrenda leges apud Ioſephum l. VII. & ſpeciatim, quod eodem menſe eodemque die vaſtata a Tito ſit, quo olim a Nabuchodonoſore, Babylonem Iudæos in captivitatem abſtrahente; ut pœna eſſet manifeſtior. *Septimi capitis* eventus notior eſt, quam ut explicatione opus habeat. *Octavum* impleri hodiedum pergit modo ſane omnium admiratione digno. Neque enim ullum aliud ſimile exemplum extat, quod populus quiſpiam provincia ſua ac patria extorris, cunctisque gentibus exoſus, nihilominus in medio nationum, per quas diſperſus erat, perpetuo ſe abs commixtione conſervarit. Nullum iam veſtigium ſupereſt veterum Aſſyriorum, Medorum, Perſarum, Græcorum, imo nec Romanorum veterum, a quibus toties Iudæi ſubiugati ſunt, ſed omnes illorum poſteri cum ceterarum gentium turba confuſi ſunt. Soli Iudæi victoribus ſuis omnibus ſupervixere, etſi miſerrimo iugo ubivis terrarum oppreſſi vagentur ſine rege, ſine lege, præ ipſa etiam urbe & templo ſuo magis deiecti.

Hem tibi hic prophetiam ſatis claram, & mire præciſam, circa plurima eventuum adiuncta, ſimulque accurate impletam! Quadraginta ferme annis illa præceſſit primos eventus per eam prædictos, eademque ad plura ſecula ſeſe extendit. Res ipſæ prædictæ prorſus inſolitæ ſunt, & ab arbitrio humano pendentes, quarum nulla prorſus tunc temporis, cum a Chriſto prædictio edebatur,

uſpiam

uſpiam ſuſpicio erat. Edita demum illa reipſa eſt, ut prædictione pœnæ, qua Iudæorum obſtinatio adverſus religionem a Chriſto promulgatam puniretur, ipſa religio a Chriſto publice docta firmaretur.

* Si *quæras*, quorſum iſta populi Iudaici conſervatio ſpectet; *repono:* ut Iudæi ipſi teſtimonium minime ſuſpectum tum veritati Scripturarum antiquarum, tum Divinitati IESU Chriſti ferant perpetuo. *Per omnes gentes diſperſi, teſtes iniquitatis ſuæ & veritatis noſtræ*, ait de ipſis S. Auguſt. in pſal. 58. enarrat. Et vero diſperſionem illam iuxta ac conſervationem nationis Iudaicæ iam Prophetæ ſacri ante Chriſtum quoad ſubſtantiam prædixerant; etſi hic articulatius multo prædictionem eandem & quoad ſingularia adiuncta explicarit. Oſeas certe III. 4. ſic habet: *dies multos ſedebunt filii Iſraël ſine rege, & ſine principe, & ſine ſacrificio, & ſine altari, & ſine Ephod, & ſine theraphim. Et poſt hæc revertentur filii Iſraël, & quærent Dominum DEUM ſuum, & David regem ſuum, & pavebunt ad Dominum, & ad bonum eius in noviſſimo dierum.* Quibus poſtremis verbis ſimul converſio nationis totius prædicitur. Exercuit vero Oſeas Prophetæ munus circiter 775. annis ante adventum Chriſti. Similia habet Ieremias cap. XXXIII. 25. & XLVII. 28. Legi meretur ſermo ſacer, quem de Prophetia iſthac IESU Chriſti circa excidium gentis Iudaicæ, tanquam potenti argumento veritatis pro religione Chriſtiana edidit noſter P. Ruæus T. III. pour le Vendredy de la ſeconde ſemaine du Careſme.

** *Ne dicas*, Prophetiam iſtam poſt primum, Ieroſolyma iam everſa, Evangeliis inſertam eſſe. Nam 1mo. oſtendam infra §. 255., iam diu ante ſcripta fuiſſe tria priora Evangelia, S. Matthæi, S. Marci, & S. Lucæ, eademque ab omnibus primitivis Chriſtianorum Eccleſiis recepta. 2do. Etſi Evangelia illa excidio Solymæ poſteriora eſſent,

 tamen

Digitized by Google

tamen vaticinium iſtud IESU Chriſti oretenus ubique ab Apoſtolis prædicatum fuiſſe oportet; nec veriſimile eſt, Chriſtianos id poſt primum recepturos ſine contradictione, ſi antea fuiſſet inauditum. 3tio. Cur ſolis tribus prioribus in Evangeliis legitur, non item in S. Ioannis Evangelio, diu poſt conſcripto? Cur Evangeliſtæ nullibi de eventu vaticinii reipſa conſecuto mentionem ingerunt; ſi dolis ſtruendis revera intenti fuere? 4to. Cur Iudæi ipſi S. Stephano Protomartyri Act. VI. 13. 14. crimini dant: *homo iſte non ceſſat loqui verba adverſus locum ſanctum & legem. Audivimus enim eum dicentem: quoniam IESUS Nazarenus hic deſtruet locum iſtum:* ſi verum non eſt, vulgatum iam tum inter Chriſtianos hoc vaticinium fuiſſe? Cur Chriſtianos, ex Chriſti verbis, diem iudicii extremum appropinquare, concludentes, ſecuros reddi a S. Paulo oportuit illis verbis ad Theſſal. II. 2. v. 2. *rogamus, ut non cito moveamini, quaſi inſtet dies Domini.* 5to. Quiquid Iudæus, vel Theiſta, ogganiat, evidens eſt vaticinium, quo Iudæorum deſolatio prædicta eſt finem non habitura uſque ad mundi finem. Luc. XXI. 24. *calcabitur Ieruſalem a gentibus, donec impleantur tempora nationum.*

§. 216.

II. *Altera ex præcipuis IESU Chriſti Prophetiis* eſt de converſione gentium ad id tempus uſque turpiſſimis & abominandis idololatriæ ſuperſtitionibus deditarum, de propagatione religionis ſuæ & prædicatione per univerſum mundum, & de perpetuitate Eccleſiæ ſuæ uſque ad finem mundi. Prædictio hæc ubivis prædictioni de futura Iudæorum obſtinatione a Chriſto iungitur. Matth. VIII. 8. fidem centurionis Capharnai commendans ait: *non inveni tantam fidem in Iſraël: dico autem vobis; quod multi ab oriente & occidente venient, & recumbent cum Abraham, Iſaac, & Iacob in regno cælorum: filii*

filii autem regni eiicientur in tenebras exteriores. Lucæ XIII. 29. ait: *& venient ab oriente, & occidente, & aquilone, & auſtro, & accumbent in regno DEI: & ecce ſunt noviſſimi, qui erunt primi, & ſunt primi, qui erunt noviſſimi.* Matthæi XXI. 33. & Lucæ XX. 16. prædicit ſub parabola vineæ & perfidorum vinitorum, donum fidei & prædicationis veræ religionis ad alios colonos transferendum eſſe. Simili parabola de cœna magna, ad quam loco invitatorum hoſpitum, venire detrectantium, alii ex plateis & vicis vocantur, id ipſum Lucæ XIV. 16. & Matth. XXII. 2. explicat. Rurſus Matth. XXIV. 14. clariſſime affirmat: *prædicabitur hoc Evangelium regni in univerſo orbe, in teſtimonium omnibus gentibus: & tunc veniet conſummatio.* Ubivis tamen Chriſtus Dominus innuit, prius Iudæis veluti populo antehac præ ceteris electo prædicandum eſſe Evangelium, ac primum poſt illorum pertinaciam ad alias gentes transferendum. Sic Luc. XXIV. 47. ait ad Apoſtolos: *oportebat Chriſtum pati, & reſurgere a mortuis, & prædicari in nomine eius pœnitentiam & remiſſionem peccatorum in omnes gentes, incipientibus ab Ieroſolyma.* Et rurſum Act. I. 8. *eritis mihi teſtes in Ieruſalem, & in omni Iudæa, & Samaria, & uſque ad ultimum terræ.* Addit promiſſionem perpetuitatis Eccleſiæ ſuæ Matth. XVI. 18. *ſuper petram ædificabo Eccleſiam meam, & portæ inferi non prævalebunt adverſus eam:* Matth. XXVIII. 20. *ecce! ego vobiscum ſum uſque ad conſummationem ſeculi.* Dilatationem Eccleſiæ futuram in toto mundo Matth. XIII. 31. declarat exemplo grani ſinapis, quod minimum licet ſemen ſit, in arborem tamen maiorem omnibus oleribus excreſcit. Vide etiam Matth. XIII. 37. & ſeqq. Sed per quos denique prædicit effectum iri opus hoc grande prædicationis Evangelii, & propagationis Eccleſiæ

ſuæ uſque ad extremum terræ? Per Apoſtolos ſuos, duodecim homines pauperes, rudes, imperitos, timidos: *vos eritis mihi teſtes in Ieruſalem*, inquit, *& in omni Iudæa, & Samaria, & uſque ad ultimum terræ*. Et Matth. XXVIII. 19. ac Marc. XVI. 15. his ipſis dicit: *euntes in mundum univerſum prædicate Evangelium omni creaturæ: docete omnes gentes ſervare omnia, quæcunque mandavi vobis*. Promittit ipſis virtutem patrandi prodigia ad confirmandam veritatis prædicationem (Marc. XVI. 17.) & virtutem Spiritus Sancti, qui omni ſapientia eos eſſet inſtructurus (Luc. XXIV. 49. Act. I. 8. & Ioan. XIV. 25.).

Comparemus iam effectum ipſum huic prædictioni reſpondentem, prout Ill. Boſſuetius (Diſcours ſur l'hiſtoire univerſelle cap. 20.) illum commemorat. Apoſtoli, inquit, ſecundum præceptum Magiſtri ſui ſedent Ieroſolymis incluſi quadraginta dies; Spiritus Sanctus deſcendit ſuper eos tempore promiſſo, prædicatio incipit, Apoſtoli reddunt publice teſtimonium IESU Chriſto, parati ferre omnia pro confirmanda illius reſurrectione, & quod ſuis ipſi oculis viderint eum a morte redivivum. Annuntiant illum primo in mediis Ieroſolymis, non ſolum civibus eius urbis, ſed Iudæis ex omni natione, quæ ſub cœlo eſt, ad celebrandum feſtum Pentecoſtes congregatis (Act. II. 5.). Et quo ſucceſſu? S. Petrus gemino ſermone inſtruit, illuſtrat, convincit, rapitque ad aſſenſum fidei circiter octo millia hominum; qui de fuſo Chriſti ſanguine pœnitentiam agentes, per baptiſmum peccata ſua abluunt. Numerus diſcipulorum creſcit in dies, plures etiam ex Sacerdotibus & ſenioribus amplectuntur fidem IEſu Chriſti, inſuperhabita repugnantia Magiſtratuum, Doctorum legis,

legis, & ſummi Sacerdotis (Act. IV. VI. & VII.). Fundari itaque Eccleſia incipit Ieroſolymis, non obſtante pertinacia multo maioris partis totius nationis. Novi IESU Chriſti diſcipuli toti orbi exempla caritatis, fortitudinis, & manſuetudinis præbent, qualia ad id tempus nusquam in ulla congregatione hominum viſa fuerant. Interim exoritur perſecutionis furor, ſed una fidelium numerus & fervor creſcit, & prædictionis Chriſti executio acceleratur. Apoſtolis cum diſcipulis diſcedere Ieroſolyma coacti, per omnia loca, quæ pertranſeunt, annuntiant Evangelium; dum interim Iudæi obſtinati menſuram peccatorum implentes mala ſua ultima & interitum præcipitant. Philippus Diaconus venit Samariam (Act. VIII.); plurimi cives eius prædicatione converſi, & baptizati, a ſupervenientibus Apoſtolis Petro & Ioanne confirmantur in fide per prodigia. Ipſe Simon, Magus ille famoſus, baptiſmum petit. Iactis ita primis fundamentis Eccleſiæ in medio Iudææ & Samariæ, Chriſtus ipſe (Act. IX.) novum ſibi Apoſtolum gentium deligit ex ipſo numero obſtinatiſſimorum Iudæorum, Paulum videlicet, quem miraculo inaudito ex perſecutore acerrimo quaſi momento format non defenſorem modo, ſed ferventiſſimum fidei ſuæ prædicatorem. Revelat ipſi ſecretum illud profundæ ſuæ ſapientiæ de vocatione gentium & reprobatione ingratorum Iudæorum. S. Paulus manus tendit gentilibus paganis, & coram tribunali ipſius Feſti Prætoris Romani & Agrippæ Regis Iudææ in præſentia Iudæorum, de hoc ipſo tanquam de crimine eum accuſantium, incredibili animi magnitudine tractat has ipſas quæſtiones, *ſi paſſibilis Chriſtus, ſi primus ex reſurrectione mortuorum lumen annuntiaturus eſt populo & gentibus?* Act. XXVI. Probat id ipſum

ex Moiſe & Prophetis, vocans idololatras ad notitiam DEI in nomine IESU Chriſti a mortuis reſuſcitati. Pagani prædicatione Pauli magno numero convertuntur; Iudæi hoc facto aguntur in furias, eumque proditione Romanis tradunt occidendum. S. Petrus eodem fere tempore, quo vocatur Paulus ad opus Evangelii, viſione cœleſti monitus Cornelio Romano centurioni, ac poſt hunc aliis quoque paganis, fidem & ſalutis ſpem annuntiat. Act. X. Demum tempore finito, quod vincendæ obſtinationi Iudaicæ dandum erat, Apoſtoli dividuntur in omnes gentes prædicandi cauſſa Evangelii. Progreſſus illorum rapidi torrentis inſtar procurrunt. S. Petrus in prima ſua Epiſtola nominat Pontum, Galatiam, Cappadociam, Aſiam, Bithyniam, in quibus omnibus provinciis ipſe prædicarit (I. Petri I.). S. Paulus in Ep. ad Rom. XV. 19. teſtatur, *ſe ab Ieruſalem per circuitum, uſque ad Illyricum repleviſſe.* Complectebatur autem tunc temporis Illyricum Palæſtinam, Aſiam minorem, Syriam, Thraciam, Macedoniam, Græciam &c. Neque dubitat idem Apoſtolus iam id temporis curſibus Apoſtolorum & diſcipulorum IESU Chriſti in eadem Epiſtola attribuere illa Pſalmi X. 18. verba: *in omnem terram exivit ſonus eorum, & in fines orbis terræ verba eorum.* Idem de fructu quoque prædicationis Apoſtolorum teſtificans ad Coloſſenſes I. v. 6. ita ſcribit: Evangelium *pervenit ad vos, ſicut & in univerſo mundo eſt, & fructificat, & creſcit, ſicut in vobis ex ea die, qua audiſtis, & cognoviſtis gratiam DEI in veritate.* S. Ioannes Apoſtolus Epiſtolam ſuam primam direxit ad Parthos; ex quo patet iam tum in Perſia fuiſſe Chriſtianos. Bardeſanes Syrus, Edeſſæ in Meſopotamia natus, ſub finem ſeculi ſecundi teſtatur, chriſtianos iam tum Parthorum, Medorum,

& Perſarum nationes penetraſſe. De S. Thoma Apoſtolo traditio conſtans docet, quod Evangelium uſque in Indiam; de ceteris vero Apoſtolis item, quod in remotiſſimas terras pertulerint. Vide S. Gregor. Naz. Orat. 25. Trigautius noſter in lib. I. de Chriſt. expeditione in Sinas cap. 11. ex codicibus chaldæis in Malabaria extantibus probat, S. Thomam Sinis & Malabaribus fidem Chriſti prædicaſſe. Idem oſtendunt Camporius & Martinius, qui res Sinicas ſcripſere. S. Petrus, Romæ cum S. Paulo a Nerone occiſus, ſedem primam religionis IESU Chriſti ibidem, velut in ſede imperii totius terrarum orbis, conſtabilit. De Chriſtiana religione intra annos 40. a Chriſti mortem iam per totum orbem diffuſa etiam Suetonius in vita Neronis, & Tacitus l. 5. hiſt. teſtantur. Sub diſcipulis Apoſtolorum vix regio ſupererat tam remota & incognita, ad quam Evangelium non penetrarit. Centum annis a morte IESU Chriſti S. Iuſtinus (Apolog. 2. & adverſus Tryph.) iam inter fideles numerabat plures de ferociſſimis nationibus, & de populis vagabundis, qui plauſtris cum familia ſua vecti errabant per diverſa loca, nulla certa ſtatione commorantes. Non vana exaggeratione, ſed conſtanti aſſervatione iſtud, ceu rem exploratam omnibus, coram ipſis Cæſaribus, ad quos Apologia dirigebatur, & palam orbe univerſo S. Iuſtinus affirmabat. S. Irenæus, paulo poſt ſecutus, iam in catalogo Eccleſiarum enumerat (l. I. adv. hæreſ. c. 3.) Germaniam, Hiſpaniam, Galliam, Ægyptum, Lybiam, eodem fidei lumine illuſtratas, & pari quidem concordia, atque uno ſolis lumine totus mundus illuſtris eſt. Tertullianus, qui proxime Irenæum, & Origenes, qui propius adhuc Tertullianum conſequitur, novos continuo Evangelii progreſſus ſuperioribus adiungunt,

gunt, nimirum in Getulia, Mauritania pæne integra, Inſulis Britannicis, Sarmatia, Dacia, Scythia, Indiis. Vide Tertull. l. I. contra Iudæos cap. 7. & Apolog. cap. 37. Origen. Tract. 28. in Matth. homil. 4. in Ezech. l. 1. contra Celſum. Quos iſti enumerare omiſerant, Arnobius paulo poſt ipſos degens ſuccenturiavit lib. 2. Tempore demum SS. Athanaſii (Ep. Synod.) Theodoreti (ſerm. 8. adv. Græc.) Chriſoſtomi (hom. 6. in I. Cor. & in Pentec. orat. *Chriſtum eſſe DEUM*) nulla iam ullius regionis exceptio fit, ſed omnes pro explorato habent, Chriſti Eccleſiam in omnes terras a ſole colluſtratas dilatatam eſſe. Neque tamen id temporis propagatio Evangelii iam finita erat. Seculo quinto quoque ingens multitudo barbararum nationum, quæ ad Romanum imperium evertendum venerat, iugum Evangelio ipſa ſubmiſit. Septimo ſeculo Angli reſidui, decimo Poloni, Ruſſi, Moſcovitæ, Boruſſi, Bohemi, & Hungari Chriſto victas dedere manus. Sed inde ab Apoſtolorum ætate nunquam celerior curſus Evangelii in omnes fines terræ fuit quam ſeculo decimo ſexto & decimo ſeptimo. Siquidem priore illo labente Chriſtiana religio introducta eſt *in Aſia* quidem in omnes Indias orientales, & adiacentes inſulas, in Sinas, in Iaponiam, in Mogoriam, in Malabariam, in regnum Madurenſe, in Inſulas Philippinas, & Molucas; *in Africa* vero in regnum Congi & Angolæ, Monomotapam, ad Cafres, in Mozambicum, Melindam, Socotaram, in Inſulas Azores, Canarias, & Heſperides; demum *in America* in Peruvium, Mexicum, Chile, Braſiliam, Floridam, Baraquariam, Tucumanniam. Seculo decimo ſeptimo præterea religio eadem propagata eſt in Cochinchinam & Tunchinum, in inſulas Marianas, Madagaſcarem, Canadam, & Californiam; ac

ac demum præſente ſeculo decimo octavo in Tartariam Crimæam. Vide de his apparatum Erudit. P. Ioſ. Biner P. XII.

Iam vero ſiſtamus paulliſper in meditando hoc *ADMIRABILI OPERE PROPAGATIONIS TAM RAPIDÆ RELIGIONIS CHRISTIANÆ*, cuius eventum IESUS Chriſtus tam accurate & abſolute prædixit, atque examinemus; an aut humana providentia illud prænoſcere, an virtus hominum exequi ulla potuerit? An vero & ſcientiam plane divinam illius prævifio, & iuxta divinam potentiam eiusdem executio exegerit? Quatuor circa religionem generales ſectæ reipſa mundum dividunt univerſum, Theiſmus, Paganiſmus ſeu Polytheiſmus, Atheiſmus, & Mahometiſmus. *Theiſmus* ſola ratione nititur naturali, nihil ultra admittit. *Polytheiſmus* contra omne rationis ſanæ naturalis dictamen inſanit; at inſaniam ſuam effuſa libidinis libertate commendat, cui ipſa fabuloſorum Numinum ſcelera faciunt auctoritatem. *Atheiſmus* DEI omnem negat exiſtentiam, eoque ſtultitiæ deducit ipſa nimia arrogantia & vana ſubtilitate corruptæ rationis. *Mahometiſmi* fabulis ſtolidiſſimis, quas Theiſmo ſuperaddit, fidem in magna orbis parte fecit armorum violentia, ignorantia & imbecillitate populorum orientalium abutens, & fidem una cum libertate extorquens. Adverte, quæſo, ut nihil ſimilitudinis cum his omnibus intercedat *religioni Chriſtianæ*, ſed ut ortum progreſſusque ſuos mediis prorſus e diametro contrariis illa debeat. Non illa ſe per orbem diffudit 1mo. ut *Theiſmus*, accommodando dogmata ſua ad curtum naturalis rationis captum, ſed prorſus ex adverſo elevando intellectus naturalis aciem ſupra humanas vires per fidem Myſterio-

ſteriorum prorſus incomprehenſibilium. *OBSCURITAS FIDEI TRIUMPHAVIT DE SUBTILI PERSPICACIA HUMANÆ RATIONIS.* Quid enim obſcurius, quam fides de DEO uno & Trino, de DEO omnibus carnis humanæ infirmitatibus onuſto, de DEO patibulariæ mortis doloribus & ignominiis pro peccatis & ſalute hominum ſubiecto, & mortuo in cruce? Et ecce! *poſt crucem orbis ad fidem acceſſit;* ait S. Chryſoſt. in orat. *quod Chriſtus ſit DEUS.* 2do. *CHRISTIANA RELIGIO* non blandiendo vitiis & pravis humanæ mentis affectionibus, ut *Polytheiſmus*, ſed recta eis obſiſtendo, oppugnando easdem ſeveriſſimis morum præceptis, & omni vigore ſupprimendo, *DE LIBIDINE HOMINUM TRIUMPHAVIT.* IESUS Chriſtus verus DEUS omnes quidem humanæ naturæ infirmitates, at non item vitia hominum & pravos mores inſtar Numinum gentilium, in ſe ipſo nobis exhibuit, ſed in ſimili natura crucifigere illa vitia omnia & triumphare, omnesque virtutes illis ſufficere, ſuo nos exemplo docuit. Quis illo dignior, qui omnia ſceleratorum Numinum everteret idola? 3tio. *CHRISTIANA RELIGIO* non vanis ſubtilitatibus & profundis ratiociniis more *Atheiſmi* pugnavit, ſed *PER HOMINES RUDES, IMPERITOS, IGNOBILES, PAUPERES,* ut erant Apoſtoli duodecim, *TOTI PÆNE MUNDO MYSTERIA IMPERCEPTIBILIA ET DOGMATA SEVERISSIMA PERSUASIT,* nec credulæ tantum plebi, ſed ſuperbis Græciæ Philoſophis, profundis Romæ Oratoribus & Politicis, & orbis domitoribus univerſi. Socrates, ſui ævi in Græcia miraculum, falſis obloqui Numinibus vix ſuſtinet, & morte temeritatem luens, nullum ex tot diſcipulis ſui imitatorem numerat, qui vitæ periculum

riculum idem amore veritatis & exemplo ipſius ſubire velit. S. Petrus ex adverſo, Iudæus, alienigena, ſubditus Romanorum, Romam venit, nulla ſapientiæ fama ſe commendans, inops rerum & amicorum, & idola cum templis ſuis omnia ſubverſum venire ſe profitetur, erectumque in urbe orbis domina novæ religionis ſedem, thronumque crucis. Et ecce! conſilio tam exotico integer brevi reſpondet ſucceſſus; crux in coronis Imperatorum fulgere, idola calcari vulgi pedibus incipiunt. 4to. *CHRISTIANA RELIGIO NON ARMORUM VIOLENTIA, uti Mahometis ſuperſtitio, SED PATIENTIA ET FORTITUDINE INVICTA INNUMERABILIUM MARTYRUM DE FURORE ET OMNI POTESTATE OMNIUM MUNDI TYRANNORUM TRIUMPHAT.* Etſi enim poſt fidem Chriſti iam ubique ſtabilitam optimi quique Imperatores & Reges Chriſtiani ut Conſtantini, Theodoſii, Marciani, Caroli Magni, Ferdinandi, Ludovici Magni, aliique complures, armorum etiam poteſtatem ſectariis, religionem iam ſtabilitam turbantibus, oppoſuerint: tamen primis temporibus ſtabiliendæ primum fidei chriſtianæ nullus Apoſtolorum IESU Chriſti, ubi ubi gentium prædicaret, nec armorum vim, nec eloquentiæ pompam, adhibuit ad eam hominibus perſuadendam, bene vero invictam inter tormenta atrociſſima & lentas mortes patientiam; quas totis tribus primis ſeculis Nerones, Domitiani, Traiani, Decii, Diocletiani, Maximiani, Sapores, aliique aliarum gentium tyranni, ultima barbarie aliquot innoxiorum Chriſtianorum millionibus intulere; quin iſti unquam aut a debita ipſis obedientia & reverentia, aut a ſtudio, quo ferri ſubditos in Principem ſuum decet, vel minimum remitterent. Totis tribus ſeculis, quibus

quibus Eccleſia chriſtiana toleravit mala extrema omnia, quæ perſecutorum rabies & ingenium poterat invenire, tot inter ſeditiones & bella civilia illius temporis, tot inter conſpirationes adverſus Imperatorum vitam initas, nullum, ſeu bonum, ſeu malum Chriſtianum invenire erat, qui ſceleris iſtiusmodi particeps fuiſſet. Adeo (quæ inſignis Ill. Boſſueti animadverſio eſt) adeo profundam erga omnes Magiſtratus publicos venerationem ſuis chriſtianæ religionis doctrina inſpirat; tamque profunde Chriſtianorum mentibus illa DEI Filii Magiſtri ſui regula impreſſa eſt: *date Cæſari, quæ ſunt Cæſaris, & quæ ſunt DEI DEO.* Matth. 22. 21. Et vero legi ſane merentur ambo illa capita integra, nempe 25. & 26. in Diſcurſu Boſſueti ſuper hiſtoria univerſali; in quibus præſens argumentum conſueta ſibi nobilitate ingenii pertractat. Interim penes ſanam omnem rationem iudicium eſto, utrum res tales ac tantas proſpicere humana quædam prudentia in Chriſto potuerit, aut, futuras reipſa eſſe, palam prædicere.

* Ecce itaque opus converſionis totius mundi, quod nec Philoſophi ſua ſapientia, nec Iudæorum Prophetæ ſua ſanctitate, effectum dare potuerunt, a duodecim piſcatoribus, IESU Chriſti Apoſtolis, mirifice abſolutum! Sed æquum eſt, nos tam profundi ſecreti & ſublimis conſilii divinæ Sapientiæ rationes verasque cauſſas attentius cum citato Ill. Boſſueto meditari; quas gentium Apoſtolus S. Paulus in I. Cor. 1. v. 17. ſeqq. nobis revelat. *Non miſit me Chriſtus baptizare,* inquit, *ſed Evangelizare, non in ſapientia verbi, ut non evacuetur crux Chriſti. Verbum enim crucis pereuntibus quidem ſtultitia eſt; iis autem, qui ſalvi fiunt, id eſt, nobis, DEI virtus eſt. Scriptum eſt enim* (Iſai. XXIX. 14. & XXXIII. 18.): *perdam ſapientiam ſapientium, & prudentiam prudentium reprobabo. Ubi ſapiens? ubi ſcriba?*

ſcriba? ubi conquiſitor huius ſeculi? Nonne ſtultam fecit DEUS ſapientiam huius mundi? Haud dubie, quia non poterat homines a ſua ignorantia eximere. Sed vide, quam iſtius rationem S. Paulus edat! *Nam quia in DEI ſapientia,* inquit, *non cognovit mundus per ſapientiam DEUM;* id eſt, per creaturas tanto ordine & artificio productas; aliam DEUS inivit viam; *placuit DEO per ſtultitiam prædicationis ſalvos facere credentes*, hoc eſt, per Myſterium crucis, cuius nullam partem ſola humana capere ſapientia & ingenii acies par eſt. Novum ſane & admirabile conſilium divinæ providentiæ, & neceſſitati noſtræ (qua DEI revelatione nos abſolute egere toto ſecundo Capite demonſtratum eſt) apprime commenſuratum! Introduxit DEUS primo hominem in mundum, in quo ex ſolo aſpectu creaturarum ope ſanæ rationis ex tam magnifico opere cognoſcere Maieſtatem artificis potuiſſet. Homo interea illum non modo non agnovit, ſed a creaturis, quæ elevare ipſum ad DEUM debuiſſent, teneri ſe captivum paſſus eſt, ita, ut non DEI tantum, ſed vel ſuarum ipſius manuum opera adoraret, omniſque oblitus rationis ex fabulis multo abſurdiſſimis vereque puerilibus ſibi religionis argumentum faceret. Satis ergo infeliciter homini ratiotionis uſus huc uſque ceſſerat in quærenda ipſa ſalute ſua. Alia ergo via priori e diametro adverſa ducere illum DEUS ſtatuit, proponens ipſi crucis Myſterium, in quo omnis humana ratio deſtituere ſe ipſam, nec niſi ſtultitiam invenire ſolet. Neque enim humano ratiocinio hoc Myſterium intelligimus, ſed *in captivitatem redigentes omnem intellectum in obſequium Chriſti, & deſtruentes omnem altitudinem, extollentem ſe adverſus ſcientiam DEI* (II. Cor. X. 5.) illud diſcimus. Quam ſapiens, quam congruum morbo noſtro remedium! Ratio humana, ſub iugo ſenſuum captiva, officium minime faciebat ſuum; phreneſi quadam ac delirii vertigine paſſim homines agebantur, quo morbo laborantes male ſubtilibus quis argumentis curet. In idolo-

idololatriæ certe delirio curando num quidquam demum antiqui omnes Philoſophi magnificis diſcurſibus, ſtilo ſublimi, & acutis ratiociniis profecere? An magnus ille Plato omni eloquentiæ ſuæ vi, quæ prope divina habebatur, vel unum evertere altare, vel unum deiicere idolum potuit? Imo ille iuxta atque illius diſcipuli, & omnes ſapientes mundi, ſacrificarunt mendacio, & *evanuerunt in cogitationibus ſuis, & obſcuratum eſt inſipiens cor eorum: dicentes enim, ſe eſſe ſapientes, ſtulti facti ſunt* (Rom. I. 21.); quia omnes contra propriam conſcientiam idola & creaturas coluere. Nunquid ergo recte Apoſtolus exclamat: *ubi ſapientes? ubi doctores?* &c. &c. Nunquid Philoſophorum aliquis caput periculo exponere pro Idololatria evertenda operæ pretium duxit? Nonne potius ipſe Plato, nunquam religionis cultum, in quo quis natus ſit, mutandum eſſe, inter medios idololatras edixit lib. 5. de rep.? Quorſum ergo, inanis Philoſophia, ſerviiſti? *Nonne* vere *ſtultam fecit DEUS ſapientiam* tuam, & inutilitatem tuam palam oſtendit? Contra dum crucis Myſterio ſubiicere humanæ rationis arrogantiam edocuit, ſimul eodem ipſo medicamine morbi radicem ſuſtulit. Profecto enim poſt tumorem mentis & arrogantiam, omnium errorum præcipua cauſſa non alia, quam ingens illa humanæ mentis ad obiecta ſenſuum adhæſio extiterat. Inde factum, ut DEOS ſibi humanos ipſi homines fingerent, iisdem ſecum vitiis & affectionibus ſubiectos, ita quidem, ut reipſa non niſi propria vitia, proprias ſenſuum illecebras, & phantaſiæ ſomnia, omnes idololatræ adorarent. IESUS Chriſtus itaque primum omnium renunciare nobis ipſis, & crucifigere omnes ſenſus docuit, ut ſic purgata omni corruptione veteri, puris mentibus cognoſcere & adorare verum DEUM capaces primum efficeremur, tum vero etiam omnes virtutes in DEO homine, ceu vivo exemplo, nobis propoſitas, imitandi ipſum deſiderio & amore vel ipſa inter ultima tormenta diſceremus conſtanter exercere.

Solus

Solus itaque IESUS Chriſtus par iuxta atque dignus erat, qui idola omnia deiiceret, eaque victoria crucis ipſius Myſterio reſervabatur; quod vanis mundi ſapientibus ſtultitia videtur. Nam, ut proſequitur Apoſtolus I. Cor. I. 22. *& Iudæi ſigna quærunt,* quibus nempe DEUS totam naturam, ut olim in eorum exitu de Ægypto, commovens, illos cunctis ſuis ſuperiores inimicis faciat; *& Græci ſapientiam quærunt,* ſeu diſcurſus ordine compoſitos, quales Platoni ipſorum atque Socrati erant familiares. *Nos autem prædicamus Chriſtum crucifixum, Iudæis quidem ſcandalum,* non miraculum, *gentibus autem ſtultitiam,* non ſapientiam; *ipſis autem vocatis Iudæis atque Græcis Chriſtum DEI virtutem & DEI ſapientiam, quia, quod ſtultum eſt DEI, ſapientius eſt hominibus, & quod infirmum eſt DEI, fortius eſt hominibus.* Verum ſi ſapientia iſta noſtris oculis impervia eſt, ſatis illa ſe effectis ſuis prodit. Virtus enim exit de cruce, & ecce idola omnia iacent humi! etſi ab omni Romanorum potentia ſuſtententur. Qui ſunt vero, quorum opera prodigia hæc tanta manus DEI eſt operata? *Videte fratres mei,* pergit Apoſtolus, eximium finiens diſcurſum ſuum v. 26. *videte vocationem veſtram,* conſiderate, quos & quales vocaverint inter vos ad tam grande opus. *Quia non multi ſapientes ſecundum carnem, non multi potentes, non multi nobiles: ſed quæ ſtulta ſunt mundi, elegit DEUS, ut confundat ſapientes; & infirma mundi elegit DEUS, ut confundat fortia; & ignobilia mundi & contemptibilia elegit DEUS, & ea, quæ non ſunt, ut ea, quæ ſunt, deſtrueret: ut non glorietur omnis caro in conſpectu eius.* Sicut mundum ex nihilo condiderat, ſic ex nihili hominibus, quales ſecundum hominum vanorum iudicium erant Apoſtoli, creare Eccleſiam ſuam, ceu novum meliorem mundum voluit. Ecce tibi animadverſionem profundo Boſſueti iudicio dignam; ex cuius diſcurſu ſupra citato cap. 25. quoad ſubſtantiam a me excerpta eſt.

§. 217.

III. *Tertia ex præcipuis Prophetiis* eſt, quam Chriſtus Dominus de futuro genere paſſionis & mortis ſuæ edidit, & qua ſimul tertia die reſurrecturum ſe a mortuis prædixit. S. Matthæus cap. XX. 17. ſic habet: *& aſcendens IESUS Ieroſolymam, aſſumpſit duodecim diſcipulos ſecreto, & ait: ecce! aſcendimus Ieroſolymam, & filius hominis tradetur principibus Sacerdotum, & ſcribis, & condemnabunt eum morte, & tradent eum gentibus ad illudendum, & flagellandum, & crucifigendum; & tertia die reſurget.* S. Marcus X. v. 32. refert his verbis: *IESUS aſſumens iterum duodecim, cœpit illis dicere, quæ eſſent eventura. Quia ecce aſcendimus Ieroſolymam, & filius hominis tradetur principibus Sacerdotum, & Scribis, & Senioribus, & damnabunt eum morte, & tradent eum gentibus: & illudent ei, & conſpuent eum, & flagellabunt eum, & interficient eum; & tertia die reſurget.* Eadem fere habet S. Lucas XVIII. 31. Prædicit ergo Chriſtus accurate, 1mo. tradendum ſe (ſcilicet a Iuda diſcipulo ſuo) principibus Sacerdotum, Scribis, & Senioribus; 2do. ab his morte condemnandum; 3tio. tradendum gentibus, id eſt, Romanis, 4to. ab iſtis illudendum, 5to. conſpuendum, 6to. flagellandum, 7mo. crucifigendum; 8vo. & denique tertia die reſurrecturum ſe a mortuis. Inculcat vero præcipue pluribus aliis vicibus & locis hanc de reſurrectione ſua prædictionem diſcipulis ſuis, uti Matth. XVI. 21. & rurſum XVII. 9. & eodem cap. v. 22. item XXVI. 32. &c. &c. Tam publica & notoria erat hæc Chriſti de ſua reſurrectione prophetia, ut vel ipſis principibus Sacerdotum & Phariſæis de ea optime conſtaret. Unde & Matth. XXVII. 62. altera a morte ipſius die Pilatum convenerint, dicentes: *Domine! recordati ſumus, quia ſeductor ille dixit adhuc*

huc vivens: poſt tres dies reſurgam. Iube ergo cuſtodiri ſepulcrum uſque in diem tertium; ne forte veniant diſcipuli eius, & furentur eum, & dicant plebi: ſurrexit a mortuis. Prædicit itaque Chriſtus in iſthac prophetia actiones liberas multas tum hominum, tum DEI: neque enim reſurrectio a mortuis niſi auctore DEO evenire poterat. Prædicit ſingillatim acerba tormenta, & adiuncta mortis ſuæ; antequam die Palmarum in triumpho palam ingrederetur in Ieruſalem; cumque adhuc ſummo favore ac ſtudio totius plebis, imo & Herodis regis, uteretur, nec uſquam Pilatum Prætorem Romanum haberet infenſum. Eventum reſpondiſſe ex integro, notius eſt, quam ut commemorato opus videatur. Adde diſcipulorum omnium fugam & trinum Petri lapſum, quæ itidem Chriſtus diſtincte prædixit eo tempore, cum addictiſſimos ſibi diſcipulos haberet &c. &c.

* Supereſt, ut in gratiam pertinacium Iudæorum etiam Prophetias illas iſthic congeramus, quæ, etſi ſummo robore contra omnes incredulos pugnent, tamen ſingulari evidentia Iudæos convincere ſolent, qui divinitatem veterum Scripturarum ipſi certiſſimam habent. Nec vero alios niſi proprii eorum Canonis libros iſthic allegabo.

§. III. *Exhibentur Prophetiæ, Iudæorum pertinaciam, & utriusque revelationis divinæ, Iudæis, & Chriſtianis, factæ nexum apertiſſime demonſtrantes ex characteribus ſingularibus, quibus Meſſiam venturum deſignant.*

§. 218.

MESSIÆ CHARACTER I. *Meſſias venturus erat ex ſemine Abrahami & Davidis.* Nam Gen. XII. 2.

 DEUS

DEUS *ABRAHAMO* dicit: *faciam te in gentem magnam, benedicam tibi, - - atque in te benedicentur univerſæ cognationes terræ.* Et Gen. XVIII. 18. *benedicendæ ſunt in illo* (Abrahamo) *omnes nationes terræ.* Et clarius adhuc Gen. XXII. 18. *benedicentur IN SEMINE TUO omnes gentes terræ.*

Davidi II. Reg. VII. 16. promittit DEUS: *fidelis erit domus tua, & regnum tuum uſque in æternum ante faciem tuam, & thronus tuus erit firmus iugiter.* Porro ipſe David Pſal. II. 6. Chriſtum Domini & Meſſiam loquentem introducit: *ego autem conſtitutus ſum rex ſuper Sion montem ſanctum eius.* Unde Meſſias ſucceſſor in throno Davidis, atque adeo de eius domo futurus declaratur. Sed clarius Iſaias IX. 6. de Meſſia loquitur: *parvulus natus eſt nobis, & filius datus eſt nobis, & factus eſt principatus ſuper humerum eius. - - Multiplicabitur eius imperium: - - ſuper ſolium David & ſuper regnum eius ſedebit, ut confirmet illud, & corroboret amodo uſque in ſempiternum.* Et cap. XI. 1. *egredietur virga de radice Ieſſe, & flos de radice eius aſcendet; & requieſcet ſuper eum ſpiritus Domini. - - In die illa radix Ieſſe: qui ſtat in ſignum populorum; ipſum gentes deprecabuntur.* Inde nata apud Iudæos illa inolita opinio de regno temporali Davidis a Meſſia reſtituendo, quæ ita erat pervagata, ut Chriſto Matth. XXII. 42. Phariſæos interroganti, *quid vobis videtur de Chriſto? cuius filius eſt?* mox reſponderint: *Davidis* filium futurum. Sed clariſſime Jeremias id ipſum docet cap. XXXIII. de tempore Meſſiæ loquens. v. 14. *Ecce dies veniunt, dicit Dominus, & ſuſcitabo verbum bonum, quod locutus ſum ad domum Iſraël & domum Iuda. In diebus illis germinare faciam David germen iuſtitiæ, & faciet iudicium & iuſtitiam in terra. Hoc eſt nomen, quod vocabunt*

eum,

Digitized by Google

eum, Dominus iuſtus noſter. Quia hoc dicit Dominus: non interibit de David vir, qui ſedeat ſuper thronum domus Iſraël. Ecce ut Meſſias Davidis germen futurus, & ſemper in eius throno regnaturus prædicitur, non utique regno temporali, quod iam interiit, ſed ſpirituali, quod interire non poteſt. Similia habentur Ezech. XXXIV. 22. ubi Meſſias etiam ipſo *Davidis* nomine compellatur.

Iam vero ſi utramque Genealogiam IESU Chriſti apud Matth. I. 1. & apud Lucam III. 23. legas, videbis illum fuiſſe filium David, & filium Abrahæ, tam genere paterno, ſcilicet patris putatitii Ioſeph; cuius Genealogiam deſcribit Matthæus; quam materno genere Mariæ Virginis; cuius genealogiam deſcribit Lucas. Quod enim Ioſeph nunc dicatur a Matthæo filius Iacob, nunc a Luca filius Heli, mirum videri Iudæo non poteſt. Subſtituitur nempe vir uxori, & hoc nomine & ipſe filius patris, qui uxorem eius genuit, vocatur: eo quod apud Iudæos haud moris erat, feminas in Genealogiis commemorare. Ex ſimili ratione Salathiel & Zorobabel in utraque Genealogia IESU Chriſti, paterna ſcilicet & materna, occurrunt. Nempe Neri, qui in Genealogia materna apud Lucam dicitur pater Salathielis, non alio ſenſu dicitur, quam quod filiam unicam, quam habebat Salathieli deſponſarit. Salathiel porro genuit ex ea Neri filia Zorobabelem; cuius familia deinceps rurſus in duas lineas per duos filios, unum Abiud, & alterum Reza, propagatur; donec & iſtæ iterum in Ioſepho & Maria coniungantur: quorum filius IESUS Chriſtus totius familiæ Davidicæ iura in ſe, ceu hæres unicus, complectitur. Unde vel hoc uno indicio noſſe illum ut verum Meſſiam Iudæi, ſi modo voluiſſent, profecto certiſſi-

me poterant. Ab eo porro tempore vel ipſorum confeſſione Iudæorum finiit inter ipſos illa diſtinctio tribuum & familiarum, quæ conſervando Sacerdotio & Meſſiæ dignoſcendo erat neceſſaria, & tam religioſe fuerat obſervata. Fruſtra ergo Iudæi Meſſiam alium expectant ex familia David & ex tribu Iuda oriturum; cum ne tribus iſta aut familia iam porro aut ſuperſit, aut dignoſcatur.

§. 219.

Character II. *Meſſias futurus erat Propheta legiſlator, inſtar Moiſis, mutans legem Moiſis in aliam novam, perfectiorem, non ſolis Iudæis, ſed omnibus gentibus communem, & perpetuo duraturam.*

Pepigit DEUS ad montem Sinai in Horeb fœdus *novum* populo Iſraël *ſingillatim*, Moiſe mediatore, & legem publice promulgavit, *ſoli huic populo propriam.* Exod. XXIV. Deut. V. 3. XIV. 2. XXVIII. Lex hæc erat *timoris* (Deut. V. 29. item VI. 2.) *plena ceremoniarum* externarum, reſtricta *ad unicam Palæſtinæ regionem*, imo ad urbem unicam Ieruſalem, ad quam ter in anno convenire omnes maſculos oportebat (Deut. XVI. 16.), nec alibi ſacrificare uſquam licebat: Sacerdotium ſoli familiæ Aaronis, ſervitium templi ſoli tribui Leviticæ, reſervabatur. Levit, VIII. Numer. I. & III. Iam vero Deut. XVIII. 15. manifeſto DEUS alium adhuc Prophetam, Moiſi ſimilem, hoc eſt, æque, ac ille erat, legislatorem, populo ſuo, & quidem de fratribus, & de gente ſua, promittit, teſtante ipſo Moiſe: *Prophetam de gente tua & de fratribus tuis, SICUT ME, ſuſcitabit tibi Dominus DEUS tuus: ipſum audies, ut petiiſti a Domino tuo in Horeb* (Exod. XX. 21.), *quando concio congregata eſt, atque dixiſti: ultra non audiam vocem Domini DEI mei, &*

ignem

ignem hunc maximum amplius non videbo, ne moriar: id eſt, quando *timoris* extremi impatiens, quem vel ipſa in promulgatione legis illius tibi ſigna illa divinæ præſentiæ incuſſerant, iam tum ad mitiorem legislatorem ſuſpirabas. *Et ait Dominus mihi: bene omnia ſunt locuti. Prophetam ſuſcitabo eis de medio fratrum ſuorum SIMILEM TUI; & ponam verba mea in ore eius, loqueturque ad eos omnia, quæ præcepero illi. Qui autem verba eius, quæ loquetur in nomine meo, audire noluerit, ego ultor exiſtam.* Ecce! Propheta legislator promittitur, ſimilis Moiſi. Quodnam vero erat in Moiſe, in quo a Prophetis ſequentibus cunctis diſcrepabat? Deut. ult. v. 10. id ipſum accurate exprimitur: *Et non ſurrexit ultra propheta in Iſraël ſicut Moiſes, quem noſſet Dominus facie ad faciem, in omnibus ſignis atque portentis, quæ miſit per eum, ut faceret coram univerſo Iſraël.* Legislatio, familiaritas intima cum DEO, & publicorum prodigiorum multitudo, Moiſen diſtinxere ab omnibus ſuæ gentis ſequentibus Prophetis. Nullus legem novam tulit, ac ne literam quidem legi Moiſis quis unquam appoſuit: imo ne Regum quidem aliquis hoc auſus eſt; ſed omnia ad primæ legis apices perpetuo exigebantur. Nullus cum illo aut familiari cum DEO uſu, aut ſignorum, publice coram toto populo, & quidem pro confirmanda lege editorum, multitudine comparari poteſt. Sed ubi demum novus ille legislator, Moiſi ſimilis, & a DEO promiſſus, novam legem vulgare incipiet? Audi Iſaiam clariſſime id dicentem cap. II. v. 3. *de Sion exhibit lex, & verbum Domini de Ieruſalem.* Non hoc utique de Moiſis lege intelliges, Iudæe! quæ octingentis annis ante hanc Iſaiæ prophetiam, nondum extante Solyma, de monte Sinai exivit. Sed vide, ut eodem Iſaiæ loco omnes gentes ad domum Domini DEI Iacob,

 (quæ

(quæ Iudæis templum erat) in novo monte præparatam, circa ipſum illud tempus novæ exeuntis exinde legis admittantur. *Verbum, quod vidit Iſaias ſuper Iuda & Ieruſalem. Et erit in noviſſimis diebus præparatus mons domus Domini in vertice montium* (hoc eſt videlicet, univerſis conſpicuus) *& fluent ad eam omnes gentes. Et ibunt populi multi, & dicent: venite, & aſcendamus ad montem Domini, & ad domum DEI Iacob, & docebit nos vias ſuas, & ambulabimus in ſemitis eius.* Unde, quæſo, gentibus ceteris domus DEI Iacob, antehac ſemper inacceſſa, ſubito ad ingreſſum aperitur? *quia de Sion exibit lex,* ſubdit Propheta, *& iudicabit gentes, & arguet populos.* Similia fere ad verbum habet Michæas IV. 1. Ecce legem Meſſiæ de Ieruſalem exituram, ac gentibus omnibus, nec ſolis iam Iudæis, communem. Repetit Similia pari claritate idem Propheta Iſaias LI. 4. *Attendite ad me, popule meus, & tribus mea, audite me! quia lex a me exiet, & iudicium meum in lucem populorum requieſcet. - - Salus autem mea in ſempiternum erit, & iuſtitia mea in generationes generationum.* Ecce ſimul perennitatem novæ legis! Sed multo adhuc clarius Ieremias XXXI. 31. de hac ipſa nova lege loquitur. *Ecce! dies venient; dicit Dominus: & feriam domui Iſraël & domui Iuda fœdus novum; non ſecundum pactum, quod pepigi cum patribus eorum in die, qua apprehendi manum eorum, ut educerem eos de terra Ægypti. - - Sed hoc erit pactum, quod feriam cum domo Iſraël poſt dies illos, dicit Dominus. Dabo legem meam in viſceribus eorum, & in corde eorum ſcribam.* Ecce reprobationem veteris pacti prædictam, & novæ legis, non iam in tabulis lapideis, ſed in corde per lumen & dictamen gratiæ interioris ſcribendæ, promiſſionem! Et quamdiu duratura eſt nova iſthæc lex? Audi v. 36. pergentem Dominum:

ſi de-

ſi defecerint leges iſtæ coram me, dicit Dominus, tunc & ſemen Iſraël deficiet, ut non ſit gens coram me cunctis diebus. Lex porro antiqua certo defecit; defecit Sacerdotium; defecit templum; defecit iudicium, & Concilium ſeniorum ſeptuaginta. Nec tamen ſemen Iſraël adhuc defecit. Exierit ergo iam lex nova de Ieruſalem neceſſe eſt. Ecce vero apud Malachiam I. 10. clare annuntiatam ipſis Sacerdotibus, quos DEUS v. 6. alloquitur, novi Sacrificii mundioris inſtitutionem, in quo avaritiæ, ut in Iudæorum ſacrificiis, locus non erit, quodque omnibus gentibus mundi commune ſit: *quis eſt in vobis, qui incendat altare meum gratuito?* id eſt, non gratis ſacrificandi munere fungimini, ſed lauta ſtipendia ex tot decimis & victimis, accipitis. Et tamen offertis panem pollutum, & victimas claudas & cæcas, uti habetur v. 7. & 8. - - *Non eſt mihi voluntas in vobis, dicit Dominus exercituum: & munus non ſuſcipiam de manu veſtra. Ab ortu enim ſolis uſque ad occaſum magnum eſt nomen meum in gentibus: & in omni loco ſacrificatur & offertur nomini meo oblatio munda: quia magnum eſt nomen meum in gentibus; dicit Dominus exercituum.* Tum vero cap. II. ſequente ipſis quoque Levitis DEUS exprobrat v. 8. *vos autem receſſiſtis de via, & ſcandalizaſtis plurimos in lege: irritum feciſtis pactum Levi, dicit Dominus exercituum. Propter quod & ego dedi vos contemtibiles, & humiles omnibus populis.* Cæce Iudæe! nunquid reipſa diſperſi inter omnes populos ſunt Levitæ tui & Sacerdotes? Nunquid humiles & contemtibiles ſunt? Lex ergo nova, ſacrificium novum, novi Sacerdotes, qui tamen primo de gente tua & de fratribus tuis exierint, reipſa iam inſtituti ſint oportet. Quinam autem illi alii, niſi IESU Chriſti? cuius Evangelio iam totus pæne orbis ſubditur? Et proh quanto excellentior

eſt

eſt lex ipſius, quam illa Moiſis veſtri? Vide §. 233.

* Solent Iudæi textum Exod. XX. 21. applicare renovationi fœderis cum DEO ſuſceptæ ab Eſdra, Nehemia, & omnibus populi Principibus Eſdræ II. cap. IX. 38. & cap. X. Sed num Eſdras Propheta Moiſi comparandus? An novam legem condidit, quæ de Sion exiret, & gentibus communis fieret, ut ait Iſaias & Ieremias? An erat lex nunquam defectura? Nonne Malachias, poſterior multo Eſdra & Nehemia, id ipſum futurum adhuc affirmat? Vide, ſi lubet, Gabr. Muſſon. Tom. I. p. 340, ut intelligas, quam inania ſint Iudæorum evadendi molimina. Confirmantur hæc auctoritate ipſorum magiſtrorum, quos antiquiſſimos Iudæi habuere. Habet enim Thalmudis liber Avoda, Zara, traditum ab Elia (non Propheta illo, ſed præceptore quodam Iudæorum, qui Chriſto multum antiquior) fuiſſe ſex annorum millibus omnem abſolvendam eſſe mundi ætatem: prima duo millia fore legis expertia; alteris duobus millibus fore, ut lex vigeat; quibus ſucceſſuram Meſſiæ legem, & item duobus annorum millibus duraturam. Conſtat ergo, ex ipſorum veterum Doctorum gentis Iudaicæ ſententia legem Moiſis cum lege alia a Meſſia fuiſſe permutandam. Liber Midraſch Coheleth habet, *legem, quam homo diſcit in hoc ſeculo, vanitatem eſſe præ lege Meſſiæ.*

§. 220.

CHARACTER III. *Meſſias futurus eſt Rex Servator, & auctor ſalutis pro univerſis gentibus, non pro Iudæis tantum.*

Nam 1mo. Gen. XII. 3. item XVIII. 18. item XXII. 17. item XXVI. 4. item XXIII. 14. *omnes gentes terræ benedicendæ in ſemine Abraham* prædicuntur. Itidem Gen. XLIX. 10. Meſſias a Iacobo celebri

lebri prædictione *expectatio gentium* omnium vocatur. 2do. In Pſalmorum locis plurimis idem clariſſime annuntiatur. Pſalmo II. Chriſtus Domini v. 8. accepturus omnes *gentes in hæreditatem*, & *in poſſeſſionem omnes terminos terræ* habiturus, prædicitur. Pſ. XXI. 28. *ad Dominum omnes fines terræ* dicuntur, & *adoraturæ in conſpectu eius univerſæ familiæ gentium; quoniam Domini eſt regnum, & ipſe dominabitur gentium.* In Pſ. LXXI. de Meſſia dicitur ſub figura Salomonis v. 8. *dominabitur a mari uſque ad mare, & a flumine uſque ad terminos orbis terrarum. Coram illo procident Æthiopes, - - & adorabunt eum omnes reges terræ, omnes gentes ſervient ei: &* (v. 17.) *benedicentur in ipſo omnes tribus terræ, omnes gentes magnificabunt eum.* Hæc profecto in Salomonem verum neutiquam quadrant. 3tio. Iſaias II. 1. XLIX. 6. item LI. 4. & LIX. 19. idipſum prædicit. Vide §. præc. 4to. Aggæus II. 7. hæc habet: *Hæc dicit Dominus exercituum: adhuc unum modicum eſt; & ego commovebo cælum & terram, & mare, & aridam. Et movebo omnes gentes: & veniet deſideratus cunctis gentibus.* 5to. Zachariæ II. 8. mira prædictio extat. Dominus a Domino mittitur *ad gentes, quæ ſpoliaverunt* Iudæos, & illæ prædicuntur *prædæ* futuræ eorum, *qui ſervierunt ſibi, & ex hoc cognoſcent* Iudæi, quia Dominus exercituum *miſit* Dominum illum. Tum pergit idem Dominus miſſus a Domino ſic alloqui Ieruſalem v. 10. *Lauda, & lætare filia Sion: quia ecce ego venio, & habitabo in medio tui. Et applicabuntur gentes multæ ad Dominum in die illa, & erunt mihi in populum, & habitabo in medio tui: & ſcies, quia Dominus exercituum miſit me ad te.* Dicite iam, ô Iudæi! quinam illi populi, qui, poſtquam vos illis ſerviiſtis, præda veſtra facti ſunt? Ecce! dicam vobis: ſerviiſtis Romanis; & hi præda ſunt facti Apoſtolorum

Digitized by Google

lorum IESU Chriſti, SS. Petri & Pauli, aliorumque, qui de vobis exierunt, & Romam, orbis dominam, in caſſes DEI Hominis egerunt. Et quis demum alius idololatriam toto pæne orbe proſcripſit: atque genter pœne omnes ad unius veri DEI cultum traduxit, quam diſcipuli & aſſeclæ IESU Chriſti? 6to. Malachiæ locum huc quoque ſervientem §. præc. citavi.

§. 221.

Character IV. *Meſſias tam Iudæos quam ceteras gentes liberatum venturus erat a peccatis ſuis & hoſtibus ſalutis eorum, non temporalis ſed ſpiritualis.*

Primum huius characteris indicium, idque manifeſtum iam occurrit Gen. III. 15.; ubi DEUS ſerpenti comminatus, quæ primos parentes hominum ſeduxerat, *inimicitias ſe poſiturum inter ſerpentem & ſemen mulieris*, prædicit, & ſerpentis *caput conterendum eſſe a ſemine mulieris*, vel ab ipſa muliere matre illud genitura; prout diverſa lectione iſtius loci uti placuerit. Porro ſerpens ille utique non hoſtis temporalis tantum felicitatis erat, ſed vel maxime æternæ totius humani generis, quæ illo Adami & Evæ peccato magnopere afflicta eſt. 2. Iſaias cap. LIII. aperte Meſſiam repræſentat ut vadem conſtitutum pro peccatis hominum, ſatisfacientem DEO pro iſtis, & luentem in ſe ipſo iniquitates illorum, ſicque a reatu homines liberantem. *Ipſe vulneratus eſt propter iniquitates noſtras*, inquit v. 5. *attritus eſt propter ſcelera noſtra. - - omnes nos quaſi oves erravimus, unusquisque in viam ſuam declinavit: & poſuit Dominus in eo iniquitatem omnium noſtrum.* Promittitur ei v. 10. *ſi poſuerit pro peccato animam ſuam, videbit ſemen longævum:* v. 11. *in*

ſcientia

Digitized by Google

ſcientia ſua iuſtificabit ipſe iuſtus ſervus meus multos, & iniquitates eorum ipſe portabit; ac denique v. 12. dicitur: *ipſe peccata multorum tulit, & pro transgreſſoribus rogavit.* 3. Clariſſime vero Danieli Gabriel Archangelus cap. III. v. 24. de Meſſia prædicit: *ſeptuaginta hebdomades abbreviatæ ſunt ſuper populum tuum, & ſuper urbem ſanctam tuam, ut conſummetur prævaricatio, & finem accipiat peccatum, & deleatur iniquitas, & adducatur iuſtitia ſempiterna, & impleatur viſio, & prophetia, & ungatur ſanctus ſanctorum.* Vide vero ut S. Petrus Apoſtolus Act. II. 38. poteſtate a Chriſto Matth. XVI. 19. & XVIII. 18. accepta uſus, Iudæos omnes Ieroſolymis ad pœnitentiam hortatur ex ſpe remiſſionis peccatorum per Baptiſmum Chriſti obtinendæ:

§. 222.

Character V. *Meſſias venturus erat ut homo infirmus, humanis miſeriis, doloribus, cruciatibus, & ignominiis ſubiectus, ut luat peccata noſtra,*

David Pſal. XXI. vidit Meſſiam in medio hoſtium ſuorum, pedes & manus perforatas habentem v. 17. *Quoniam circumdederunt me canes multi; conſilium malignantium obſedit me. Foderunt manus meas & pedes meos, dinumeraverunt omnia oſſa mea.* Vidit nuditatem illius v. 19. *Ipſi vero conſideraverunt & inſpexerunt me: diviſerunt ſibi veſtimenta mea, & ſuper veſtem meam miſerunt ſortem.* Vidit illuſum & deſpectum v. 7. *Ego autem ſum vermis & non homo, opprobrium hominum & abiectio plebis. Omnes videntes me, deriſerunt me, locuti ſunt labiis, & moverunt caput.* Plenum anguſtia & triſtitia, in ſiti felle & aceto potatum Pſal. LXVIII. 21. *Improperium expectavit cor meum & miſeriam. Et ſuſtinui, qui ſimul contriſtaretur, & non fuit, & qui conſolaretur, & non inveni.*

Digitized by Google

inveni. *Et dederunt in eſcam meam fel, & in ſiti mea potaverunt me aceto.* Iſaias LII. 13. eodem tempore illum videt *elevatum, exaltatum, & ſublimem valde,* ſimulque *inglorium inter viros aſpectum illius.* Item LIII. 10. de illo prædicit: *& Dominus voluit conterere eum in infirmitate.* ibid. v. 2. *non eſt ſpecies ei, neque decor: & vidimus eum deſpectum, & noviſſimum virorum, virum dolorum, & ſcientem infirmitatem. - - Vere dolores noſtros ipſe tulit, & languores noſtros ipſe portavit: & nos putavimus eum quaſi leproſum, & percuſſum a DEO, & humiliatum. - - Oblatus eſt, quia ipſe voluit; - - ſicut ovis ad occiſionem ducetur. Abſciſſus eſt de terra viventium: propter ſcelus populi mei percuſſi eum.* Daniel. IX. 26. apertiſſime dicit: *& poſt hebdomades ſeptuaginta duas occidetur Chriſtus.*

§. 223.

Character VI. *Meſſias promiſſus futurus erat DEUS ſimul & homo.* Iſtud ex innumeris Scripturæ veteris textibus manifeſtum omnino eſt. Ac primo quidem David in Pſalmis apertiſſime & frequentiſſime id prædicit. Pſal. II. 7. Meſſiam loquentem introducit: *Dominus dixit ad me: filius meus es tu; ego hodie genui te.* Mox DEUS Pater omnes illi gentes ſubiectas offert, & ſervire iubet in timore. v. 1. 2. 3. & 4. Dominus ridet de culmine cœli reges terræ & principes eorum inania conſilia & conatus, quos decernunt regno DEI & Chriſti eius opponere. Pſal. XLIV. v. 5, 6, 7, & 8. Pſaltes vidit Meſſiam tanquam *DEUM,* quem *DEUS unxiſſet oleo lætitiæ* tanquam futurum *Regem* totius terræ *in ſeculum ſeculi propter veritatem, manſuetudinem, & iuſtitiam* eius. Pſal. LXXI. Meſſiam ſibi repræſentat ceu *regem* in ſolio, *permanſurum cum Sole & ante Lunam in generatione & generationem,*

domina-

dominaturum a mari uſque ad mare, & a flumine uſque ad terminos orbis terrarum; nomen eius benedictum ſore in ſecula, & ante ſolem permanere, benedicendas ſimul in ipſo omnes tribus terræ. v. 5, 8, 17. 18. Pſal. CIX. 1. Propheta regius Meſſiam, etſi filium ſuum fore noſſet, tamen vocat Dominum ſuum pari modo ſicut ipſum DEUM: *dixit Dominus Domino meo.* Videt eundem v. 3. a DEO *in ſplendoribus ſanctorum ante Luciferum a DEO genitum,* v. 4. *ut ſacerdotem in æternum ſecundum ordinem Melchiſedech &c.* Iſaias II. 3. ait: *Dominus iudex noſter, Dominus legifer noſter, - - ipſe ſalvabit nos.* & idem IX. 6. Meſſiam ſic depingit ad vivum: *parvulus natus eſt nobis, & filius datus eſt nobis, & factus eſt principatus ſuper humerum eius: & vocabitur nomen eius admirabilis, conſiliarius DEUS FORTIS, PATER FUTURI SECULI, princeps pacis. Multiplicabitur eius imperium, & pacis non erit finis: ſuper ſolium David ſedebit, ut corroboret illud in iudicio & iuſtitia amodo uſque in ſempiternum.* Idem XI. 1. porro repræſentare illum pergit: *egredietur virga de radice Ieſſe, & flos de radice eius aſcendet: & requieſcet ſuper eum ſpiritus Domini; ſpiritus ſapientiæ & intellectus &c.* Plura in eodem capite magnifica occurrunt, nec mero regi humano congruentia. Sequente capite XII. idem Propheta Evangelicus laudes commemorat, quas Iſraël dicturus ſit pro liberatione & beneficiis Chriſti Salvatoris: *confitebor tibi DOMINE, quoniam iratus es mihi, & converſus eſt furor tuus, & conſolatus es me. Ecce DEUS SALVATOR meus! fiducialiter agam, & non timebo: quia fortitudo mea & laus mea Dominus. Haurietis aquas in gaudio de fontibus Salvatoris: & dicetis in illa die: mementote, quoniam excelſum eſt nomen eius: exulta habitatio Sion; quia magnus in medio tui ſanctus Iſraël.* Idem Iſaias XXXV. 5. clariſſime pronuntiat: *DEUS ipſe ve-*

Digitized by Google

niet, & ſalvabit nos. Sed & Ieremias ſimilia habet XXIII. 6, & XXXVI. 6. Daniel quoque miris coloribus Meſſiam ut hominem ſimul ac DEUM deſcribit primo cap. VII. 13. *aſpiciebam,* inquit, *in viſione noctis, & ecce! cum nubibus cœli quaſi filius hominis veniebat, & uſque ad antiquum dierum pervenit. Et dedit ei poteſtatem, & honorem, & regnum, & omnes populi, tribus, & linguæ ipſi ſervient: POTESTAS EIUS POTESTAS ÆTERNA, quæ non auferetur, & regnum eius, quod non corrumpetur.* Idem cap. IX. 24. Meſſiam vocat *ſanctum ſanctorum. Michæas* denique V. 2. *egreſſum* parvuli Meſſiæ, in Bethlehem naſcituri, prædicit, fore *ab initio, & a diebus æternitatis.* Nonne vero vos, ô Iudæi, hoc ipſo nomine crucifixiſtis IESUM Chriſtum, quod, homo cum eſſet, Filium DEI ſeipſum diceret. Vide Matth. XXVI. 63.

* Non mirum, id genus tam magnifica futuri Meſſiæ prædicata progenuiſſe in mentibus Iudæorum de Meſſia ideam potentiſſimi alicuius regis, mundum omnem arbitrio ſuo ſubditum habituri: ſed quod in iſtis verbis amplius nihil, nihil excelſius, quam terrenum regem ac temporalem adverterint, hoc ſane manifeſtum cæcitatis indicium eſt.

§. 224.

CHARACTER VII. *Notæ individuæ Perſonæ & vitæ Meſſiæ complures in Scripturis extantes.*

Quis non agnoſcat Meſſiam tot peculiaribus & individuis notis per antiquos Prophetas accuratiſſime deſignatum? 1mo. Iſai. VII. 14. prædicitur *EX VIRGINE GIGNENDUS. Ecce! virgo concipiet, & pariet filium, & vocabitur nomen eius Emmanuel,* i. e. nobiscum DEUS. 2do. *LOCUS NATIVITATIS* deſignatur nominatim Mich. V. 2.

Et

Et tu Bethlehem Ephrata parvulus es in millibus Iuda: ex te mihi egredietur, qui ſit dominator in Iſraël, & egreſſus eius ab initio, a diebus æternitatis. 3tio. *ADVENTUS MAGORUM* Pſal. LXXI. 10. *reges Tharſis & Inſulæ munera offerent, reges Arabum & Saba dona adducent.* Et multa clarius Iſai LXI. &c. &c. 4to. *PRÆCURSOR, ET ADVENTUS CHRISTI IN TEMPLUM.* Malach. III. 1. *Ecce! ego mitto angelum meum, & præparabit viam ante faciem meam. Et ſtatim veniet ad templum ſuum Dominator, quem vos quæritis, & angelus teſtamenti, quem vos vultis.* Celeberrima quoque Aggæi prophetia huc ſpectat, cap. XI. v. 7. de templo ſecundo ita prædicentis. *Et veniet deſideratus cunctis gentibus; & implebo domum iſtam gloria; dicit Dominus. - - Magna erit gloria domus iſtius plusquam primæ.* Etſi porro Ioſephus antiq. l. 15. c. 11. ab Herode novum conſtructum templum aſſerat; tamen non diruit is ſecundum penitus, ſed paulatim per partes innovavit, ſtante ſemper Sancto Sanctorum. Certum profecto ab ipſis Iudæis habetur, Herodianum templum idem fuiſſe cum ſecundo, nec iſtud dirutum, niſi a Tito. Revera ergo IESUS Chriſtus templum ſecundum gloria ſupra primum adventu ſuo implevit. 5to. *FUGA IN ÆGYPTUM* Oſeæ XI. 1. *Ex Ægypto vocavi Filium meum:* item Iſai, XIX. 1. *Ecce! Dominus aſcendet ſuper nubem levem, & ingredietur Ægyptum.* 6to. *MIRACULA CHRISTI* Iſai. XXXV. 8. *DEUS ipſe veniet, & ſalvabit nos, tunc aperientur oculi cæcorum, & aures ſurdorum patebunt: tunc ſaliet ſicut cervus claudus, & aperta erit lingua mutorum.* 7mo. *ADIUNCTA PASSIONIS ET MORTIS*, nempe *VENDITIO PRO* 30. *ARGENTEIS* Zach. XI. 12. *Appenderunt mercedem meam triginta argenteos, - - pretium, quo appretiatus ſum ab eis. Et tuli triginta*

argenteos, & proieci illos in domum Domini. Ecce factum Iudæ! *Ingreſſus Ieroſolymam ſuper aſinæ pullo* Zach. IX. 9. *Exulta, filia Ieruſalem! ecce! rex tuus veniet tibi iuſtus & Salvator; ipſe pauper, & aſcendens ſuper aſinam, & ſuper pullum filium aſinæ. COLAPHI SPUTA, ET ILLUSIO* Iſai. L. 6. *corpus meum dedi percutientibus, & genas meas vellentibus; faciem meam non averti ab increpantibus & conſpuentibus in me. LIVOR PLAGARUM, CORPUS FLAGELLIS LACERATUM* Iſai. LIII. *non eſt ſpecies ei, neque decor; vidimus eum virum dolorum, & putavimus quaſi leproſum, & percuſſum a DEO - - - livore eius ſanati ſumus. SILENTIUM CHRISTI ET MANSUETUDO IN PATIENDO* ibid. v. 7. *oblatus eſt, quia ipſe voluit, & non aperuit os ſuum: ſicut ovis ad occiſionem ducetur, & quaſi agnus coram tondente ſe obmuteſcet. SOCIETAS LATRONUM* ibid. v. 12. *cum ſceleratis reputatus eſt. ORATIO PRO INIMICIS* ibid. *pro transgreſſoribus rogavit. PLAGÆ MANUUM* Zach. XIII. 6. *Quid ſunt plagæ iſtæ in medio manuum tuarum? Et dicet: his plagatus ſum in domo eorum, qui diligebant me. FEL ET ACETUM SITIENTI OBLATUM* Pſal. LXVIII. 22. *Dederunt in eſcam meam fel, & in ſiti mea potaverunt me aceto. SORTES MISSÆ SUPER VESTIMENTIS EIUS* Pſal. XXI. 19. *Diviſerunt ſibi veſtimenta mea, & ſuper veſtem meam miſerunt ſortem. SEPULCRI GLORIA* Iſai. XI. 10. *Erit ſepulcrum eius glorioſum.* 8vo. *RESURRECTIO* Pſal. XV. 10. *non derelinques animam meam in inferno, nec dabis ſanctum tuum videre corruptionem; notas mihi feciſti vias vitæ.* 9. *ASCENSUS IN COELUM* Pſal. CIX. 1. *Dixit Dominus Domino meo: ſede a dextris meis, donec ponam inimicos tuos ſcabellum pedum tuorum.* 10. *MISSIO SPIRITUS*

SANCTI

SANCTI Iſai. XL, IV. 3. *Effundam ſpiritum meum ſuper ſemen tuum.* Et clarius Zacharias cap. XII. 10. *Effundam ſuper domum David & ſuper habitatores Ieruſalem ſpiritum gratiæ & precum.* Tres ultimas has notas propheticas Meſſiæ nominatim citat S. Petrus Apoſtolus Act. II. v. 17. 26. & 34. pro Chriſto in ſermone ſuo die Pentecoſtes palam ad populum habito.

* At demum non aliæ celebriores Prophetiæ apud ipſos Iudæos fuere, quam Iacobi & Danielis, ſed nec aliæ tricis maioribus obnoxiæ; quas proin evolvere iam tempus ac proprius locus eſt.

§. 225.

Character VII. *Meſſias venturus erat ante ablatum a Iuda ſceptrum ſecundum Prophetiam Iacobi Gen.* XLIX.

Demonstratio iſtius duo exigit, 1mo. *ſenſum* Prophetiæ ſatis certum, 2do. æque certam illius *executionem* ætate IESU Chriſti. *Senſus* ex lingua autographa figendus erit, ut Iudæis perſuadeamus, quod volumus. Vaticinium Iacobus his verbis edidit: *non auferetur ſceptrum de Iuda, & dux de femore eius, donec veniat, qui mittendus eſt: & ipſe erit expectatio gentium.* Sic vulgata habet. Hebraica autem phraſis hæc eſt: *non recedet virga de Iuda & legislator de medio pedum eius, usque dum veniat Siloh; & illi obedientia populorum.* Nomen שֵׁבֶט proprie ſignificat 1mo. *virgam, baculum,* Exod. XXI. 20. II. Reg. VII. 14. Prov. X. 13. item XIII. 24. Metonymice notat *haſtile*, vel potius *ſpiculum* ex virga factum, II. Reg. XVIII. 14. Specialiter deſignat *baculum principis,* ſive *ſceptrum,* Eſth. IV. 11. Amos I. 5. & 8. metonymice *imperium, dominandi*

minatum Num.XXIV.17. Pſal.CXXV.3. Iſai.XIV.5. Zach. X. 11. *baculum paſtoris* Levit. XXVII. 32.Pſal. XXXIII. 4. & Mich. VII. 14. *perticam menſoriam*, metonymice *portionem* eiusmodi *pertica dimenſam*, ſecundum quosdam Pſal. LXXIV. 2. Ierem. X. 16. & LI. 19. 2do. Eadem vox ſignificat *tribum*, quaſi *extenſionem* & *augmentationem familiæ*, Gen. XLIX. 16. & 28. Exod. XXVIII. 21. Deut. XXIX. 21. item XXXIII. 8. Ioſ. IV. 5. & 8. item XXIV. 1. Iud. XVIII. 1. &c. &c.

Sequitur vox מְחֹקֵק (nam ו præfixum non niſi coniunctionem *&* ſignificat) a radice חָקַק derivata eſt; quod radicale verbum proprie ſignificat *incidit, inſculpſit, delineavit*, *inſcripſit* (quod primitus fiebat ſcriptio inciſione in lapides) & metaphorice *decidit, decrevit, definiit*, *iudicavit*, *ſtatuit*. Prior ſenſus radicis proprius occurrit Ezech. IV. 1. Iſai. XLIX. 16. & XXII. 16. & XXX. 8. alter metaphoricus vero Iſai. X. 1. Iud. V. 9. Ipſa vox מְחֹקֵק eſt Participium in Pihel cum ſignificatione *inſculpere faciens, iubens*, & metaphorice *decernens, ſtatuens*, ac ſubſtantive *legislator*, *princeps* occurritque hoc ſenſu non ſolum Gen. XLIX. 10. ſed etiam Num. XXI. 18. Deut. XXXIII. 21. Pſal. LX. 9. & Pſal. CVIII. 9. (ſecundum numerationem Pſalmorum Hebræis uſitatam: nam in vulgata hi ſunt Pſal. LIX. 9. & Pſal. CVII. 9.) Iud. V. 14. Nihil ergo manifeſtius, quam geminis his vocibus שֵׁבֶט & מְחֹקֵק *virga*, & *legislator*, vel *princeps*, ſignificari principatum & poteſtatem ſe gubernandi ſecundum leges ſtatus politici ſibi proprias.

Sequitur מִבֵּין רַגְלָיו: ubi primo quæritur; utrum præfixa litera מ ſignificet *ducem*, *legislato-*

giſlatorem, &c. debere eſſe ex ipſo *ſemine* Iuda. Enimvero aio, eo modo ducem deſignari ſemper ad tribum Iuda ſpectaturum, quo virga, ſceptrum, aut ſuprema poteſtas. *Non recedet*, inquit textus, *de Iuda ſceptrum, non de femore eius dux.* Utrobique enim præpoſitio *de* cum relatione ad verbum idem *recedet* per eandem literam מִ exprimitur. Plus ergo verba non exprimunt, quam poſteros Iudæ ſemper formaturos ſocietatem politicam peculiarem, quæ a proprio quodam ſuo Magiſtratu regatur, nec confundendam cum alia gente, donec veniat Meſſias.

לֹא־יָסוּר שֵׁבֶט מִיהוּדָה וּמְחֹקֵק

dux &, Iuda de virga recedet non

מִבֵּין רַגְלָיו עַד כִּי־יָבֹא שִׁילֹה

,Siloh veniat dum uſque ; eius pedum medio de

וְלוֹ יִקְּהַת עַמִּים׃

populorum obedientia illi &

Plus certe prædictum a Iacob fuiſſe ex verbis eius probari non poteſt. Itaque ſi iſtud impletum oſtendamus, propoſito noſtro ex integro ſatisfecerimus.

* Haud itaque opus eſt ſuſpicionem cum non nemine movere de litera *Reſch* ex deſcribentium vitio literæ *Daleth* ſubſtituta in verbo רַגְלָיו ; quæ duæ literæ non niſi concavitate & angulo differunt; & ex quarum commutatione in vocem דְגָלָיו orietur ſenſus iſte: *non recedet dux de vexillis eius;* cum vox דֶגֶל *vexillum* ſignificet,

gnificet. Nam præterquam quod textus tam præcipui corruptionem haud facile perſuadeas Iudæis factam eſſe in cunctis exemplaribus, ac ne puncta quidem utrinque reſpondeant eadem utrique voci; omnis difficultas aperte evaneſcet, modo diſtincte figamus notionem iſtam, quid ſit, *conſtituere ſocietatem politicam ſingularem, quæ proprio ſuo Magiſtratu & propriis legibus gubernetur;* & quid ſit *eandem ſocietatem diſſolvi, eiusque membra diſpergi in alias gentes ſive ſocietates politicas.*

Porro vox בין non niſi duplici ſignificatione revera occurrit in SS. paginis, nempe ceu præpoſitio *inter*, ut Gen. I. 6. & 7. Exod. XI. 7. Ioſ. XXII. 25. Prov. VI. 19. Iob. XXX. 7. &c. &c., ſignificans *medium*, ſeu diſcrimen unius ab altero, uti Num. XVII. 2. Iſai. XLIV. 4. Ezech. XXXI. 10. & XIX. 11. &c. &c.

Vox רֶגֶל non niſi *pedem* in Scripturis ſignificat; ipſi tamen *pedes* ſubinde ad *conatum* ad *ſtudium affectumque animi* ſignificandum in Scripturis adhibentur, uti Pſal. CXIX. (nobis CXVIII.) v. 59. & 105. Prov. IV. 26. & 27. Iob. XXIII. 11. Attende vero Iacobum ipſo v. 9. capitis XLIX. Gen. id eſt, verſu proximo ſuperiore Iudam leoni comparare: *catulus leonis Iuda: ad prædam, fili mi, aſcendiſti: requieſcens accubuiſti ut leo, & quaſi leæna: quis ſuſcitabit eum?* Tum ſtatim ſubdit: *non auferetur virga* & principatus *de medio pedum eius.* Quis non videt, commemorata fortitudine Iuda, Iacobum continuare allegoriam, dicendo: Iudæ tribus tam fortis erit & magnanima ut leo, & leæna, ſic, ut ſive ad pugnandum exeat ipſa, ſive impugnetur, ſit futura omnibus formidanda: nec ex leonis iſtius

pedibus

pedibus extorquebitur virga principatus, donec &c. &c.

Sequitur עַד־כִּי. De his certum eſt עַד ceu adverbium vulgo innumeris in locis Scripturæ occurrere cum ſignificatione *uſque* id eſt, proceſſus rei, vel loci, vel temporis uſque ad terminum indefinitum, qui tamen ordinarie ad definitam durationem, locum, vel rem reſtringitur per particulas iſtas ſequentes אֲשֶׁר אִם כִּי, vel etiam שׁ ſolitarium. Porro etſi particula כִּי reſtringens particulam עַד alibi quam hoc ipſo loco Gen. XLIX. 19. eidem coniuncta non occurrat; tamen ex plurimis locis certum eſt, quod idem ſignificet ac אֲשֶׁר, nempe, *dum, quando, cum* e. g. Exod. III. 21. Num. XXII. 22. II. Reg. VII. 1 Pſal. XXIII. 4. & 9. Iob. XXXVI. 18. Certe עַד כֹּה ſub ſignificatione *huc uſque* occurrit Gen. XXII. 5. Exod. VII. 16. Ioſ. XVII. 14. Eſt vero כֹּה & כִּי ab eadem radice כָּוָה.

Verbum יָבֹא extra dubium eſt ſignificare idem ac, donec *veniat.*

At vox שִׁילֹה *Siloh* magis incertæ ſignificationis eſt. Quoniam enim Vulgata cum S. Hieronymo hic vertit *mittendus*, nec tamen vox iſta cum ultima litera ה ſcripta uſpiam ad hunc ſignificatum vi radicis ſuæ שׁיל aut שָׁלַח apta invenitur; Huntlæus, Salmeron, Morinus, aliique cre-

 didere

didere, in Hebræos codices irrepſiſſe errorem, ac ח ſubſtituendum eſſe ipſi ה; ſicque a radice & verbo שָׁלַח, quod proprie ſignificat *miſſionem*, derivandum eſſe. At ne ſic quidem coniugationi per vocales ſubſcriptos ſatisfieret. Præterea conſtat, omnes antiquos Rabinos voce iſta Meſſiam deſignari crediidiſſe; nec tamen ſcribendam eam per ח, ſed per ה exiſtimarunt. Itaque arbitror, eam vocem derivandam a radice שִׁיל, quæ ſignificat *fœtum*, & cum affixo fœminino ה *fœtum* ſeu *prolem mulieris*, quaſi ex muliere tantum progenitum. Derivari etiam potuit a radice שָׁלַה, quæ ſignificat idem ac *tranquillus fuit*, uti Iob. III. 25. item *liberum facit*, uti Iob. XXVII. 8. item *felix ſum*, ut Ierem. XII. 1. Ex quo ſignificatio hæc naſcetur: donec veniat *Soſpitator, liberator, pacificus, auctor pacis & felicitatis.*

Supereſt vox יִקְּהַת, quæ vel a ſimili radice arabica derivata ſignificat *obedientiam*, vel a radice קָוָה *expectavit*, *expectationem* denotat. Alii demum a קָהַל derivant, quod eſt *cœtus & congregatio*. Itaque iuxta omnes certum eſt, legendum eſſe, aut, *& ipſi obedientia populorum*, aut, *& ipſi congregatio populorum*, aut, quod veriſimillimum, quodque recte elegit auctor vulgatæ, *& ipſe expectatio gentium*. De voce עַם enim dubium non eſt, quin *gentem* vel *populum* ſignificet; cuius numerus pluralis עַמִּים.

Dedi-

Dedimus hactenus ſenſum Prophetiæ Iacobi ex ipſa lingua primitiva collatis inter ſe ſignificationibus, quas eadem vox ſortitur in aliis Scripturæ locis. Supereſt, ut conſenſum omnium antiquorum Doctorum gentis Iudaicæ pro eodem ſtare oſtendamus. Itaque 1mo. circa vocem שֵׁבֶט, quam nos *virgæ* ſeu *ſceptri* nomine interpretati ſumus, conſentit Chaldæus, qui pro *virga* legit *faciens poteſtatem;* conſentiunt omnes Rabini veteres ipſumque Hieroſolymitanum Talmud legentes, *non deficiet exercens dominium*, vel *dux ſcribarum, Magiſter Synedrii, non deficient Aechmalotarchæ*, ut habet Bereſcith Rabba, & Rabbi Rambam.

Loco *Ducis* (*& dux de femore*) R. Kimchi legit, *Dominator, qui legem ſancit;* R. Salomon, *magnus Princeps legem præſcribens;* Paraphraſtes Onkelos, *Magiſter Scribarum.* Græci 72. Interpretes item omnino conſentiunt; qui radicem חָקַק ſemper vertunt per ὑφορίζειν, διαγράφειν, διατάττειν, quod eſt *deſcribere, ordinare* &c.

Verba *de femore eius* Thargam reddit hoc modo: *a filiis filiorum eius;* Ionathan Paraphraſtes: *de ſemine eius;* R. Kimchi: *de medio pedum eius:* Talmud Ieroſolymitanum: *de filiis filiorum ortis ex ſemine eius;* demum græca verſio: ἐκ τῶν μηρῶν αὐτοῦ, *ex femoribus eius.*

Verba עַד־כִּי item per particulam *donec* verterunt Onkelos, Ionathan, Ieroſolymitanus, Abenezra, & omnes antiqui. Præterea accentus Athnach, qui particulæ עַד præmittitur, quique periodi eiusdem membra diſtinguere apud Hebræos

bræos ſolet, aperte oſtendit, eam particulam ad ſequens periodi membrum pertinere, ita, ut coniuncta particulæ כי ſignificet definitum tempus futurum; ut dictum antea.

Verbum שילה Onkelos vertit, *donec veniat, cuius eſt regnum.* Textus Samaritanus habet: *donec veniat pacificus;* Ionathan: *donec veniat Rex Meſſias, parvulus filiorum eius;* Ieroſolymitanus: *donec veniat Rex Meſſias.* Præterea vocem illam nomen *Meſſiæ* exprimere fatentur R. Iohanan, & R. Schela, & ipſum Talmud Babylonicum Cod. Sanhedrin cap. 11. ipſi denique Maſorethæ, & Gemmatricæ cabalæ auctores.

Denique in ultimarum vocum interpretatione nobiscum iidem antiqui Synagogæ Magiſtri concordant: nullus enim vocem יִקְּהַת alia, quam una ex his tribus ſignificatione exponit, *expectatio, congregatio, obedientia.*

§. 226.

Prophetia Iacobi non niſi in excidio ultimo Ieroſolymæ, & diſperſione illa gentis Iudaicæ completa eſt, quæ ſecundum IESU Chriſti prædictionem anno trigeſimo nono poſt iſtius mortem contigit. Dem. Probari non poteſt, plus fuiſſe a Iacobo prædictum citatis huius prophetiæ verbis, quam quod tribus Iuda privilegio ſibi præ omnibus aiiis tribubus proprio, ſemper formatura ſit rempublicam peculiarem, & ſocietatem politicam inter membra ſua conſervatura; donec veniat Meſſias. Revera enim quælibet peculiaris hominum ſocietas civilis ſceptrum peculiare, ducemque ſibi proprium habet;

bet; quam diu cum alia non miſcetur; quiscunque hoc ſceptrum teneat, & per quemcunque principatus poteſtas exerceatur. Ex adverſo ſceptro ſeu principatu proprio iuxta, atque duce peculiari ſolummodo tunc certo respublica deſtituitur; quando ſocietate politica diſſoluta, membra eius aut diſſociantur, aut aliis gentibus miſcentur. Porro hæc prærogativa penes ſolam tribum Iudam inde ab exordio usque ad Ieroſolymæ ultimum excidium ſtetit. Et in ipſa quidem Babylonica captivitate ſola tribus Iuda coniuncta circa Babylonem (IV. Reg. XXIV. & XXV) habitavit, reliquis omnibus per Mediam & Perſiam varie diſperſis. Ipſi etiam Iudæi illi, qui Ieroſolyma expugnata in Ægyptum fugerant, Ieremia ſecum abſtracto, reducti a Nabuchodonoſore Babylonem ſunt, Ægypti Rege debellato. Præcipui tribus Iudæ principes apud Reges Babylonis erant eximie gratioſi, ut Daniel apud Nabuchodonoſorem, eiusque omnes ſucceſſores, Rex ipſe Iechonias apud Evilmerodach filium Nabuchodonoſoris (IV. Reg. XXV.); Zorobabel apud Darium Regem, Hyſtaſpis filium, & Cyrum. Et vero hiſtoria Suſannæ ſatis docet, brevi etiam id privilegii Iudæos ex tribu Iuda a Regibus Babyloniæ obtinuiſſe, ut iudicia de maximi etiam momenti rebus per proprios Magiſtratus atque Iudices ſibi liceret exercere. Quodſi tamen ad tempus in ea captivitate propriæ gubernationis actuali arbitrio, ipſoque ſaltem exercitio, tribus illa cum omnibus ceteris fuit ſpoliata: nihilominus certum DEI promiſſum tenebat, geminis locis per Ieremiam ſibi annuntiatum (cap. XXV. & cap. XXIX), de urbe Ieroſolyma poſt annos ſeptuaginta rurſus ædificanda, & tota ſua republica rurſus inſtauranda. Atqui *ablatum plane* id dici non poteſt, cuius ſubſtantiam

adhuc

adhuc teneo, cum certitudine, quod & cetera adiuncta brevi reſtituenda mihi ſint. Non ita cum reliquis tribubus in ea captivitate actum. Et decem quidem tribus regni Iſraël iam diu ante tum a Teglatphalaſſare, tum deinde a Salmanaſſare, per omnem Aſſyriam, Mediam, & Perſiam diſperſæ fuerant. Tribum quoque Beniamin longius Babylone uſque in Perſiam diſperſam, & a tribu Iuda disiunctam fuiſſe, hiſtoria Eſtheris & Mardochæi abunde probat, qui ex cognatione Cis, de ſtirpe Iemini, de tribu Beniami erant (Eſth. II. 5.). De tribu Levi denique nullus omnino ſermo eſſe poteſt, cum de ſocietate politica agitur: quippe quæ nullo unquam tempore peculiarem a ceteris tribubus conſtituit. Finita captivitate Babylonica Duce Zorobabele Regis Cyri beneficio primi omnium Iudæi, qui circa Babylonem habitabant, id eſt, qui de tribu Iuda erant, in Iudæam revertuntur, iique ſoli præcipuo & peculiari ſuo nomine rempublicam inſtaurant. Extra dubium quidem eſt, de ceteris etiam cunctis tribubus multos in Palæſtinam, tum cum Zorobabele (quod de Beniamitis ex l. II. Eſdræ c. XI. invenies) tum iteratis deinceps vicibus, cum Eſdra, cum Nehemia, item Rege Artaxerxe Ocho, Alexandro Magno, & Ptolomæo Philadelpho rerum potientibus, identidem revertiſſe. Attamen iſti omnes tribui ſoli Iudæ deinceps inſeruntur, ſublata illa diſcretione & diviſione priſtina, qua ſingulæ tribus quaſi totidem peculiares ſocietates politicas, licet inter ſe fœderatas, conſtituebant. Nihil enim certius, quam ab eo tempore omnium aliarum tribuum Iſraëlitas cum tribu Iuda, quæ ſola primitus ſocietatem politicam inde a captivitate inſtauraverat, commixtas habitaſſe, & communibus cum ea legibus vixiſſe. Nihil, inquam, certius, quam ſtatum politicum

cum Iudæorum inde a captivitate talem perpetuo fuiſſe, ut a nulla alia quam a ſola tribu Iuda aut cognominari, aut alterius cuiusdam tribus proprius ſtatus dici ex vero potuerit, quam ipſius tribus Iudæ; cui ceteræ omnes fuerant inſertæ. Itaque, quisquis ipſum principatum reipublicæ Iudaicæ deinceps tenuerit, ex quacunque is tribu demum fuerit, nihil morari debet. Certe eius reipublicæ principatus erat, quæ proprio quodam & peculiari modo tribus Iudæ respublica erat. Sive iam principatum tenens ab ipſa tribu Iudæ electus fuerit, ſive non: nihil hoc admodum ad Iacobi Prophetiæ veritatem intereſt. De omni tempore deinceps ad alterum uſque Ieroſolymæ excidium verum nihilominus eſt, non ablatam a tribu Iuda ſtatum peculiaris politici prærogativam, donec venerit IESUS Chriſtus. Aliter vero ab iſtius morte actum cum tribu Iuda eſt. Exciſa anno trigeſimo nono a Tito Ieroſolyma cum templo, diſſipata tota natio, ac per orbem diviſa, iam a mille & amplius ſeptingentis annis nuſquam unam peculiarem ſocietatem politicam format, adeoque & ſceptro, ſive proprio principatu, & duce proprio caret, per quem hunc ipſa exerceat. Certum itaque plane eſt, illam Iacobi prophetiam non niſi poſt mortem IESU Chriſti in ultimo Ieroſolymæ excidio completam eſſe.

* Explicatio iſta mihi cum Petavio noſtro communis (Ration. Temp. P. II. lib. III. cap. 16.) & per ſe naturalis verborum eſt, quorum vim omnem explet, & qui plus illa verborum vi contineri aſſerit, ei probare hoc certis argumentis incumbit; quæ nuſquam ſuppetunt. Reſcindit eadem explicatio tricas omnes, tum de regno Sacerdotum inde a Nehemia, tum de ſtirpe Machabæorum imperante, tum de Herode alienigena &c. &c. maxime

vero

vero difficultatem eam inexplicabilem devitat; cur, ſi ob Herodem alienigenam, aut Romanum Præſidem imperantem, ſceptrum ætate Chriſti iam ablatum ſit, non idem a fortiori ablatum ſit Nabuchodonoſore & eius ſucceſſoribus gentem totam extra Iudæam in Babylonia dura in captivitate per ſeptuaginta annos integros tenentibus. Adde, quod prophetia hæc non ante excidium illud gentis ultimum impleta fuerit, etiam ex eo indicium ſuppetere, quod ſublatio reipublicæ Iudaicæ ipſa ſupplicium futurum erat, quo mortis Meſſiæ illatæ crimen ſecundum Danielis prædictionem puniretur, ut mox dicetur.

§. 227.

Character VIII. *Adventus Meſſiæ prævertere debuit finem 72. hebdomadum Danielis, & durante hebdomade ultima Meſſias occidi: tum vero propter crimen occiſi Meſſiæ diſſipari gentem Iudaicam, ipſam urbem Ieroſolymam cum templo everti, ac denique Iudæorum ruinam integram conſequi oportuit, ante mundi finem non finiendam.*

Demonstratio ex ſenſu literali Prophetiæ Danielis cap. IX. a verſu 24. Vulgata ſic habet: *Septuaginta hebdomades abbreviatæ ſunt ſuper populum tuum, & ſuper urbem ſanctam tuam, ut conſummetur prævaricatio, & finem accipiat peccatum, & deleatur iniquitas, & adducatur iuſtitia ſempiterna, & impleatur viſio, & prophetia, & ungatur ſanctus ſanctorum. Scito ergo, & animadverte: ab exitu ſermonis, ut iterum ædificetur Ieruſalem, uſque ad Chriſtum ducem, hebdomades ſeptem, & hebdomades ſexaginta duæ erunt: & rurſum ædificabitur platea, & muri, in anguſtia temporum. Et poſt hebdomades ſexaginta duas occidetur Chriſtus: & non erit eius populus, qui eum negaturus eſt. Et civitatem & ſanctuarium diſſipabit populus cum duce venturo: & fi-*

Digitized by Google

nis eius vaſtitas, & poſt finem belli ſtatuta deſolatio. Confirmabit autem pactum multis hebdomada una: & in dimidio hebdomadis deficiet hoſtia & ſacrificium: & erit in templo abominatio deſolationis: & uſque ad conſummationem & finem perſeverabit deſolatio. Hebraica lectio vix a vulgata diſcrepat. Loco, *occidetur Chriſtus*, habet v. 26. *exſcindetur Meſſias* יִכָּרֵת מָשִׁיחַ: ubi vox יִכָּרֵת eadem adhibetur, quæ habetur Gen. IX. 11. ubi dicitur: *& nequaquam ultra INTERFICIETUR omnis caro aquis diluvii.* Præterea vox hebraica Meſſias מָשִׁיחַ aperte Meſſiam exprimit, quem & ducem Meſſiam v. præc. propheta in eodem hebræo textu vocat, עַד־מָשִׁיחַ נָגִיד quod nomen nulli alteri convenit. Simili ſignificatione radix כָּרַת etiam occurrit Ierem. XI. 19. *eradamus eum de terra viventium.* Deinde illæ eiusdem verſus vigeſimi ſexti voces, *& non erit ei populus, qui eum negaturus eſt,* in hebræo non habent alias ſibi repondentes, niſi has, וְאֵין־לוֹ *& non ei.* In reliquis non eſt diſcrimen, niſi quod idiomatum phraſis vulgo in expreſſiones inducere ſolet.

Senſus itaque obvius Prophetiæ ſic ſtabiliendus. 1. Per *hebdomadem* שָׁבוּעַ non intelligenda hebdomas *dierum*, ſed annorum. Conſtat enim ex Levit. XXV. 48. Hebræis conſuetudinem fuiſſe hebdomades & *annorum* & *dierum* numerare, ſeptemque hebdomades annorum, i. e. 49. annos, inter unum & alterum Iubilæum numeraſſe. Conſtat porro, nihil intra ſeptuaginta hebdomades

dierum eveniſſe ex eis, quæ Danieli Archangelus prædixit. Hebdomades vero Iubilæorum, quas aliqui commenti ſunt, nec inveniuntur in Scripturis, nec in iſto vaticinio habere locum poſſunt, cum certum ſit, excidium templi, & urbis Ieroſolymæ ab eo prædictum iam eveniſſe; quin a Daniele usque ad id tempus 24500 anni, tot Iubilæorum hebdomadis reſpondentes, effluere potuerint. Poſt ſeptuaginta ergo *ſuccisas* (ut Hebræus habet textus) ſeu *abbreviatas* hebdomades annorum, id eſt, poſt annos minus 490, prædicitur *delenda iniquitas, adducenda iuſtitia ſempiterna, implenda viſio & prophetia, & ſanctus ſanctorum ungendus.* 2. Sed unde & a quo termino anni iſti numerandi ſunt? *Ab exitu ſermonis ut iterum ædificetur Ieruſalem,* ait Propheta, *uſque ad Chriſtum ducem hebdomades ſeptem, &, hebdomades ſexaginta duæ erunt,* plenæ videlicet, & una, ſeptuageſima nimirum ſuccisa, ſeu abbreviata, certum porro eſt, initium iſtarum hebdomadarum ſtatui non poſſe a tempore, quo vaticinium, vel DEI promiſſio, de reſtauranda Ieroſolyma divulgatum eſt: ſic enim, cum hoc ſæpius diverſiſſimis temporibus contigerit, ut per Iſaiam XLIV. 26, & XLV. 13, & per Ieremiam XXVII. 22, & XXIX. 10, & per Baruch II. 34, & IV. 23; non poſſet ullus earum hebdomadum initio certus terminus præfigi. Sed eadem ratio oſtendit, initium hebdomadarum nec ſimpliciter a decreto per aliquem ex Perſarum Regibus edito de urbe reædificanda ſumi poſſe; cum & hoc ab eorum pluribus item diverſis temporibus ſit factum. *Primo* enim Cyrus lecto oraculo Iſaiæ paulo ante citato, quo is non templum modo, ſed & urbem Ieroſolymam, a Cyro nominatim inſtaurandam pæne ducentis ante annis prædixerat; exemplo, ut id fieret, edixit; ut ex fine

fine lib. II. Paralip. & initio Eſdræ colligitur: & c. IV. lib. I. Eſdræ v. 13. diſerte aſſeritur, Iudæos reipſa urbem Ieroſolymam vi edicti Cyri ædificaſſe. Id ipſum Ioſephus lib. 11. antiq. cap. 1. affirmat. Idem *deinde* Darius Hyſtaſpis Zorobabeli conceſſit anno regni ſecundo, ut ſatis colligitur ex I. Eſdr. IV. 5. & apertiſſime refertur 3. Eſdræ IV. 43, adſtipulante & hac in parte Ioſepho antiq. lib. cit. cap. 4. *Tertio* id ipſum rurſus conceſſum Eſdræ anno Artaxerxis ſeptimo; ut partim ex I. Eſdr. VII. 6. patet, partim ex eo, quod Eſdras: cui Artaxerxes loc. cit. omnem petitionem addixiſſe refertur, dato, quod iam bis incepta urbis ædificatio fuerit, haud dubie item pro iſthac confirmando beneficio apud Regem interceſſerit. Denique & *quarto* etiam Nehemiæ idem ad eodem Artaxerxe regni eius anno vigeſimo diſtinctis verbis permiſſum II. Eſdr. II. 1. legitur. Præterea ipſa loquendi ratio ab Angelo adhibita, & in Scriptura expreſſa, *ab exitu ſermonis*, hebræa vox מִצָא, quæ *eventum ſermonis* innuit, item vox græca ἔξοδος, omnia iſthæc indicio ſunt, non de edito ſeu vaticinio, ſeu decreto regio, ſed de tempore completi ſeu vaticinii, ſeu decreti regii, pro urbe iterum ædificanda, loquenti Angelo ſermonem eſſe; ut ſenſus ſit: *a tempore, quo completus fuerit ſermo, ſeu verbum Domini* דָּבָר, *ut iterum ædificetur Ieruſalem, uſque ad ducis Meſſiæ adventum erunt hebdomades &c.* Itaque ex univerſis, quæ modo dicta ſunt, illud certum videtur, nec Cyrum, nec Darium, nec Artaxerxem, cum Zorobabeli & Eſdræ decreta concederent reædificandi templi, eisdem vetuiſſe, ne circa templum ſibi domos & alia ædificia ad habitandum neceſſaria extruerent; nul-

 lum

lum tamen ex primis his tribus decretis ullam feciſſe mentionem de muris, portis urbis, & turribus portarum extruendis; quorum ædificandorum ſpecialis facultas nominatim concedenda haud dubie requirebatur. Recte itaque lib. I. Eſdræ IV. hoſtes Iudæorum Samaritani eos accuſant quidem, quod urbem reædificent, intentantque Regi Dario v. 16., Iudæos iugum brevi excuſſuros, *ſi civitas ædificata, & muri inſtaurati fuerint.* Recte item Ioſephus affirmat loc. cit. permiſſum fuiſſe Iudæis inde a Cyro ædificare non templum ſolum, ſed ædes quasdam, qualemcunque urbis adhuc ſemi dirutæ ſpeciem exhibentes. At certum item ex II. Eſdr. I, muros, portas urbis, turres, munimenta &c. nunquam ante Nehemiæ adventum ædificari Ieroſolymis cæpta, nec ſingillatim de hac re licentiam adhuc Iudæis factam eſſe. Et vero II. Eſdr. I. 3. aperte dicitur: murus *Ieruſalem diſſipatus eſt, & portæ eius combuſtæ ſunt igni:* ipſeque Nehemias ibid. cap. II. v. 13. inſpectione oculari præſens invenit rem ita ſe habere, hortaturque inde optimates Iudæorum v. 17.: *venite, & ædificemus muros Ieruſalem, & non ſimus ultra opprobrium:* moxque indicat eis facultatem ſcripto ad hoc ſpeciatim a Rege Artaxerxe impetratam, cumque, ubi manum ad opus miſiſſent, mox adeſſent Sanaballat & Tobias, hoſtes ipſorum, ſubſannantes eos, & exprobrantes: *quæ eſt hæc res, quam facitis? nunquid contra regem vos rebellatis?* eisdem mandatum regibus velut rem novam exhibet. Adde his, quod ipſe contextus ſermonis angeli veluti deſignet id, quod primum inde ab initio numerandarum hebdomadarum futurum ſit, nempe ædificationem plateæ & muri in anguſtia temporum: quaſi diceret: *ſcito, & animadverte,* unde tempus ſit computandum: *ab exitu,* ſeu cœpta actu executione,

cutione, *ſermonis*, ſeu promiſſi divinitus vobis pridem facti, *ut iterum ædificetur Ieruſalem, hebdomades ſeptem & hebdomades ſexaginta duæ erunt:* primum, quod tunc fiet, erit, *ut rurſum ædificetur platea & muri*, id quod fiet *in anguſtia temporum*, hoc eſt, præcipitato labore intra dies quinquaginta duos; ut contigiſſe reipſa legitur II. Eſdræ VI. 15.

3. Pergit exinde Archangelus Gabriel: *& poſt hebdomades ſexaginta duas occidetur Chriſtus*, Quaſi diceret: ſeptem & ſexaginta duæ hebdomades (id eſt, Iubilæum unum 49. annorum, atque inſuper ſexaginta ſeptimanæ) ab executione ſermonis Domini de ædificanda Ieroſolyma computandæ ſunt. Primo omnium platea & muri feſtinanter ædificabuntur; poſt expletas autem & illas ſexaginta duas hebdomades poſteriores occidetur Chriſtus. Quærunt aliqui, cur disiungat Angelus ſexaginta novem hebdomadas in *ſeptem & ſexaginta duas*, & poſt non niſi ſexaginta duas usque ad cædem Meſſiæ numeret? Obſcura, & certo ſuperflua ſuper ea re omnis coniectura eſt. *Occidi* enim profecto Meſſias, ſeu *unctus Domini*, non poterit quadraginta novem annis, antequam *ungatur*: atqui ſeptuaginta numerandas hebdomadas abbreviatas angelus dixerat v. 24., donec *ungatur ſanctus ſanctorum.* Evidens ergo eſt, v. 26. non intelligi, niſi poſt ſexaginta duas hebdomades ſeptem primis ſubiectas, id eſt, univerſe ab exitu ſermonis, ut iterum ædificetur Ieruſalem, ſeptuageſima annorum hebdomade occidendum Chriſtum. Qui dicunt, intra primas ſeptem hebdomades innui completum urbis ædificium, moventur coniectura. Qui volunt, præciſe ſubintelligendas ſecundo illo loco eſſe ſeptem primas hebdomades, nec

 niſi

niſi primi Iubilæi diſtinguendi cauſſa ab Angelo ſeptem a ſexaginta duabus ſeiunctas eſſe, itidem non minus veriſimiliter, ſed maiore compendio, divinant. Si vera eſt coniectura prior, vera etiam eſt altera: ſin illa falſa, non item iſta. Senſus denique vaticinii utroque caſu perinde extra omne dubium eſt poſitus.

4. Quid ſibi illæ voculæ in Hebræo velint, *& non ei;* nihil moror: cum ad rei præſentis caput id non pertineat. Vulgatam bene eas vertiſſe per illa, *& non erit eius populus*, ex ſimilibus phraſi alias in Hebræo textu cum ſignificatu conſimili occurrente patet. Sic Oſeæ I. 9. dicitur: *voca nomen eius: non populus meus.*

5. Reliqua, quæ ſuperſunt, prophetiæ verba id clariſſime enuntiant, quod præfixa propoſitio noſtra affirmat, videlicet ob crimen Meſſiæ occiſi civitatem Ieruſalem cum templo vaſtandam, diſſipandam gentem, & locum vaſtandum eſſe; quin ruina eius ante mundi finem ſit reſtauranda unquam. In Hebræo textu verborum illorum, *in dimidio hebdomadis deficiet hoſtia & ſacrificium*, ſenſus multo etiam clarius exprimitur iſta phraſi, *& in dimidio hebdomadis ceſſare faciet ſacrificium & munus;* quæ verba innuunt, Meſſiam ipſum, ultima hebdomade occidendum, eodem tempore, quo novum pactum cum aliquibus initurus ſit, aboliturum vetera ſacrificia & hoſtias.

6. Tota demum prophetia de Meſſia reipſa adventuro ante finem 70. hebdomadum vaticinatur, ut ex ſequentibus obſervationibus eſt liquidum omnino. Namque 1mo. id patet *ex characteribus Perſonæ*, Danieli ab Angelo prænuntiatæ.

Appel-

Appellatur enim v. 26. *Meſſias* ſimpliciter, ſine addito alio nomine; quod non niſi vero Meſſiæ in Scripturis tribuitur. Vocatur *dux Meſſias* v. 25. - - מָשִׁיחַ נָגִיד; qua eadem voce hebraica exprimitur Meſſias verus Iſai LV. 4. *Ecce teſtem populis dedi eum, ducem* נָגִיד *ac præceptorem gentibus.* Denique *Sanctus Sanctorum,* & idiotiſmo hebraico *ſanctitas ſanctitatum.* dicitur v. 24.: quod rurſus ſoli vero Meſſiæ tribui ſolet, qui vulgo per antonomaſiam iuſtus dicitur Iſai. LV. 8. & LXII. 1. Sic Ieremiæ XXII. 6. dicitur: *hoc eſt nomen, quod vocabunt eum, Dominus iuſtus noſter:* & Iſai XII. 6. *exulta Sion: quia magnus in medio tui ſanctus Iſraël.*

Patet id ipſum 2do. *ex effectibus* non niſi Meſſiæ propriis, quos prænuntiatæ a ſe perſonæ Gabriel attribuit. Ait, ſeptimanis illis tranſactis *delendam iniquitatem, adducendam iuſtitiam ſempiternam, implendam omnem prophetiam & viſionem.* Atqui hæc ſoli Meſſiæ conveniunt; de quo Iſai. XLV. 8. *Rorate cæli deſuper, & nubes pluant iuſtum: aperiatur terra, & germinet Salvatorem; & iuſtitia oriatur ſimul:* & Pſal. CCXXIX. 7. *& ipſe redimet Iſraël ex omnibus iniquitatibus eius.* Ait deinde in ipſa hebdomada qua ſit moriturus Meſſias, *confirmandum pactum multis;* quod iterum de Meſſia prædictum, in charactere IIdo oſtenſum iam eſt. Ait denique, quod venturus Meſſias *ceſſare facturus ſit ſacrificium & munus,* ut phraſis hebraica habet: id quod rurſus Iſ. I. 11. Ierem. VI. 20. Malach. I. 10. temporibus Meſſiæ futurum prædicitur.

Patet idem 3tio, quod *occidendus Chriſtus,* ſive Meſſias verus, etiam ab Iſaia LIII. 8. prædicatur,

abſciſſus eſt de terra viventium, & pro peccatis noſtris immolandus, *propter ſcelus populi mei percuſſi eum:* ibid. & v. 4. *vere languores noſtros ipſe tulit* &c.

Patet denique 4to. *ex magnitudine pœnæ*, quæ Ieroſolymæ & toti genti ob perpetrandam Chriſti necem v. 26. ab Angelo prædicitur. *Civitatem & ſanctuarium*, inquit, *diſſipabit populus cum duce venturo: & finis eius vaſtitas* (ſive phraſi hebraica, *& extrema eius*, ultima, *ſumma eius;* quo ſenſu vox קִצּוֹ etiam ſumitur Iſai. XXXVII. 24. & Dan. XI. 45.) *& uſque ad finem belli ſtatuta* (decreta) *deſolatio;* ſive potius, ut textus hebræus habet, in numero plurali, *ſtatutæ deſolationes:* & v. 27. *& uſque ad conſummationem & finem perſeverabit deſolatio.* Profecto ingens ſcelus, & ipſa idololatria magis nefandum, oportebat a Iudæis in occiſione Chriſti huius, a Gabriele prædicti, admiſſum iri; quod non iam ſeptuaginta annorum captivitate, & everſione urbis ac templi ad tempus duratura, ſed perpetua diſperſione gentis, & totius urbis ruina, puniendum eſſet. Atqui id genus crimen non niſi occiſio veri Meſſiæ eſſe poterat.

§. 228.

Prophetia Danielis IX. 24. ætate IESU Chriſti impleri debuit, & reipſa in IESU Chriſto prorſus impleta eſt. Demonstratio huius accurata unice a præciſione Chronologiæ pendet, quæ tamen non minus circa Chriſti annum natalem, & vitæ annorum numerum, quam circa annos regiminis Perſarum regum, magnopere deficit. Non habemus poſterioris huius Chronologiæ partis antiquiorem teſtem quam Diodorum Siculum; qui tamen Artaxerxe Longimano, a quo hebdomadum Danielis com-

computus inchoandus, ducentis omnino annis ætate poſterior fuit. Is lib. 11. Biblioth. Xerxis, qui Longimanum in Perſiæ regno proxime anteceſſit, mortem ad annum quartum Olympiadis LXXVIII. refert; qui recentiorum omnium Chronologorum ad quater mille annos mundi ad IESUM Chriſtum uſque ætatem reſtringentium, conſenſu eſt annus mundi 3539, ſive periodi Iulianæ annus 4249. Unde ſequitur, eundem primum regiminis Artaxerxis annum fuiſſe. Idem Diodorus lib. 12. affirmat, Artaxerxem vita functum anno quarto Olympiadis LXXXVIII; cum regnaſſet annos quadraginta. Ex quo rurſum regredientibus occurrit primus annus regiminis eius, nempe mundi 3539, & periodi Iulianæ 4249. Porro vi iſtius Epochæ erit annus vigeſimus imperii Artaxerxis, a quo ſeptuaginta hebdomadum initium per §. præc. fluit, annus mundi 3559, & periodi Iulianæ 4269. Iam vero ab hoc ad primum æræ Chriſtianæ annum numerantibus non niſi 445 anni reſtant; quibus ſi annumeres annos 31. (vel 33) vitæ IESU Chriſti; qui ab æra Chriſtiana (quam ortus Chriſti ſecundum communiorem ſententiam quatuor annis prævertit) ſecundum diverſas ſententias eorum ſuperſunt, qui vitæ IESU Chriſti vel 34, vel 36, annos integros tribuunt; habebis annos 476, vel 478. Atqui hebdomades annorum ſexaginta novem iam conficiunt 483: quibus ſi addas annos tres hebdomadæ ſeptuageſimæ dimidiatæ, ſeu abbreviatæ, reſpondentes, orientur anni 486: a quibus proin tempus mortis IESU Chriſti decem, vel octo, annis deficeret.

Verum errorem iſtum obſervatio unica, a noſtro Petavio ſapienter facta, ex integro videtur explicare. Tenet is (Ration. Temp. P. II. lib. 5. edit.

Mogunt. 1646. pag. 182.) duplex initium regiminis in Artaxerxe Longimano diſtinguendum eſſe, alterum, quo cum Patre adhuc vivo regnarit annis, ut putat, decem circiter (aliis etiam *octo* ſufficiunt) alterum poſt patris obitum, a quo 40. adhuc annis ſolus regnarit. Conjecturæ huius argumentum ſequens ille recenſet. *Themiſtocles Athenis profugus, ad regem Perſarum profectus eſt. Thucydides libro primo, Artaxerxem ait fuiſſe Xerxis filium, QUI NUPER IMPERARE COEPERAT. Idem & Charon Lampſacenus (apud Plutarch. in Themiſt.) prodidit, qui Xerxis ætate vixit, & Herodotum anteceſſit, ut auctor eſt Tertullianus (lib. de ant. c. 46.) quibus Cornelius Nepos in Themiſtocle ſubſcribit, & Plutarchus. At vero Xerxe adhuc vivo ad eum veniſſe Themiſtoclem, plerique alii ſcripſerunt, Ephorus, Dinon, cui Perſicis in rebus multum ſe tribuere Cornelius Nepos ait in Conone; Clitarchus, Heraclides, aliique complures (ait Plutarchus) quod Diodorus lib.* III. *ſequitur; qui Themiſtoclis fugam coniicit in annum ſecundum Olympiad. 77, qui eſt ſeptimus ante Xerxis obitum. Tum quæ de Themiſtocle ab eodem Plutarcho narrantur, eiusque morte, ſatis evincunt, ad Xerxem illum potius adiiſſe, quam ad Artaxerxem. Quocirca ne mendacii tot veteres & graviſſimos hiſtoricos arguamus, nulla conciliandorum illorum inter ſe ratio probabilior offertur, quam ut utrosque vera ſcripſiſſe, & Artaxerxem a patre deſtinatum imperii ſucceſſorem, & collegam factum eſſe dicamus, ex veteri Perſarum conſuetudine, cuius meminit Herodotus (lib. 7. initio) ubi morem fuiſſe refert, ut a rege in expeditionem eunte filiorum unus rex eligeretur, Secundum quem Darius contra Ægyptios & Athenienſes exercitum comparans, Xerxem natu licet minorem, ſed rege ſe genitum, maiori prætulit Artobazani, quem privatus ſuſceperat. Eodem ritu credibile eſt, Artaxerxem a patre bellum de* integro

integro contra Græcos moliente (quod Iuſtinus in calce ſecundi libri memorat) regem eſſe factum, & Dario fratri natu licet maiori antepoſitum fuiſſe; quod iſte privato adhuc Xerxe genitus, Artaxerxes eodem rege natus eſſet; ut ex Herodoto non levis eſt coniectura, quam lib. 10. *de Doct. Temp. c.* 25. *ſtabilitam videbis. Itaque cum Themiſtocles ſub annum Per. Iul.* 4243, *hoc eſt, Olymp.* 77. *ſecundum, ad Artaxerxem profugerit, isque PAULLO ANTE* νεωςί, *regnum iniiſſe dicatur a Thucydide, poteſt Artaxerxis exordium triennio ante ſtatui duodecimo Xerxis, Periodi Iulianæ* 4240, & Mundi 3530, *ut decem annos cum patre regnaverit, ſolus vero quadraginta.* His ſapienti ſane Criſi a Petavio præſtabilitis, in promtu erit nodum præſentem reſolvere. Incidet nempe annus XXus Artaxerxis, a quo numerandæ ſeptuaginta hebdomadæ, in annum Periodi Iulianæ 4259, mundi 4549, hoc eſt, in annum 455 ante æram vulgarem. His iam 455 annis ſi addas illos reſiduos vitæ Chriſti annos 31, habebis 486. annos completos, in quem, ceu tertium ſeptuageſimæ hebdomadæ, & vitæ Chriſti 35tum, incidet mors Meſſiæ. Alii ex adverſo Artaxerxis initium regnandi octo ſolum annis antevertentes, & inde 453. annos ſolum uſque ad æram vulgarem reſiduos nacti, Chriſto 37 annos vitæ tribuunt, ſicque rurſus, reſiduos ab æra vulgari vitæ eius annos 33. addendo prioribus, obtinent 486. annos.

* Non niſi pauca quædam huic Chronologiæ Petavianæ opponunt, qui a ſeptimo Artaxerxis anno enumerandas 70 hebdomades volunt. *Dicunt,* e. g. ex Iuſtino lib. II. conſtare, Artaxerxem puerum fuiſſe, cum Xerxi, ab Artabano occiſo, ſuccederet. Atqui *repono* ſi (ut vult Petavius) Xerxe iam rege genitus eſt, qui non ultra viginti, vel iuxta aliquos, viginti & unum, annos regnavit,

vit, adoleſcentiam adhuc ſuperaſſe non potuit. Dicunt quoque: qui ex veteribus aiunt, Themiſtoclem ad Artaxerxem veniſſe, id factum narrant poſt mortem Xerxis. Atqui, vel ipſo fatente Petavio, certo certius vivente Xerxe fuga Themiſtoclis ad Regem Perſiæ contigit. Sed diſtinguendum: narrant iſtud, auctores illi, poſtquam mortem Xerxis iam ante narraverant; hoc quidem: at minime affirmant, id factum eſſe primum Xerxe iam mortuo. Nimirum adverſarii Patavii errorem liberaliter antiquiſſimis omnium & optimæ notæ hiſtoricis impingunt: qua ſemel licentia ſumta, nihil iam uſpiam firmum, nec in ipſorum ſententia quidem, eſſe poterit. Contra Petavius ſalva utrorumvis veracitate a præſentis nodi difficultate ſe extricat. Quidnam, rogo, ex his duobus honeſtius?

Vides itaque Demonſtrationi noſtræ, quo minus exacta ſit atque integra, decem ad ſummum annorum incertum calculum obſtare; ita tamen, ut nihil admodum inde pro neganda congruentia annorum mortis IESU Chriſti, & mortis Meſſiæ a Gabriele prædictæ, concludi, ſed tantum defectus omnimodæ demonſtrationis Chronologicæ utcunque obiectari poſſit, ex temporum longiſſime remota obſcuritate & imperfectione Hiſtoriæ exortus. Nemo autem Iudæus gentis ſuæ chronologiam obtrudat, ſed ſuorum ignorantiam vel a Philone omnium Iudæorum poſt Prophetas doctiſſimo hac in parte diſcat agnoſcere, qui apud Euſeb. Præp. Evang. l. VII. c. 2. eam ultro fatetur. At vide, quam convincentibus ex argumentis aliis qualiscunque hic defectus pleniſſime a nobis reſarciatur. Sunt illa hæc ſequentia.

1mo. Archangelus Gabriel certiſſime de vaſtatione Ieroſolymæ & gentis per Titum facta locutus eſt. Iſtud quidem multo certius nobis eſſe

debet,

debet, quam eſſe poterat Iudæis proxime poſt everſam Ieroſolymam viventibus. Nempe 1700 & amplius annorum experientia convincere, ut quidem puto, debet, ultimam illam gentis & urbis ruinam eſſe eam ipſam, quam perennem fore Gabriel prædixit, in pœnam ſuper omnia alia prius admiſſa ſcelera magis nefandi criminis, quod Meſſiæ occiſione Iudæi commiſſuri eſſent. Certum itaque omnino, & extra omne dubium eſt, quod, cum finis hebdomadarum Danielis alioquin ruinam illam ultimam ſatis prope anteceſſerit, reipſa mors Meſſiæ prædicta circa eam ipſam ætatem contigerit, & cauſſa fuerit excidii illius.

2do. Certum eſt, ea ipſa ætate cum Ieroſolyma prorſus *defeciſſe hoſtiam & ſacrificium* legis veteris Iudæorum. Ab eo enim tempore familia Aaron & tota tribus Levi cum ceteris prorſus ita confuſa eſt, ut dignoſcere illas ab aliis nullo iam pacto liceat. Atqui non niſi ex illa familia Sacerdotes, nec niſi ex illa tribu miniſtros altaris & templi deligere, ſecundum legem Moiſis permiſſum eſt. Porro hanc ipſam ſacrorum omnium ceſſantium deſolationem duraturam eſſe uſque ad finem, prædixit Angelus; nec alia ſic duravit, quam ultima illa inde ab excidio Ieroſolymæ. De hac ergo locutus eſt Angelus: adeoque & hanc proxime mors Meſſiæ præceſſerit neceſſe eſt.

3tio. Certum eſt, illa ipſa ætate, quæ IESU Chriſti mortem proxime præceſſit, & ſecuta eſt, ob certam notitiam de proximo fine hebdomadum Danielis fuiſſe communem in omni Iudæa Meſſiæ expectationem. Et illi quidem vana opinione decepti, Meſſiam regia dignitate & apparatu venturum expectabant. Inde factum, ut adulatores Herodis

Herodis primi, magnitudine & felicitate huius principis perſtricti, quoniam is, utut ſævam tyrannidem exerceret, Iudæam tamen locupletare non omitteret, eum ipſum eſſe Regem Iudæis promiſſum crederent. (Teſtatur id S. Epiphanius ſæculo IV, aitque, ex eo natam illam Herodianorum ſectam, de qua ſæpius in Evangelio Matth. XXII. 6. Marc. III. 6. & 12. 13.) occurrit ſermo. Eadem certe & paganis ſcriptoribus, ut Perſeo eiusque veteri Scholiaſti (Sat. V. 11. 108.) nota fuit; qui teſtantur, adhuc Neronis ætate Herodis Nativitatem ab eius ſectatoribus conſimili ſolennitate atque ipſum Sabatum fuiſſe celebratum.) Similem in modum Luc. II. 25. de Simeone ſene legimus: *expectabat conſolationem Iſraël, & reſponſum acceperat a Domino, non viſurum ſe mortem, niſi prius videret Chriſtum Domini.* Illi pariter, quos alloquebatur Anna Prophetiſſa ibid. v. 38, *expectabant conſolationem Iſraël.* Ubi prædicare cœpit Ioannes Baptiſta, ſuſpicari mox Iudæi Ieroſolymæ cœperunt, *ne forte ipſe eſſet Chriſtus* (Luc. III. 15.) & ideo miſerunt ad eum quæſitum Sacerdotes & Levitas. Ioan. I. 19. Mulier quoque Samaritana ipſi Chriſto Domino ultro faſſa eſt, credere ſe, Meſſiam in propinquo eſſe. Ioan. IV. 15.: tam Vulgata opinio erat. Ex hac ipſa ratione nunquam frequentiores fuere in Iudæa falſi Prophetæ, quam proximo tempore a morte IESU Chriſti, & inprimis verſus initium belli Iudaici, quod ſub Neronis imperio incepit. Ioſephus Antiq. lib. 20. c. 6. & de bell. lib. 2. c. 22. magnum numerum id genus impoſtorum commemorat, qui prætextu futuræ brevi liberationis a Romanorum iugo, plebem turmatim in deſerta loca proliciebant. Zelotes illi, qui Ieroſolymam adverſus Veſpaſiani obſidionem inprimis defendebant, eodem

dem Ioſepho teſte (lib. VI. cap. 31. de bello Iud.) ſibi ipſis nomen liberatorum illud tribuebant, nec re alia quadam potentius ad ſeditionem Iudæos populares ſuos ſollicitabant. Samaritani quoque diverſos Meſſias tunc tempore agnovere, ut Doſithæum, Simonem Magum, huiusque exin, diſcipulum Menandrum: de quibus vide Originem Tract. 27. in Matth. & contra Celſum lib. 5. item S. Irenæ. lib. 1. c. 20. & 21. De alio quodam Elyma Act. XIII. ſit mentio. Neque fama hæc intra Iudæam ſe continuerat. *Percrebuerat*, inquit eius ætatis hiſtoricus Suetonius in Veſpaſ. c. 4.; *percrebuerat oriente toto vetus & conſtans opinio, eſſe in fatis, ut eo tempore Iudæa profecti rerum potirentur.* Unde, quæſo, fama illa per orbem ſparſa, niſi e Iudæa? ubi ſcilicet vetuſtiſſima atque probatiſſima oracula aſſervabantur. Cur eo potiſſimum tempore is rumor increbuit? niſi quod viri eius gentis doctiſſimi proditurum eo tempore Meſſiam ex oraculis tenerent. *Pluribus*, ait Tacitus hiſt. lib. 5. cap. 10. *perſuaſio inerat, antiquis Sacerdotum literis contineri, eo ipſo tempore fore, ut valeſceret, oriens, profectique Iudæa rerum potirentur.* Vix non certum videtur, utrumque hiſtoricum iſta ex Ioſephi Iudæi teſtimonio ſumpſiſſe, quod mox recitaturi ſumus. Iſtud quidem vel ipſa illorum verba innuunt; quemadmodum & illud, quod ambo ad Ioſephi exemplum in Veſpaſiano illud impletum eſſe oraculum edicant. Magi quoque Ieroſolymam poſt natum Chriſtum venientes, non aſpectu tantum novi ſyderis, ſed multo etiam magis ſparſa novi Regis in oriente regnaturi fama, acciti ſunt; ut legere eſt Matth. II. v. 1. & 2. Ne Romæ quidem ignotum erat, quod in toto orbe fama vulgaverat. Namque ipſe iam Virgilius Eclog. 4. init. de Natalitiis filii Pollionis uſurpat carmina illa Sybillæ,

aureum

aureum ſeculum, atque divinum quemdam infantem celebrantia:

Ultima Cumæi venit iam carminis ætas.
Magnus ab integro ſeclorum naſcitur ordo.
Iam redit & virgo, redeunt Saturnia regna.
Iam nova progenies cælo demittitur alto.

Quæ quidem carmina, uti & Sibyllarum a paganis ipſis tantopere oſtentata oracula univerſe, non aliam, quam ex Iudæorum prophetiis originem veriſimiliter habuere. Ipſe Ioſephus Iudæus in gentis ſuæ religione inſtructiſſimus (quippe Sacerdos, & ex ſtirpe Sacerdotali genitus) cum iam inclinari ad Romanos omnem belli cum gente ſua fortunam, &, Meſſiæ veluti magni Regis expectatione præventus, neminem de ſua gente tanto nomini reſpondere, cerneret; eo imprudentiæ prorupit, vel potius tantum ceſſit putidæ adulationi, ut oraculorum fidem in Veſpaſiano Imperatore impletam ediceret. Captus in bello ab hoc, vatem induens, magna fiducia ad eum dixit: *brevi me vinculis eximes, cum fueris Imperator.* Vide eius lib. VII. cap. 31. de bello Iudaico, & ibid. lib. III. c. 28. ubi ſic verſipelle ſuum teſtimonium inſtituit, ut tamen effugium ſibi apud populares ſuos caute reſervet. En eius verba ab Euſebio hiſt. Eccl. III. 8. ſecundum optimos codices relata. *Quod autem Iudæos ad bellum præcipue incitabat, vaticinium erat ambiguum ſimiliter in ſacris codicibus repertum, futurum nempe, ut hoc tempore ex regione aliquis eorum toti orbi imperaret. Hoc non nulli quidem tanquam ſibi proprium accipiebant, & multi ex ſapientibus in eo intelligendo hallucinati ſunt. Simul autem Veſpaſiani Imperium ſignificabat oraculum; qui in Iudæa creatus eſt*

eſt Imperator. Vide ſis, ut verba illa, *ex regione aliquis eorum*, ἀπὸ τῆς χώρας τις αὐτῶν, ſtudioſe ſic collocarit, ut dubium maneret, an aliquis ſolum e regione eorum (quod & in Veſpaſianum cadebat) an omnino aliquis eorum gentilis deſignaretur. Vide ſis item, ut ambigua alia utatur expreſſione illa. *Simul autem imperium Veſpaſiani ſignificabat oraculum.* Ac ſi diceret: aliæ quidem ſunt vaticinii iſtius ſignificationes; *ſimul* tamen Veſpaſiani etiam imperium deſignabat. Idem Ioſephus, ut ex lib. 10. Antiq. cap. ult. manifeſte patet, ſatis adverterat, vi Prophetiarum Danielis ruinam Ieroſolymæ & genti ſuæ a Romanis eveniſſe, adeo quidem, ut iam antea iterata vice Ieroſolymitanos ad ſpontaneam deditionem omni exerta eloquentiæ vi ipſemet adhortaretur. Vide lib. V. & VI. de bello Iud. Demum hæc opinio de venturo circa id tempus Meſſia Iudæorum animis ita inſederat, ut exiſtimantes, Prophetiarum exitum poſſe ad certum temporis ſpatium extendi, nec ſemper inter tam præciſos terminos includi, poſt annos nonaginta circiter a IESU Chriſti morte, & ab excidio Ieroſolymæ quinos & quinquaginta, regnante Hadriano Imperatore novæ ſeditionis occaſionem ſumerent ex falſo Meſſia quodam, qui Barcoquebæ nomen ſibi ipſe ſumſerat. Is Euſebio teſte (hiſt. lib. 4. cap. 6.) latro reipſa erat, & hominum flagitioſiſſimus, nominis tamen claritate, quod Syriace *filium ſtellæ* ſignificat, Iudæorum plurimos decepit, affirmans, ſe eſſe illam ſtellam Iacob, Numer. XXIV. 17. a Balaam prænuntiatam, quæ Iudæos liberatura, & gentiles ſub iugum miſſura eſſet, ſcilicet Meſſiam. Eventus rebellionis alius non fuit, quam nova Iudææ totius vaſtatio, & Iudæorum ex ea omnium integra præſcriptio. Mirum ſane! Toto ſeculo & amplius inde a IESU Chriſti exortu

omnis Iudæa expectatione Meſſiæ ſuſpenſa eſt, & falſorum Prophetarum mendaciis deluſa. Nihil ſimile ſecula, quæ præceſſerant, viderunt, nec Iudæi nomen Meſſiæ ſic prodigebant, ſeu cum Iudas Machabæus retulit tantas de Tyranno ipſorum Antiocho victorias; ſeu cum Simon iſtius frater ab iugo ipſos gentilium liberavit, aut Hyrcanus primus novas provincias Iudææ ſubiecit. Nimirum tempus, & notæ ceteræ prædictæ de Meſſia, illi ætati nondum conveniebant, nec niſi IESU Chriſti ſeculo congruebant.

4. Ea ipſa itaque ætate, ad quam Danielis hebdomadæ omnium conſenſu terminabantur, prodit in ſcenam IESUS Chriſtus, & ſolus tot inter apertos impoſtores Filii DEI & Meſſiæ perſonam ingenti prodigiorum apparatu, excellenti vitæ ſanctitate, doctrinæ ſapientia, maximisque in omnem populum benefactis, ſuſtinet. Idem ceteros Meſſiæ Characteres omnes, a Prophetis omnibus notatos, ad amuſſim in ſe exprimit; pœnitentibus inprimis *remiſſionem peccatorum*, ac plenam *iuſtitiæ* atque DEI amicitiæ redintegrationem promittit, & tribuit: dumque Principum Iudæorum & Phariſæorum hypocriſin & occulta crimina libere perſtringit, odium iſtorum ſibi conſciſcens, mortis ſupplicio innocentiſſimus addicitur. Præſcius ille omnium, quæ ſibi & genti ſuæ futura erant, ultro ſe Patris ſui æterni voluntati ſubmittit; ſimul tamen in tanti criminis, ſua in perſona admittendi, ſupplicium paulo poſt venturam ſuper urbem & gentem omnem a Daniele prædictam deſolationem, cum accurata eventuum deſcriptione, prædicit. Vide dicta §. 215. Porro ſummum iniuſtitiæ crimen a populo in viri tam innocentis, iuſti, & benefici cæde admiſſum vel ipſe

Digitized by Google

ipſe Romanus Præſes agnoſcit. In ipſa mortis illius hora tota commovetur natura, tenebræ plena in meridie & ipſo in plenilunio ſolem diemque obducunt, reſurgit denique ex condicto vivus tertia die e ſepulcro in ſignum, quod verus ipſe ſit vitæ ac mortis Dominus, & DEI ipſius filius. Demum poſtquam fruſtra Apoſtolorum ſuorum prædicatione ad pœnitentiam invitari per annos octo & triginta curaſſet occiſores ſuos, nec quidquam iſta longanimitas proficeret; prædicta iterato ab ipſo vaſtatio Urbi iuxta, templo, ac genti toti, reipſa ingruit. Et laceratum quidem ultro a ſe ipſo velum templi, in ipſa mortis eiusdem hora iam tum mortis eius ſacrificio abolita veteris pacti ſacra omnia palam denuntiat. Ne vero etiam deinceps reſtituendi cultus priſtini ſpes ſupereſſet ulla, ipſæ tribus & familiæ Iudæorum, ab eo tempore prorſus inter ſe, imo & cum alienigenis proſelytis, confuſæ (ut ex Epiſt. Iulii Africani ad Ariſtidem conſtat, qui apud Euſ. hiſt. lib. I. c. 7. teſtatur ex traditione authentica, Herodem ſeniorem, ut originis ſuæ vilitatem occultaret, omnia familiarum documenta iuſſiſſe comburi) omnem Sacerdotalis dignitatis pæne memoriam extinctam ſepeliunt. Manifeſtiſſimum ergo eſſe concludo, tum hebdomades Danielis ſub tempus mortis IESU Chriſti finitas eſſe, tum nihil in ea prædictione contineri, quod non in IESU Chriſto ſecundum literam accurate impletum fuerit; ac denique nulli alteri eam æque atque eidem ſecundum adiuncta omnia quadrare.

* Si negas, Iudæe! magnum fuiſſe Patrum tuorum crimen, IESUM occidentium: lege ſis, quæ proximis §§. 232. ſeqq. de vera IESU Chriſti magnitudine dicturus ſum: & ſi recto corde & veritatis ingenuus amator es,

aliter profecto, atque ſolebas in hanc diem, ſentire de ipſo incipies.

* * Novi perbene, alios atque alios a tuæ gentis hominibus prædictis prophetiis ſenſus atque interpretationes ſupponi. Novi, etiam inter Chriſtianos ſententias de non nullis earum adiunctis variare. Sed nihil ego iam hæc omnia moror, ac ne opus quidem ulla ratione exiſtimo, omnibus iſtiusmodi ſententiis & obiectiunculis, quod pæne infiniti & oppido inutilis operis negotium alioquin eſſet, reſpondere: tum quod Chriſtiani omnes quoad ſubſtantiam conſentiant; tum quod, quantum ad Iudæos attinet, res oppido impoſſibilis ſit, arbitrium eripere viris obſtinatis DEI dicta in eam partem trahendi, in quam toto animi ſtudio præciſe pendent; quin, quo veritas trahat, iam ullo pacto attendant. Ratiocinium, quod infra §. 236. Iudæo ſuggeram, confido tantam habiturum vim, ut id, quod efficere in præſens Prophetiarum veteris legis enarratione in Iudæorum animis exopto, longe certius & eximio compendio effectum det; maxime ſi reflexio, ſub finem operis §. 323. & eius nota ſubiungenda accedat.

§. 229.

Is ſolus Meſſias iſtis vaticiniis omnibus, aliisque plurimis, prænuntiatus vere haberi poteſt, in quem non quædam tantum ex eis ſeorſum, ſed in quem deſignatæ per eadem notæ omnes ſimul ſumtæ, etſi in ſpeciem contrariæ, accurate quadrant: qui non eſt alius niſi IESUS Chriſtus. Dem. Singula enim ferme ex vaticiniis iſtis ſingulas notas Meſſiæ characteriſticas præſignant, ex quarum omnium coniunctione totus character ac veluti definitio quædam veri Meſſiæ coaleſcit, cuius ope ab omni alio certiſſime diſtingui poſſit. Iam vero ſingulæ quidem rei alicuius notæ multis rebus aliis convenire paſſim queunt;

queunt; at nunquam ſimul omnes & univerſæ. Exprimuntur porro in allatis huc uſque vaticiniis notæ in ſpeciem tam adverſæ, ut, ſiquo tamen in ſubiecto aliquo inter ſe citra omnem pugnam compoſitæ inveniantur, non poſſint non clariſſime id ipſum ab omni re alia offerre diſcernendum. Id genus notæ ſunt, quæ Meſſiam ſimul plenum gloria & ignominia ac dolore, occidendum & æternum cunctis gentibus dominaturum, ſervatorem Iudæorum & auctorem ſalutis omnium gentium, DEUM ſimul ac hominem futurum deſignant. Iam vero iſtæ omnes notæ in IESU Chriſto apertiſſime & citra omnem pugnam compoſitæ ſic inveniuntur, ut ſimul earundem coniunctio novis & æque certis ac grandibus prodigiis & vaticiniis ab ipſo IESU Chriſto fuerit comprobata. Ex adverſo nullus omnino huc uſque nominari, ac ne divinari quidem, a Iudæis potuit, in quem alium a Chriſto Domino omnia eadem vaticinia ullo pacto conferri poſſent: & ſi deinceps quis eiusmodi venturus eſſet; oporteret eum profecto IESU Chriſto ipſi ex aſſe ita ſimilem eſſe, ut vix diſcerni a ſe invicem ambo poſſent. Quoniam ergo alioquin, etſi omnia iſta Prophetarum veterum Iudaicorum vaticinia abeſſent, ſatis ſe miſſum divinitus IESUS Chriſtus propriis ſignis comprobavit; ſimul vero eſſe Meſſiam a Prophetis omnibus deſignatum affirmavit: aut pugnare profecto inter ſe DEI miracula & effata poſſe admittere debemus, aut fateri, non alium eſſe poſſe Meſſiam illum, quam IESUM Chriſtum.

§. 230.

Revelationis divinæ, quæ ex allatis hactenus miraculis & prophetiis iam inde ab initio mundi aliis atque aliis uſque ad IESUM Chriſtum facta fuiſſe de univer-

Digitized by Google

ſæ religionis Chriſtianæ dogmatis comprobatur, is continuo mirificus conſenſus, atque nexus eſt; qui ipſe divinæ originis Characterem maxime illuſtrem conficit. Dem. Triplex enim præcipue revelationis divinæ progreſſus fuit. Initium in Adamo factum, cui facta revelatio (a §. 92. uſque ad §. 97.) ad omnes univerſe homines pertinebat. Huius memoria, ingraveſcentibus hominum flagitiis iamiam extingui cæpta, in Noëmi familia una cum humano ipſo genere de novo inſtaurata eſt. Fide religioſa poſt diſperſionem gentium rurſus inter homines emoriente, DEUS ex familia Abrahami peculiarem ſibi fidelem populum proſpicit, ſingularibus remediis in primævæ revelationis memoria excolendum, ne iſthac penitus extincta, Meſſiæ primitus iam Adamo ipſimet annuntiati difficilior in orbem ingreſſus & agnitio redderetur. In hoc ipſo populo prodigiis inauditis & vaticiniis continuum Meſſiæ deſiderium & expectationem fovet per Prophetas magno numero tamdiu ſubmiſſos; donec denique termino Prophetiis omnibus præfixo IESUS Chriſtus verus ipſe Meſſias præſens comparet. Revelationes ipſæ per Adamum hominibus univerſe omnibus, per Moiſen Iudæis ſingillatim, ac denique rurſus univerſis ex æquo hominibus per IESUM Chriſtum factæ, ſibi omnino ex integro quoad ipſa dogmata, & quoad modum eadem confirmandi per miracula & vaticinia, ceu unica loquentis DEI ſigna characteriſtica, ſic ad amuſſim conſentiunt, ut tamen divinæ revelationis lumen identidem maiore claritate, illuſtriore dogmatum excellentia, & cum perpetuo tum divinæ gloriæ, tum ſalutis humanæ incremento, ſe diffundat. Nuſpiam Adamo & Patriarchis Moiſes, nuſpiam Moiſi IESUS Chriſtus contradicit, ſed unice hic, quod illi adhuc ob temporum rationem

tionem reliquere imperfectum, ad plenam adducit, perfectionem. Patebit iſtud ampliſſime ex mox dicendis §. 233: patet idem ex longe anguſtiore DEI cultu, quem Moiſes in univerſo populo Iudaico inſtituit: patet ex divortio, polygamia, & cerimoniis legalibus a Chriſto abolitis, & caritatis erga omnes homines æqualis præcepto mirifice declarato & ex novo immenſum ſublimiore ſacrificio tot animalium cruentis hoſtiis ſubſtituto &c. &c. Rurſus ſicuti dogmatum & doctrinæ excellentia, ita & ſanctitate vitæ & virtutum omnium perfectione ita ſimiles inter ſe primi Patriarchæ, & divinæ revelationis internuntii, Moiſes, ac Prophetæ, uſque ad IESUM Chriſtum fuere, ut tamen in iſto primum illorum omnium decorum excellentia ſummum apicem attingeret. Denique primi Patriarchæ doctrina, prodigiis, & vaticiniis ſuis omnibus, ad Moiſen, iſte cum ſubſequentibus omnibus Prophetis ad IESUM Chriſtum duxere animos fidelium, & pro ſuavi divinæ Providentiæ ordine mirabili harmonia diſpoſuere. Ergo &c. &c.

* Miraberis iam vero, & ſane iure merito, qua ratione tot inter couvincentia indicia tanta obſtinatio in Iudæis habere locum potuerit initio, & multo magis, quomodo perdurare illa hodiedum poſſit. Sed diſtinguere revera inter Iudæos antiquos, qui Chriſti ætate ac paulo poſt vixere, & inter poſteriores ac noſtri ævi Hebræos, oportet. Cur *antiqui Iudæi* minus ſecundis auribus atque animis Chriſtum exciperent, præter Summorum Sacerdotum & Phariſæorum ambitioſam æmulationem, vulgo cauſſa erat unica, quod verbis illis Pſ. II. 8 de Meſſia ſcriptis, *dabo tibi gentes in hæreditatem tuam, & poſſeſſionem tuam terminos terræ,* aliisque ſimilibus ſeducti, Meſſiam expectarent venturum cum Regia Maieſtate, ac redemturum eos a iugo alie-

 nigena-

nigenarum; ſub quo inde a captivitate Babylonica fere ut plurimum premebantur. Hinc factum, ut, etſi tempore adventus IESU Chriſti omnes Meſſiæ expectatione reipſa ſuſpenſi eſſent, ob propinguum maxime hebdomadum Danielis finem, nihilominus IESUM, in quo ceteri Characteres prophetici tanta luce refulgebant, hoc ſolo nomine neutiquam reciperent; quod humili is & abiecta ſecundum æſtimationem humanam ſpecie compareret. Opinio hæc de regia Meſſiæ dignitate & apparatu ita apud animos terreſtres illius nationis invaluerat, ut ex adverſo omnes eos, qui ipſis aliquam regni Iudaici reſtaurandi ſpeciem præſentarent, pro Meſſia prona voluntate exciperent, utcunque a ceteris Meſſiæ characteribus eſſent deſtituti. Sic Theodam alii, alii Iudam Galilæum (de quo act. 5. 36. & 37. & Ioſ. antiq. l. 18. c. 1.) rurſus alii Herodem Regem, & poſt Chriſtum rurſus alii Theudam (de quo Ioſ. l. 20. c. 2. & 3.), Veſpaſianum Cæſarem Ioſephus ipſe Iudæus (lib. III. de bello Iud. c. 14. & l. VII. c. 12.) ac denique alii rurſus alios pro Meſſia habuere; quod omnes iſti bellico quodam cum apparatu Iudææ regno imminerent. Sed cum denique deceptos ſe ab his omnibus viderent, perſeverarunt quidem aliquamdiu in antiqua expectatione: at demum animadvertentes, terminos a Prophetis prædictos iam ad unum omnes præteriiſſe, ſpe depoſita *recentiores Iudæi* ad eludendas prophetias omnes, in quibus *Meſſiæ tempus* deſignabatur, omne ſtudium tranſtulere. Quoniam tamen opinio illa *de Meſſia rege terreno* recentioribus quoque Iudæis cum antiquis communis eſt; etſi illi *tempus adventus* eius ſignificatum in Scripturis fuiſſe negent: *primum* utrisque error iſte palmaris eripiendus eſt; *deinde* vero recentiores ex antiquis Iudæis de vero ſignificatu prophetiarum, aut certe de ultima ſuæ obſtinationis inſania, convincendi ſunt.

§. 231.

§. 231.

Aut nihil niſi ſecum ipſo pugnans ex Scripturis Iudaicis de adventu Meſſiæ concludi poteſt, aut illius regnum reipſa prædictum, non humanum & temporale, ſed divinum, ſpirituale, ac ſempiternum futurum erat. Dem. Evidens enim eſt ex §§. 220. ſeqq., in Scripturis illis iuxta prædici, Meſſiam fore *regem*, ſalutem & *benedictionem omnibus gentibus allaturum*, atque fore eundem *virum dolorum*, *abiectionem plebis*, *ſaturandum opprobriis*, *noviſſimum virorum*, *leproſum*, *percuſſum a DEO*, & *humiliatum*, *triſtem*, *nudum*, *manus pedesque perfoſſum*, *occidendum denique propter iniquitates populi ſui*. Profecto iſta aut cum dignitate regia temporali pugnant plane, aut brevem duntaxat regni iſtius moram cum ſuccedente ultima pernicie ſupponunt. Atqui omnibus Scripturæ locis, ubi de Meſſiæ regno ſermo eſt, *regnum* & poteſtas eius *æternum* duraturum prædicitur; ut §. 219. videre eſt. Et vero, a qua gente everti Meſſiæ regnum poterit, quod gentes ad unam omnes complexurum, & plenam ſalutem omnibus allaturum eſt? Alterutris ergo locis falli Prophetas iſtos oportet, vel cum regnum univerſale ſimul ac ſempiternum, vel cum miſerias ultimas morte Meſſiæ terminandas præſagiunt; ſiquidem de temporali duntaxat regno illis ſermo eſt. Unica ergo explicandi ænigmatis iſtius & nodi ſolvendi ratio ſupereſt, eaque minime omnium longe quæſita, ſed obvia plane ac naturalis, videlicet, ut concludamus, prædictionibus iſtis in ſpeciem contrariis aliud non deſignari, quam Meſſiam perventurum ad triumphos ſuos per pugnas, & ad gloriam per opprobria & multa adverſa fortiter tolerata. At vero ad quam demum gloriam, ad quos triumphos *morte* perventurus Meſſias erat? Quis fuit unquam hominum, qui mortem paſſus crudelem, ad ſolium

Digitized by Google

ſibi terrenum viam ſtraxerit? Præterea quis unquam Regum iſtius mundi peccatis ſubditorum ſuorum morte ſua coram divino tribunali expiandis aut animum intenderit, aut par extiterit (§. 221.)? Quorſum denique Prophetiæ illæ devenirent, quæ (§. 223.) Meſſiam *filium DEI, Dominum Davidis, a DEO ante Luciferum genitum, DEUM fortem, ſanctum ſanctorum, iuſtitiæ ſempiternæ auctorem futurum* (§. 227.) prænuntiant? Itaque revera aut nihil niſi ſecum ipſo pugnans ex Scripturis Iudaicis de Meſſia venturo concludi poteſt, aut regnum ipſius non temporale ac humanum, ſed ſpirituale, divinum, & æternum inferendum eſt: & ſic optime Prophetiæ omnes univerſe congruent.

* Innumeras id genus contradictiones, ac ſententias inter ſe pugnantes, admittere in Scripturis ſuis Iudæi debent; niſi ad hanc illarum explicationem nobiscum ſe transferant, & duas leges, duo fœdera & pacta, duo diverſa ſacrificia, duo diverſa regna, duas diverſas captivitates, duplicis generis inimicos, nobiſcum fateantur diverſis Scripturarum locis deſignari, ita ut lex carnalis ad legem ſpiritualem, ſacrificium carnale ad ſacrificium ſpirituale, & ſic pari modo temporale regnum, captivitas, & inimici, ad regnum ſpirituale, & ad libertatem ab inimicis ſpiritualibus per Meſſiam aſſerendam, veluti viam ſternere, & illa in iſta transmutari ab hoc oportere, univerſo Scripturarum contextu deſignetur. Hæc unica aperiendi totius Scripturæ ſenſum clavis eſt. Hac qui inſtructus legerit, facili brachio intelliget, & componet inter ſe ænigmata illius univerſa. Abſque illa vero nihil uſpiam in Scripturis certum ſatis ac firmum reperire eſt. Nihil enim magis perpetuo in his occurrit, quam ut lex Domini nunc mutanda in aliam, nunc perpetuo duratura, aſſeratur; ut ſacrificia DEO nunc placere, nunc diſplicere, dicantur; ut ſceptrum alias a Iuda auferendum, alias in Throno David

vid in æternum de eius domo aliquis regnaturus, prænuntietur; ut demum Meſſias populo ſuo Iſraël in perpetuum propitius futurus, nunc eundem in ira furoris ſui reprobaturus, affirmetur. Vel ſolum Iſaiam & Ieremiam legenti innumeri id genus loci occurrunt, inter ſe pugnantes prorſus, niſi alios Iſraëlitas carnales Moiſis & legis veteris, ſpirituales alios Meſſiæ & legis novæ, intelligas, atque Sion & Ieruſalem terrenam a civitate ſpirituali, & a fidelium Meſſiæ adhærentium congregatione, per totum orbem & omnes gentes diffuſa, diſtinguas. Sic ergo &, quæ nunc de gloria, nunc de abiectione Meſſiæ futura, prædicuntur, tum de diverſis eius naturis, divina, & humana, tum etiam de diverſo ſtatu naturæ ipſius humanæ eiusdem, intelligenda ſunt, qui alius in vita, alius poſt mortem ipſius futurus erat, Verus itaque ſenſus Scripturæ non is eſt, quem illis Iudæi carnales tribuebant, ſed is, quem ſpirituales Iſraëlitæ amplectebantur, diſtinguentes literam a ſpiritu, & ea, quæ antiquæ eorum religionis ſtatui tantum congruebant, ſecernebant ab iis, quæ perfectioni legis, a Meſſia deinceps ſtatuendæ, erant propria. Atque iſti quidem omnes ab ætate IESU Chriſti facile intellexere. non niſi in illo, tanquam vero Meſſia, deſignando omnes totius Scripturæ textus ſenſusque ex integro concordare.

* * Sed quoniam denique Iudæus pertinax agnoſcere alium non vult Meſſiam, niſi plenum gloria & maieſtate, patrantem grandia, hoſtium ſuorum domitorem inclytum, & gentis ſuæ gloriam futurum ſempiternam: age! quantum imbecillitati noſtræ permiſſum eſt, reducamus velum ab oculis ipſius; quod Patres illius inde ab initio excæcaverit; ne in Chriſto Meſſiam, quem tantis a bis mille & amplius annis expectaverant deſideriis, præſentem, & mille ſignis conſpicuum, reipſa agnoſcerent, & pro debito adorarent. Dabimus iſtuc abunde effectum, nî fallor; ſi tria iſthæc eidem demonſtraverimus : 1mo.

Chriſtum

Chriſtum reipſa multo maiore gloria & dignitate conſpicuum veniſſe, quam vel ſuperbiſſimi Iudæorum de Meſſia expectavere unquam: 2do. *Eundem Moiſe infinitis partibus ſuperiorem eſſe,* & iſtum illi nullo pacto comparandum, ſeu dignitatem perſonæ, ſeu doctrinæ ſanctitatem, ſeu beneficiorum magnitudinem, ſeu ſignorum excellentiam ſpectes; qua in Iſraëlis populo uterque claruit: 3tio. *IESUM Chriſtum unicum reipſa fundamentum, unicum fulcrum eſſe gloriæ totius Iudaicæ nationis,* & abſque ipſo præcipuum iſtius lumen ac dignitatem prorſus diſparere.

§. 232.

IESUS Chriſtus reipſa multo maiore gloria & dignitate conſpicuus venit in hunc mundum, in eoque verſatus eſt, quam vel ſuperbiſſimi Iudæorum de venturo Meſſia unquam expectavere: neque adeo eſt, cur hoc nomine minus impletas in Chriſto fuiſſe prophetias, de Meſſiæ gloria canentes, Iudæus obganiat. Dem. Totum, quod Iudæi carnales a Meſſia venturo expectabant, liberatio erat a iugo Romanorum, aliorumque hoſtium ſuorum, quorum dominatione inde a tot ſeculis ut plurimum premebantur, & victoria nationum vicinarum, quarum inſidiis & inſectationibus perpetuo fuerant obnoxii. Huic ſi bonorum abundantiam, ceu diuturnæ pacis fructum, iungas; ſummam votorum, quæ de Meſſia Iudæi conceperant, veriſſime expreſſeris. At enim *hæc omnia* (ut Chriſtus ipſe dixit aliquando Matth. VI. 32.) *gentes inquirunt;* id eſt, iſtiusmodi felicitatem mere terrenam ac temporalem etiam gentes, vel maxime altiore lumine & bonorum æternorum ac ſupernaturalium cognitione deſtitutæ, a ſuis regibus expectant, atque ut plurimum raro uni cuidam genti ſine æquali gentium aliarum damno & infortunio a terreſtribus heroibus procurantur, neque iſtiusmodi beneficio Iſraëli procurato

rato Meſſias multum ſe ab iſtis gloria diſtinxiſſet: cum & Nabuchodonoſores, Alexandros magnos, & Auguſtos Cæſares legamus, ſub quorum regimine ſubiecti eisdem populi pari felicitate fuerint gaviſi. At quæ demum felicitas illa erat, quæ ſalutis ratio, quam allatum non uni Iſraëlis genti, ſed mundi nationibus univerſis, venire ſeſe IESUS Chriſtus dictitabat, & vero factis ipſis etiam, & miraculis omni exceptione maioribus, luce clarius probabat; Ortu ex Davidis regia familia clarus, non merum tamen hominis filium, ſed filium DEI ab æterno genitum, Abrahamo ſeniorem, ſe ferebat: adeſſe vero, non ut unam gentem a dura Romanorum ſervitute, ſed ut omnes homines, & qui tunc temporis in mundo eſſent, & qui fuiſſent iam pridem inde ab Adamo Patre, & qui deinceps ubivis gentium ad mundi finem uſque futuri eſſent, a iugo dæmonis duriſſimo, & a peccatorum omnium ſuorum culpis iuxta ac pœnis commeritis liberaret, arctoque ſimul amicitiæ vinculo, æternum duraturo, cum DEO Patre, ſeque ipſo, & S. Spiritu coniungeret, ſempiternæ ipſius Numinis felicitatis participes futuros. Quodſi revera is eſſet, quem ſe ferebat, multum ſcilicet adſcititio terreni alicuius regni fulgore illuſtrari ipſius gloria potuiſſet? Imo alia omnia remedia magnum illud redemtionis humanæ opus ab ipſo requirebat. Num enim belli virtute & armis tyrannis dæmonum expugnatur? Num terræ opibus DEI offenſæ redimuntur? Num cœlorum regnum æternum militum robore obtinetur? Reparationem offenſæ magnitudini congruam læſa Divini Maieſtas Patris univerſis ab hominibus poſcebat; lytrum, redimendis totidem captivis dæmonis, ſufficiens requirebatur: Non placere ſibi legis antiquæ ſacrificia, nec hircorum ſanguine peccata ablui

poſſe,

poſſe, pridem DEUS declaraverat. IESUS Chriſtus ergo *aſſiſtens Pontifex futurorum bonorum* (ut S. Paulus Apoſtolus ad Hebr. IX. 11. loquitur) *per amplius & perfectius tabernaculum*, quam illud templi Ieroſolymitani erat, quippe *non manufactum*, ſed a S. Spiritu ex virgineæ Matris carne formatum, per proprium ſcilicet corpus cruci affixum, *neque per ſanguinem hircorum aut vitulorum, ſed per proprium ſanguinem*, in cruce effuſum, *introivit ſemel in ſancta*, *æterna* mox *redemtione inventa*, *offerens ſemetipſum immaculatum DEO, & emundans conſcientiam noſtram ab operibus mortuis*. Cum enim *mortui eſſemus in delictis* (ad Coloſſ. II. 13.) *convivificavit nos, donans omnia delicta, ac delens*, *quod adverſum nos* omnes homines *erat: chirographum decreti, affigens illud cruci, & expolians principatus & poteſtates* inferorum, *traduxit confidenter, palam triumphans illos in ſemetipſo*. Et tibi quidem, Iudæe! crux iſta IESU Chriſti ſcandalum creat; quia Myſterium illius ac fructum non intelligis: quodque ille tui inprimis amore tam acerba pertulerit, tantumque ſe ipſum abiecerit; eo ipſo vilis tibi & abiectus videtur. Quidſi vero hæc omnia illum ſponte ſua tuliſſe, a nemine ſecus cogendum, quidſi ſuo arbitrio his omnibus ſe expoſuiſſe, ſuaque unius electione animam ſuam & poſuiſſe, & iterum reſumſiſſe, intelligeres? An non maius aliquod revera tibi ac tuæ nationi, imo humano generi univerſo, præſtitum ab eo beneficium, per redemtionem veram a peccato & a ſervitute dæmonis, per comparatam tibi DEI amicitiam, & cœleſtis regni iura vindicata, agnoſceres, libenterque profitereris; quam ſi temporali ſolum regno & felicitate gentem tuam ſolitariam beaſſet? Age itaque, ad hoc unum in IESU Chriſto explorando oculos converte; utrum Divinitatis ſufficientia indicia in eo

reperire

reperire ſit. Nihil enim tunc in comparatione divinæ eius magnitudinis defectus terrenæ gloriæ & regii apparatus detrahere gloriæ ipſius iam valebit; amor ex adverſo & benignitas communis Salvatoris noſtri DEI immenſum acquiret pondus.

Naſcitur parvulus iſte ex virgine Matre in Bethlehem, ſpecie vili quidem & paupercula, ſed mox DEUM illum fortem & patrem futuri ſeculi ſe probaturus, de quo Iſaias IX. 6, ſtella ſua magos gentilium ad præſepe, numen adoraturos ſuum, vocat; ſicque primitias gentium iam tum ſibi conciliat, queis pleno ſplendore lumen Evangelii paulo poſt erat affuſurus. Tempore adveniente, quod prædicando huic Evangelio præſtitutum erat, magnus ille Ioannes Baptiſta omnibus, a quibus ipſe nunc pro novo Elia, nunc pro Meſſia ipſo habetur, hunc IESUM ceu verum Meſſiam, & agnum tollentem peccata mundi, ſui loco extenſo digito commonſtrat; cuius ipſe *non eſſet dignus corrigiam calceamenti ſolvere.* Ioan. I. 27. IESUS ipſe, novi fœderis initium & Eccleſiæ ſuæ fundamenta poſiturus, verbo unico vocat duodecim piſcatores, eosque ceu primos divinitatis & rerum omnium ſuarum teſtes, arcto amicitiæ vinculo ſibi adiungit. Percurrens inde omnem Iudæam, omnia illius loca benefactis ſuis replet, ſanans omnes infirmos, & peccatoribus peccata remittens, auctoritatemque una ac manſuetudinem cunctis oſtentans, quantam nemo alius uſquam ante ipſum. Annuntiabat quidem altiſſima myſteria, ſed excellentibus eadem miraculis confirmabat. Suadebat virtutes excellentiſſimas, ſed ad exequendas easdem præclara lumina, exempla eximia, & valida auxilia, ſubminiſtrabat, omnibus ſe ipſum exhibens verbo & factis quaſi *unigenitum* DEI *Patris* filium, *plenium*

gratia

gratiæ & veritatis. Io. I. 14. Omnia in ipſo congruunt, vita, doctrina, & miracula, ad eandem veritatem, comprobandam, videlicet, quod ſit Magiſter humani generis & exemplar perfectionis. Solus ipſe in media turba hominum vivens, & omnium cenſorum oculis expoſitus, abſque periculo exprobrationis dicere potuit Ioan. VIII. 46. *quis ex vobis arguet me de peccato?* Et ibid. v. 12. 29. item IV. 34. *Ego ſum lux mundi. Cibus meus eſt, ut faciam voluntatem eius, qui miſit me, patris: & qui miſit me, mecum eſt, & non reliquit me ſolum; quia ego, quæ placita ſunt ei, facio ſemper.* Miracula ipſius extra communem ordinem ſunt, & proprio omnia beneficentiæ charactere ſe diſtinguunt. Vulgo illa non ad terrorem, ſed ad ſolatium & emolumentum hominum fere omnia ordinantur, nec tantum potentiæ, quantum bonitatis in ipſo oſtentant. Venti & mare, dæmones & morbi, ipſius imperio obediunt; verbo ipſius cæci lumen, mortui vitam, veniam peccatores recipiunt. Principium tam ſublimium effectorum in ipſomet ineſt, & de ipſo tanquam fonte ſcaturiunt: *virtus de illo exibat, & ſanabat omnes.* Luc. VI. 19. Potens ſermone & opere (Luc. II. 4. 19.) *docebat* ubique *tanquam poteſtatem habens, ſtupentibus* cunctis *ſuper doctrina eius.* Marc. I. 22. Non iam de mercede temporali iuſtis ac DEI filiis propoſita loquitur, ſed vitam ſuis omnibus diſcipulis futuram commonſtrat, cuius intuitu & deſiderio omnia iſtius vitæ bona fugientia contemnere ipſos docet. Crux & patientia ipſis velut hæreditas in hac terra, & cœlum ipſum tanquam violentia & armis rapiendum, proponitur. Chriſtus ipſe, novæ iſtius viæ hominibus index idem eſt, ac anteceſſor primus. Veritatem ubique puram prædicans, hypocriſi & ſuperbiæ Phariſæorum & Doctorum legis non parcit: miniſterium

niſterium illorum nihilominus honorandum eſſe omnes commoneat. Hæc ipſa tamen libertas, ingentibus populi ſtudiis coniuncta, ſummorum Pontificum & Phariſæorum æmulationem atque invidiam in ipſum ita concitat, ut famæ ſimul ac vitæ ipſius palam inſidias ſtruant. His ille nihil motus, a priſtino in cives ſuos affectu & benefactis nihil remittit. Conſcius tamen ingratitudinis illorum, præſens iſtis ſupplicium, imminentem Ieroſolymæ ac templi ruinam, atque Iudæorum, veritati a ſe prædicatæ pertinaciter reſiſtentium, excæcationem ultimam cum fletu prænuntiat, atque una ſimul gentilium, in locum carnalium Iudæorum ſubeuntium, toto orbe converſionem. Sed neque rudes pugnas atque dura tentamina ſibi imminentia ſuos celat diſcipulos, uti nec violentas, perſecutiones, & adverſa ipſiſmet a propriis cognatis, fratribus, & amicis iuxta, atque a falſis fratribus & ſeductoribus, doctrinæ & nominis ſui cauſſa ad mortem uſque exantlanda: quibus inſuperhabitis & ipſis imperturbatam animorum pacem, patientiæ unius remedio conſervandam, & eccleſiæ ſuæ invictam uſque ad mundi finem perdurationem promittit. Vide §. 215.

Interim ſummorum invidia Pontificum, & æmulatio Phariſæorum, hunc divinum Hominem ad infame ducit ſupplicium. IESUS ultro ſuis ſe tradit tortoribus; accuſatus coram concilio Sacerdotum, iſtorum miniſterium ad finem usque honorat, ſummoque Pontifici legitime ſe interroganti præciſis verbis, ſe filium eſſe DEI, reſpondet. Exinde damnatus ad mortem infami in ligno ſubeundam, inter atrociſſima tormenta inſtar agni obmuteſcit, niſi quando, ſaturatus opprobriis & maledictis ab omni populo, circa crucem ipſius

plaudente, ad Patrem ſuſpiria & emorientes voces illas pro carnificibus ſuis mittit, quibus veniam illis cum excuſatione illorum ignorantiæ exorat. Ubi homo, ubi ſapiens, ubi fortis ille, qui ſic agere, ſic mori ſcit, ſine imbecillitate æque ac ſine oſtentatione, ut IESUS Chriſtus? Et vero non iſtam hominis eſſe mortem, ſed DEI, clamor probat, quem moriens emittit; naturæ totius motus, qui propediem conſequitur. Eccur enim ſol eodem tempore ipſo in plenilunio ſuum omne ſubducit lumen? cur tremit tellus? petræ ſcinduntur? mortuorum ſe pandunt ſepulcra? An ſic morientes homines naturæ imperant? Sed ſi parum tibi, Iudæe, eſt, IESUM eſſe naturæ Dominum, mortis ſaltem domitorem reverere. Ecce! devictis ille inferni cunctis Principatibus, ut prædixerat, die tertia ſe ipſum a morte reſuſcitans, vivum ſe ſuis diſcipulis exhibet, probatque multis argumentis, & vel maxime incredulos denique convincit. Vident illum, colloquuntur illi, tangunt, ac palpant: neque ſemel tantum, neque ſingillatim, ſed nunc ſinguli, nunc plures, nunc una quingenti. Poſtquam demum ille quadraginta dierum ſpatium illorum examini & alloquio ſe permiſit, ipſis intuentibus in cœlum abit. Porro piſcatores iſti numero duodecim, de illius Divinitate per tot argumenta convicti, & confiſi promiſſis, totius mundi convertendi negotium alacres ſuſcipiunt, prædicantes ubique legem eius carni tam inimicam, & ſermonem ſuum ſignis & prodigiis confirmantes. Inde continuo promiſſa IESU Chriſti, & vaticinia, impleri incipiunt; deiiciuntur idola, convertuntur gentes ad Dominum, obſtinantur Iudæi, evertitur Solyma, concidit templum, diſpergitur Iſraël per totum orbem, perdurat deſolatio a Chriſto prædicta in hanc diem poſt ſecula amplius ſeptemdecim;

decim; cum interim nomen IESU Chriſti a toto orbe adoratur. I, Iudæe! compara iam lucem iſtam gloriæ IESU Chriſti cum Meſſiæ illius magnitudine, quem carneo ſuo ingenio ſibi fingebant patres tui. Vide, an omnis belli heroum gloria, qui gentes armis ſubiugarunt, cum excellentibus IESU Chriſti virtutibus, cum doctrinæ ſanctitate, cum prodigiorum Maieſtate & potentia, cum ſcientiæ demum eius prorſus divinæ theſauris, venire in comparationem poſſit. Ecćur itaque crux ipſius & ſpontanea abiectio ſcandalum tibi eſt, quæ altiſſimarum virtutum inſtitutio & exemplum tibi eſſe deberet? Ecce! modeſtia, ſubmiſſio, patientia, fortitudo omni more humano maior, ſanctitas omnis minimæ labis expers, manſuetudo invicta, virtus operum & ſermonum vere divina, poteſtas denique in innumerabilium hominum, per omnes orbis noti provincias ſparſorum, animos, non niſi in iſtorum ſalutem ſeſe per tot iam ſecula exſerens, & haud dubie ad mundi uſque finem ſe exſertura, ecce hæc eſt gloria illa, qua circumdatus in mundo verus hic Meſſias comparuit? Salus denique, non brevis & cum vita fugiens, ſed beatitas æterna cum DEO communis, hoc regnum eſt, quod primo quidem Iudæis & popularibus tuis, ſed deinde inſuper omnibus electis ex cunctis nationibus, præparavit. O quam magnus eſt Meſſias iſte omnibus, qui alios quam carneos habent oculos! Næ tu itaque totus caro es, ſi nihil dignum Meſſia, nec maius quidquam homine, in IESU Chriſto videas.

§. 233.

IESUS Chriſtus Moiſe infinitis partibus excellentior eſt, & ipſis Iudæis illo pretioſior eſſe deberet.

 Dem.

Dem. Perſonam Moiſis, legem, beneficia ab eo collata populo ſuo, cum Perſona IESU Chriſti, cum huius lege, & benefactis, comparare oportebit, ut iſtius præ illo excellentia & pretium ſua in luce collocetur. *PERSONÆ* prærogativæ ſunt dignitas, ſanctitas, poteſtas, ſapientia. Nemo iverit inficias, maxima hæc omnia in Moiſe fuiſſe: attamen citra comparationem minora quam in IESU Chriſto. *Moiſes ſervus* quidem *in domo DEI fideliſſimus* a DEO ipſo Numer. XII. 7. nominatur: at de IESU Chriſto DEUS ipſe palam voce de cœlo data poſt eius baptiſmum teſtatur: *hic eſt filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui.* Matth. III. 17. Moiſem teſte Eccleſiaſtico XLV. 2. DEUS *ſimilem fecit in gloria ſanctorum;* at non omnis tamen is expers peccati fuit *ad aquam contradictionis* Numer. XX. 12. IESUS contra cum confidentia inimicos ſuos palam provocat Ioan. VIII. 46. *quis ex vobis arguet me de peccato?* Moiſen *magnificavit* DEUS *in timore inimicorum, & glorificavit in conſpectu regum.* Ecclci. l. cit. IESUM ut filium DEI verentur dæmones, & potentiam eius contremiſcunt Luc. IV. 41. & VIII. 32. item Marc. V. 11. Angeli autem boni eum adorant recens natum Luc. II. 14. & eidem in deſerto miniſtrant Matth. IV. 11. Magi ab oriente coram eo procidunt, & adorantes munera ſua deferunt Matth. II. 1. Gentes demum univerſæ & reges terræ in nomine eius genua flectunt. *Non ſurrexit ultra propheta in Iſraël ſicut Moiſes, quem noſſet Dominus facie ad faciem, in omnibus ſignis & portentis, quæ miſit per eum, ut faceret coram univerſo Iſraël.* Deut. ult. v. 10. At IESUS Chriſtus, plus quam propheta, ipſe *lucem mundi* ſe fidenter appellat, *quam qui ſequatur, in tenebris non. ſit ambulaturus.* Ioan. VIII. 12. Ipſe mittit *Spiritum veritatis* diſcipulis ſuis, qui ipſum *clarifi-*

clarificet, & qui de ipſo lumen *accipiat.* Ioan. XVI. v. 13. & 14. Moiſes miſſum ſe a DEO per ſigna & prodigia oſtendit, quæ in virga DEUS per ipſum ut ſervum ſuum operatur. Deut. XI. 3. At IESUS *opera facit, quæ nemo alius fecit,* Ioan. XV. 24, & promittit eos etiam *maiora* adhuc *facturos, qui in ipſum credituri ſint,* & omnia ſe ipſum ut DEI filium facere affirmat, quæ DEUS Pater efficit Ioan. V. 19. Moiſes denique DEI nomen filiis Iſraël annuntiat Exod. III. 14.: at IESUS, uti Paulum, ſic omnes ſuos diſcipulos mittit, *ut portent nomen* ipſius *coram gentibus, & regibus, & filiis Iſraël.* Act. XIX. 16. Recte itaque vobis pridem Apoſtolus Paulus, ô Hebræi ſcripſit Hebr. III. 5. *Et MOISES quidem fidelis erat in tota domo eius* (DEI) *TANQUAM FAMULUS, in teſtimonium eorum, quæ dicenda erant: CHRISTUS autem TANQUAM FILIUS* (DEI) *in domo ſua: quæ domus ſumus nos; ſi fiduciam & gloriam ſpei uſque ad finem firmam retineamus.*

Sed LEGEM MOISIS CUM LEGE IESU CHRISTI iam CONFERAMUS. Paucis utriusque diſcrimen idem Paulus ad Hebr. VII. 18. & 19. adnotavit. *Reprobatio*, inquit, *fit præcedentis mandati propter infirmitatem & inutilitatem: nihil enim ad perfectum adduxit lex: introductio vero melioris ſpei* (id eſt, novæ legis) *fit, per quam proximamus ad DEUM.* Populus *duriſſimæ cervicis* (Deut. IX. 6.) & *incircumciſis cordibus* (Ierem. IX. 26.) erat Iſraël, cui legem DEUS per Moiſen dederat, & pronus ad idolatriam ſeu cultum DEI ſenſibilis & corporei. Huius ergo populi crudo genio tota lex attemperatur. Ut *unius DEI* idea menti eius imprimatur, locus unicus in terra promiſſa futurus a Moiſe prædicitur, in quo ſolo DEUS ſacrificia & cultum publicum ſuſcepturus ſit. Interim

vero, donec eo introducatur populus, tabernaculum, quaſi templum mobile, filiis Iſraël Moiſes conſtruit, coram quo vota DEO cœli & terræ faciant. Huic totius religionis principio, ceu fundamento lex tota ſuperſtruitur, lex ſancta, iuſta, benefica, honeſta, ſapiens, provida, & ſimplex, colligans ſocietatem hominum per vincula religioſæ ſocietatis cum DEO. Adduntur cærimoniæ innumeræ externæ, maieſtate plenæ, & feſti dies inſtituuntur ad prodigiorum DEI & beneficiorum acceptorum memoriam revocandam ſervientes. Apponuntur (quod nemo alius legislatorum humanorum facere ante Moiſen auſus eſt) promiſſa certa & ſolennia de affutura proſperitate, quamdiu populus DEO fidelis & obediens legi futurus eſſet, & de certo certius ſecuturis malis & pœnis gravibus, ſi idem DEO perfidus ab obſervatione legis eſſet defecturus. Sed demum hæc tota lex virtutem introducendi in illam alterius vitæ cœleſtem patriam tam parum per ſe ipſam habebat, quam parum ipſe Moiſes, ob *diffidentiæ* peccatum introducere Iſraëlem in promiſſam terram Palæſtinæ poterat. IESU (quod nomen Ioſue reipſa commune cum Meſſia erat) id eſt, Servatore Meſſia, opus erat, qui reipſa electos, Iſraëlitas nempe ſpirituales (non carnales illos, ad ollas Ægypti anhelantes) devictis hoſtibus, quorum vis cœli ingreſſui obſtare poterat, in æternæ vitæ beatam regionem introduceret. Tota legis Moſaicæ virtus ad hanc æternam vitam comparandam, iuxta atque omnium aliarum gentium (uti Iobi illius celeberrimi) expectatio ſalutis ſola redemtoris illius *ſpe & fiducia* nitebatur; quem DEUS Gen. III. 14. iam communibus hominum omnium parentibus promiſerat, caput videlicet ſerpentis inimici contriturum, qui eiectionis e paradiſo & iacturæ

ſturæ divinæ amicitiæ omnibus cauſſa fuerat. A ſe ipſa lex illa Moiſis non habebat proprie niſi promiſſa mercedis temporalis; ſicuti nec pœnas, niſi temporales iſtius vitæ, transgreſſoribus comminabatur. Et vero, tametſi negari nullo pacto queat, Moiſen quædam ſaltem obſcura argumenta de animorum humanorum immortalitate in Pentateucho ſuo conſignaſſe, ut quando hominem factum ad imaginem DEI, & inſufflante DEI ſpiritu animatum Gen. I. 26, & Gen. II. 7. ſignificavit; aut cum Patriarcha Iacob deſcenſurum ſe ſub inferos ad filium ſuum Ioſeph dictitat, quem mortuum credebat; aut cum DEUS ſeipſum DEUM Abraham, Iſaac, & Iacob Exod. III. 6. appellat, non mortuorum utique, ſed viventium; aut denique cum Iacobus ſurrecturum ſe de terra ad videndum in carne redemtorem ſuum confidit; (cuius hiſtoriam Moiſen item ſcripſiſſe veriſimile eſt) nihilominus fides de promiſſa æterna felicitate, aut intentata pœna æterna, tam parum dogmatica, & legis Moſaicæ pars, vel articulus proprius erat, ut non niſi traditione a Patriarchis accepta, ceu commune omnibus gentibus dogma, cuſtodiretur, & Sadducæi, etſi illam ſolenniter abiudicarent, non ſolum admitterentur publice ad Synagogam, ſed nec a Sacerdotio idcirco excluderentur. Proprius itaque legis IESU Chriſti character eſt, quod hæc pro fundamento religionis iaciat fidem alterius vitæ immortalis beatæ; cuius etiam indolem ſolus IESUS Chriſtus clare nobis explicavit, dicens Ioan. XVII. 3. *Hæc eſt autem vita æterna, ut cognoſcant te ſolum DEUM verum, & quem miſiſti IESUM Chriſtum*, clara ſcilicet viſione, *a facie ad faciem*, uti Apoſtolus Paulus I. Cor. XIII. 9. & 12, & Ioannes Evangeliſta I. ep. III. 2.; ex ore Magiſtri ſui explicant; quæ ſcilicet viſio in nobis perficiat,

Digitized by Google

ciat, & abſolvat imaginem DEI, ita, ut *ſimiles ei futuri ſimus; quoniam videbimus eum, ſicuti eſt.* Secuturus ex hac viſione amor immenſus, & gaudium inexplicabile, triumphis & laudibus DEI perpetuis coniunctum (ut idem S. Ioannes in Apocal. VII. 12. & XIX. 1. enarrat) quo cœleſtis illa Ieruſalem reduntatura ſine fine ſit miſerias omnes illo gaudiorum loco excluſas, & ſaturata omnia bonorum deſideria, abunde indicant. Lex, quæ ſcopum & fundamentum tam excellens habebat propoſitum, utique non ſoli idololatriæ eliminandæ, more illius Moſaicæ, intendebat, ſed pro magnitudine præmiorum excelſas quoque virtutes, multoque puriores perfectioresque docere debebat. Moiſis præcepta fere non niſi in externo religionis cultu dirigendo, vel politia civili verſantur; præcepto interim amoris DEI ſemel tantum in tota lege, nempe Deut. VI. 5, expreſſo. Intimas cordis diſpoſitiones nullas Moiſes præſcribit, in exterioribus tantum corporis ritibus ac ceremoniis ſe continens. DEUS ipſe plerumque ſpecie ad ſeveritatem, minas, ultionem, maieſtatemque compoſita exhibetur. IESUS Chriſtus ex adverſo primum religionis principium, animam omnium virtutum, & totius legis ſuæ compendium unam caritatem DEI ſupponit Matth. XXII. 38, quam uſque ad ſui odium & plenam renuntiationem progredi in ſua perfectione cupit Matth. XVI. 24. Proximum a caritate DEI præceptum de proximo inſtar ſui ipſius diligendo ſtatuit, nullo uſquam homine, ne inimico quidem & perſecutore excepto. Vide iam dicta de his §. 110. & ſeqq. Hoc caritatis iacto ſemel fundamento, omnes vitæ humanœ ſtatus exinde perfectiores reddidit. Polygamia, & libello repudii ſublatis, iſtius virtutis ope *matrimonium* ad formam primigeniam revocavit, ita, ut

ut nec amor coniugalis divideretur deinceps in plures, nec liberi, germana matre proſcripta, novercam pati cogerentur; tam ſanctis vinculis non alio quam ipſius vitæ fine conſtituto. *Cælibis vitæ* ſtatum vitæ angelorum æmulum, & DEO caſtique ipſius amoris deliciis unice occupatum exemplo IESUS Chriſtus ipſe ſuo monſtravit. *Qui* aliis *præſunt*, ſervos ſeſe devovere aliorum bono docuit, & eos, qui *ſubditi* ſunt, DEI vocem in legitima ſuperiorum poteſtate, etiam cum iſta abutuntur, ex æquo revereri. Addidit his præceptis *conſilia Evangelica*, quibus eminentiſſima totius virtutis humanæ perfectio abſolvitur. At demum lex maxime omnium IESU Chriſti Evangelio propria eſt, quæ *crucis non tolerantiam modo, ſed amorem* commendat. Crux vera fidei probatio, verum ſpei fundamentum, & puriſſimæ caritatis perfectio, verbo, cœli breviſſima eſt via; quam primus IESUS Chriſtus verbo & exemplo docuit, & monſtravit. Crucem portavit ipſe per omnem vitam, in cruce ipſe eſt mortuus, ad crucem ſequi ſe nos omnes voluit, in eadem vitæ æternæ pretium conſtituit, nec ipſe aliter gloriam ingreſſus ſuam eſt, niſi per viam crucis; ut eius exemplo diſceremus, nec diſcipulis ipſius aliam iſtuc patere viam. Vide vero, ô Iudææ! ut abſolutiſſimæ virtutis in Chriſto ipſiſſima imago ſit, cuius cauſſa tu ab eo maxime abhorres. Nonne negotium Meſſia dignum erat, exemplo ſuo illuſtri perſpicuum facere hominibus, quod in afflictione extrema nec humano ſolatio, ac ne *ſenſibili* quidem ullo divini auxilii ſpecimine ſit probo homini opus; amor modo ſibi, & fiducia in eo conſtet; hoc uno ſatis fore ſecurum, quod DEI in ſe oculi intenti ſint, æternam ipſi felicitatem reſervantis. Sapientiſſimus Philoſophorum (Socrat. apud Plat. Dial. II. de Rep.)

effingendæ germanæ virtutis ideæ intentus, ſtatuebat: quemadmodum is foret malorum omnium nequiſſimus, qui ita contegere ſcelus noſſet, ut & homo probus palam haberetur, & honore, quem virtutis opinio affert, conſtanter frueretur; ita ſine dubio illum virtute omnium maxime excellere oporteret, cui virtutis ſuæ perfectio extremam hominum invidiam conſciſcat, adeo quidem, ut præter conſcientiam nullum ei ſuperſtes ſit ſolatium, ſeque omnis generis obnoxium iniuriis cernat, imo & in mortis ignominioſæ anguſtias redactum; quin ſua ipſi probitas ad avertendum malum ultimum ullatenus ſuffragetur. Nunquid vero hæc perfectæ virtutis imago Philoſophi iſtius menti a DEO non eo ipſo ſine eſt impreſſa, ut, quando cum lineamentis ſuis omnibus perfectiſſime olim in perſona DEI Filii reipſa exprimeretur, diſcerent demum homines univerſi, aliam iuſto homini gloriam, aliam tranquillitatem, beatitatem denique aliam, quam quæ ſit præſentis vitæ, reſervari. Hoc ſane digniſſimum Meſſiæ negotium, hoc convenientiſſimum DEO Homini officium erat, exhibere mundo puriſſimæ iuxta atque abſolutiſſimæ virtutis ſpecimen, ſimulque ad ſummum æternæ felicitatis gradum per mala extrema viam mortalibus demonſtrare. Quid quod Moiſes ipſe, etſi tam excelſæ virtutis principia rudi populo operoſius inſtillare ſupervacaneum duceret, ſummo tamen eam in pretio habuerit, & experimentum illius non leve ceperit. Etenim in aula Pharaonis a teneris educatus, cum provectior ætate vix de gente ſua audiiſſet, *negavit ſe eſſe filium filiæ Pharaonis, magis eligens affligi cum populo DEI, quam temporalis peccati habere iucunditatem, maiores divitias æſtimans theſauro Ægyptiorum improperium*, quod ſuſtinebat gens ſua, ob promiſſionem, quæ huic facta

ſta fuerat a DEO, de Meſſia ex ea naſcituro. Vide Exodi II. 11. & Ep. ad Hebr. XI. 24. Guſtavit vero ille deinceps abunde de amaro afflictionis calice tum in præcipiti fuga ſua in terram Madian, tum in quadraginta annorum ſecuto exilio: ad fundum vero uſque fœces eius exhauſit, cum electus ad liberandum populum ſuum, continuas iſtius ſuſtinuit ſeditiones, in dies vitæ propriæ incertus. Didicit experimento, quanto labore filiorum DEI redemtio conſtaret, quantoque maiore Chriſto multo excellentior totius mundi redemtio aliquando ſtatura eſſet. Quam turpi itaque indicio tuam, ô Iudæe, cæcitatem prodis, ſi, quod excellentiſſimæ virtutis in Chriſto exemplum & prototypon eſt, & aliquo ſaltem gradu, etſi multo imperfectiore, SS. Patriarchis & Prophetis antiquæ legis omnibus commune, in eodem tanquam viliſſimæ abiectionis notam ſtolide abhorreas, & averſeris. Adde demum, legem Moiſis a natura ſua ita eſſe conſtitutam, ut uni tantum, non ſimul pluribus, multoque minus omnibus mundi nationibus communis eſſe poſſit. Unicum illa templum, unum locum, Ieroſolymam videlicet, admittebat, in quo collectæ omnium fidelium turbæ gratum DEO cultum & ſacrificia accepta exhibere conceſſum eſſet. Circumciſio ipſa nota erat diſtinctionis ab omni alia gente, quæ Abrahamum primum parentem non haberet. Cum itaque Meſſiæ omnes *gentes in hæreditatem* dandæ a DEO eſſent (Pſal. II. 8.); durare lex illa ultra iſtius adventum haud plane poterat. Chriſto IESU econtra, & ipſius legi, reipſa omnes gentes ſubiectæ ſunt, eademque uſque ad conſummationem ſeculi duratura eſt. Aſcendens ille ad cœlos, diſcipulos ſuos Matth. XXVIII. 19. his verbis alloquitur: *Data eſt mihi omnis poteſtas in cœlo & in terra: euntes ergo docete*

omnes

omnes gentes, - - docentes eos ſervare omnia, quæcunque mandavi vobis. Et ecce ego vobiſcum ſum omnibus diebus uſque ad conſummationem ſeculi.

Demum *BENEFICIA* a Moiſe populo Iſraël collata præter legis inſtitutionem ad iſta univerſe reducuntur, videlicet quod liberator illius ex ſervitute Ægyptiaca; quod mediator pacti & fœderis, inter ipſum & DEUM ad montem Sinai initi, extiterit; quod duxerit illum per deſertum uſque ad confinia Palæſtinæ; quod denique pro ipſorum peccatis apud iratum Numen interceſſor factus, gravia ab eis ſupplicia averterit. At denique omnia hæc beneficia non niſi temporalia erant, & cum vita Iſraëlitarum finiebantur. Ipſum DEI fœdus non niſi temporalia ferebat promiſſa. Pœnas, quas deprecatus a ſuo populo Moiſes fuerat, ibidem non utique æterna illa fuit, quæ ex reatu peccati oriebatur, ſed mere temporales. Contra vero IESUS Chriſtus non unum Iſraëlis populum, ſed humanum genus univerſum, a captivitate dæmonis, non temporali tantum, ſed æterna, liberavit, in quam Adami parentis peccato inciderat, & per mare mortuum peccati traductum, ceu auctor novi fœderis DEO reconciliavit, monſtrans illi verbo & exemplo ſuo per deſertum iſtius mundi, & per ipſa graviſſima adverſa, viam rectam, non ad Palæſtinam terreſtrem, ſed ad cœleſtem illam Ieroſolymam; ad quam ipſe, aſcendens ſuper omnes cœlos præceſſit, ſedensque ibi ad dexteram DEI Patris, continuo ipſum interpellat pro venia peccatorum noſtrorum, offerens ſe ipſum illi propitiationem pro illis, & exhibens infinita merita illius cruenti ſacrificii, quod de ſe ipſo in monte Calvariæ in cruce pro nobis omnibus moriens peregit.

Quacun-

Quacunque ergo ex parte IESUM Chriſtum conſideres, multo is tibi Moiſe tuo excellentior, ô Iudæe, & pretioſior videri debet, ſi talem illum agnoſcas, qualem ſe per miracula & prophetias vere divinas ipſe probavit. Non itaque ob vilitatem abiicere illum potes; ſed potius, an revera tam magnum ſe per prodigia & ſigna ſufficientia probaverit, quantus haberi ab omnibus voluerit, attento examine perquiri a te oportet. Tantum ne terreſtrem præciſe magnitudinem a Meſſia vero expectes velim; & nihil non dignum illo, imo nihil non dignum ipſo vero DEI Filio, in Chriſto Domino deprehendes.

§. 234.

IESUS Chriſtus unicum ſolidum fundamentum eſt gloriæ totius Iudaicæ nationis. DEM. Tolle IESUM Chriſtum, aut, non eſſe illum vere DEI Filium, verumque Meſſiam, pone: & nec Patriarchæ illorum erunt Meſſiæ protoparentes, nec Prophetæ veraces, imo totæ illorum Scripturæ non niſi farrago quædam inanium fabellarum & ſomniorum erunt, ſibique ipſæ paginis omnibus ita contradicentes, ut verus earum ſenſus intelligi nullo pacto queat. Non erunt vere benedicendæ in ſemine Abraham omnes nationes terræ; quoniam Moiſi eidem iſtud prædicanti in cap. XII. Gen. tam parum fides habenda, quam cap. XLIX. ex ore Iacobi morientis nuntianti, non auferendum ſceptrum de tribu Iuda; antequam veniat is ipſe, in quo tanquam ſemine Abrahami benedictio illa gentibus ſuperventura ſit. Prophetæ ad unum omnes non erunt niſi vani declamatores, ſententias ſermonibus imperitis & obſcuris involventes, ita, ut, quid affirment, quid enuntient, intelligi uſquam, ac certo evolvi nequeat. Et quoniam

Scri-

Scripturæ omnes id genus prophetiarum plenæ ſunt; quidni de fide illarum univerſa, tanquam exaratarum ab hominibus errantis & heterocliti ingenii, plurimum detrahatur? Sacrificia quoque, & religionis ille Iudaicæ totius ampliſſimus apparatus, quid erunt denique niſi inanes cerimoniæ, ſine alio Sacramento, & ſine omni religioſa ſignificatione; niſi quæ ad temporalia illa divinitus accepta ab ea gente beneficia referatur. Quamquam de his ipſis iuxta atque de divina rituum illorum inſtitutione non immerito quis poſt tot inanes prophetias dubitet, quibus nunquam reſponderit eventus. Pone enim, vel unicæ IESU Chriſti prædictioni eventum huc uſque defuiſſe; nonne eo maxime argumento fidem eius univerſam in ceteris etiam prodigiis & prophetiis ſuſpectam orbis haberet univerſus? At vero quamprimum Chriſtum IESUM verum DEI Filium, qualem ſe ipſe dixit, & verum Meſſiam Iudæorum patribus promiſſum eſſe recipimus, quem ſe tantis miraculis, tam irrefragabilibus prophetiis, tanta iuxta doctrinæ ſapientia ac vitæ ſanctitate, apertiſſime comprobavit: proh quantus in omnem illam veterem Iudæorum nationem gloriæ ſplendor illico refunditur! Tota illius populi œconomia & hiſtoria viva quædam & admirabilis venturi Meſſiæ & orbis totius redemtoris prædicatio eſt. Populus ille per annos ſeſqui mille & amplius ex cunctis nationibus ſolus DEI electus populus eſt, cuſtos eius revelationum & promiſſorum, eius familiaritate eximius, ac magiſterio beatus. Patriarchæ iſtius feliciſſimæ gentis (qui ſecus haud multo amplius quid in univerſi oculis quam gregum paſtores haberentur) & omnes familiæ Davidis Reges, totidem Meſſiæ DEI Filii ſunt progenitores, Prophetæ viri cœleſti lumine

&

& ſcientia inclyti, & rerum poſt mille annos eventurarum tanto antea intervallo minutim conſcii. Ipſi gentis heroes maxime eximii, Ioſephi Ægyptiaci, Ioſue, Davides, Salomones, præcipuis factis ſuis & vitæ adiunctis, facta & vitæ adiuncta præcipua Meſſiæ ſimilitudine myſtica repræſentant. Sacrificia demum & ritus omnes ſacro quodam ſignificatu corda ad ipſius expectationem præparant. Denique ex eadem ter felici natione Meſſias toties promiſſus tempore ipſiſſimo, & cum diverſis omnibus Prophetarum eius prædictionibus apprime conſentiente, reipſa naſcitur, vitæ totius ſerie omnes ad unam prophetias implens. Diffunditur demum ex hac ipſa gente cum Meſſiæ benedictionibus ſalus in omnes nationes ceteras; &, tametſi, ſecundum tenorem prophetiarum, gens ipſa Iudaica ob reiecti Meſſiæ crimen ſub ipſum eius adventum reprobetur; tamen a ruina ultima reſurgendi ſpes æqua eidem ſupereſt, ſi communibus animis cum ceteris orbis nationibus IESUM Chriſtum, ceu verum Meſſiam, agnoſcendo, & pro meritis colendo, communium quoque redemtionis eiusdem fructuum participem ſe efficiat. Si IESUM Chriſtum tollas, quædam forte in gente Iudaica DEI benefacta temporalia numerare poteris, at nullum privilegium, quod æternitatem concernat, neque illi genti proprium, neque cum ulla natione alia commune. At IESUS Chriſtus Meſſias verus promiſſis ac bonis æternis & ſpiritualibus mundum implet, & expectatione totum accendit, legem ipſam Moiſis ex mere ſenſuali ſpiritualem efficit, idemque divinitatis ſeſe orbi manifeſtantis lumen per omnes Scripturas ſimul ac mundi ætates diffundit, quod cum Patriarchis exoritur, ſub Prophetis multo adhuc illuſtrius fit, ſub IESU Chriſto denique plena meridie ſplendeſcit.

* Ecce! mi Iudæe! quales excellentias in Meſſia requirere & obſervare maiores tuos decebat. At illi terrenis pleni cogitationibus & deſideriis, neſciebant cœleſtes magnitudines æſtimare, quas unas dignas ſeſe Meſſias DEI Filius habebat, ut ſuis diſcipulis & ſequacibus diſpertiretur. Et vero ex univerſa hac IESU Chriſti magnitudine facile iam & illud intelliges, quantum ſcilicet crimen Patres tui occidendo ex ſola invidia virum hunc commiſerint; in quo tanta divinæ Miſſionis & veri Meſſiæ indicia publice fulgerent: quamque dignos ſe hoc ipſo flagitio illi fecerint ſupplicio, quo paulo poſt univerſa tua natio miſere eſt involuta. Quoniam tamen ſæpe vexatio, præſertim diuturna, dare intellectum ſolet; quid poſt tanta cæcitatis maiorum tuorum experimenta te ſaltem ex illorum malo ſapere impediat? Præſertim cum ſublato omni crucis opprobrio, IESU Chriſti gloria ſolis inſtar in toto orbe inde a tot ſeculis iam reſplendeat.

** At nempe alio ex prætextu poſteriores ac hodierni Iudæi IESUM Chriſtum agnoſcere Meſſiam detrectant. Defectum regni & temporalis gloriæ ſatis compenſatum in Chriſto per alias excellentias ipſimet hodie intuentur. Alio itaque longe ex argumento ipſi, quam eorum Patres, hodie illum reiiciunt. Negant videlicet, illarum Prophetiarum ullam de Meſſia intelligendam eſſe. Expectatione plusquam ſeſqui mille annorum feſſi, ac deſperato eius adventu, prorſus a Patrum ſuorum ſententia diſcedendum ſibi arbitrati ſunt: Et quis omnes næniás & nugas enarret, quas excludendis omnibus illis vaticiniis excogitarunt. At ſatis iſthas omnes refutabimus, ſi originem earum, & a veterum Iudæorum communi ſententia diſſonantiam oſtenderimus.

§. 235.

Veteres Iudæi, tum Chriſto coævi, tum qui propius poſt ipſum vixere, communi ſententia Prophetias ſupra

ſupra ex Scriptura veteri allatas de Meſſia intellexere ſecundum eundem ſenſum, quo nos Chriſtiani vulgo accipimus: nec niſi deſperatione adacti poſteri illorum ad alienos prorſus a veterum mente ſenſus eas tranſtulere. Aſſertio iſtius facti ex hiſtoria eſt *DEMONSTRANDA.* Quod tamen, antequam fieri queat, de antiquis Iudæorum libris & monumentis quædam hiſtorica prænotanda ſunt.

* Antiquiſſimi omnium libri poſt Scripturas haud dubie apud Iudæos ſunt *Paraphraſes Chaldaicæ,* Ionathæ & Onkelos adſcribi ſolitæ, quæ tanquam commentarii cum ipſis Bibliis imprimi ab eis conſuevere.

** Poſt iſtos non alius apud Hebræos celebrior liber Thalmude. *Thalmud* idem eſt ac *doctrina,* ſeu *diſciplina,* eſtque liber, qui Iudæorum doctrinam, leges, & cerimonias exponit. Conflatur ille ex duabus partibus, ſcilicet Miſchna & Gemara. *Miſchna* compelctitur omnes illas traditiones, quas quidem Iudæi contendunt a DEO fuiſſe revelatas, non tamen in S. Scriptura conſignatas. *Gemara* eſt ingens farrago interpretationum & deciſionum, quas Rabbini plures per modum gloſſarum Miſchnæ addiderunt. Thalmud totum in 6 *Sedarim,* ſeu tractatus, diſpeſcitur: Imus agit de agricultura, II. de feſtis, III. de coniugiis, IV. de cauſis forenſibus, V. de Sacrificiis, VI. de puris & impuris. Tractatus I, V, & VI. in vulgari editione hodiedum fere omitti ſolent; eoquod obſervari non poſſint. *Origo Thalmudis* ad annum 150. poſt excidium Ieroſolymæ refertur. Tunc enim Rabbi IUDAS omnes traditiones eo uſque oretenus tantum conſervatas in volumine aliquo conſignavit, & *Miſchnam,* id eſt, repetitionem, appellavit. Hoc volumen ſeculo III. a Rabbino IOCHANAM Ieroſolymitano reformatum, & auctum: denique circa finem ſeculi V. a Rabbinis Babylonicis ASSE & MAIR recoctum, plurimisque interpretationibus ampli-

ſicatum fuit. Quamdiu unita ſteterat Eccleſia Iudæorum, prohibitum credebatur, traditiones illas ſcripto conſignare. Cum vero poſt excidium templi & gentis diſperſionem impoſſibile videretur illas oretenus ſolum diutius conſervari, prohibitione illa ſe exemtos rati, conſcribere & prælegere omnibus in ſcholis *Miſchnam* cœpere. Duæ autem illis erant ſcholæ principes, & veluti Academiæ, altera Ieroſolymis pro occidentalibus, Babylone (quæ eſt Cairus, ſeu Babylon Ægyptiaca) altera pro orientalibus. Quælibet harum ſcholarum Miſchnam ſuis explicationibus & diſputationibus illuſtratam edidit. Hinc *Thalmud* aliud *Ieroſolymitanum*, aliud *Babylonicum* emerſit: prius illud breve eſt, implexum, & obſcurum; alterum hoc vero copioſum, & fere unicum in uſu. Vix erit Iudæus, qui id non legerit, imo qui non plura inde memoria ſua teneat. Vide Clericatum Deciſ. 24. de Sacrif. Miſſ. & Cherubinum Biblioth. crit. T. I. p. 395, & T. III. p. 613. His præmiſſis.

Certum eſt 1mo. *Prophetiam Iacobi* in ſenſu ſupra §. 225. explicato intellectam de venturo Meſſia a Paraphraſte utroque Chaldaico, Onkelos, & Ionatha, ut in Polyglottis,, in quibus paraphraſes illæ textui hebraico ſubduntur, videre eſt. Conſentit iſtis in Thalmude Ieroſolymitano Rabbi Iochanan, Rabbi Schela, cum ceteris Tract. Sanhedrim c. 11. Conſentiunt quoque omnes Rabbinorum in Gemara interpretationes. Fatentur Rabbini in eodem Tract. Sanhedrim, ab illo tempore, quo Herodes primus Rex omnes principes Synedrii, excepto Samea interfeciſſet, ipſumque Senatum aboluiſſet, iam non ſe habere principem, ablatumque eſſe ſceptrum de Iuda; uti ſcilicet Iacob prædixerat.

2do.

2do. Quod Danielis Vaticinium attinet; quemadmodum ſeptuaginta hebdomadarum terminus reipſa cum fine quarti millenarii exiſtentis mundi admodum propingue congruit; ita vetus erat inter Iudæos traditio, Meſſiam verſus finem huius quarti millenarii, & bis mille annos circiter poſt Abraham venturum. Elias quidem inter Iudæos celeberrimus, a Propheta tamen cognomine diverſus, iam ante Chriſtum natum iſtud diſerte prædixerat, cuius prædictionis memoria in Thalmude, & quidem in Gemara Tract. cit. Sanhedr. cap. 11., item conſervata eſt. Subdunt vero Rabbini, fruſtratos ſeſe ſpe ſua; ſuaque peccata obſtitiſſe, quo minus condicto tempore reipſa Meſſias advenerit. Ioſephus quoque Iudæus, ut ex eius lib. 10. antiq. cap. ult. compoſito cum cap. 4. lib. 7. de bello Iud. manifeſtum eſt; Ioſephus, inquam, probe item advertit, ob finitas iam Danielis hebdomades, Tito Ieroſolymæ imminente revera eius ruinam ultimam inſtare. Attamen illud obſervare aut neglexit, aut fateri erubuit, a Gabriele prædictum Danieli, adventum & mortem Meſſiæ ante ruinam iſtam præceſſurum, Qui Ioſephum ſecuti ſunt Iudæi, defectum iſtum ſuppleturi, Agrippam obtruſere pro Meſſia per Danielem prædicto; quippe quem Romani paulo ante excidium Solymæ occiderint. Ita Salomon Iarchi & Abravanel fabulantur; quos præceptores Rabbinorum non infimi ſequuntur. Vide Baſnag. in Hiſt. Iud. l. 6. c. 12. Interim certum eſt, Agrippam ſemper favore Romanorum uſum, bene ab iſtis habitum, & vitam uſque ad decimum quartum imperii Domitiani annum, hoc eſt, diu poſt ruinam Ieroſolymæ, extraxiſſe: id quod Chriſto Danielis non congruit. Vide Ioſ. de bell. Iud. lib. VII. Iuſtum Tiber. Biblioth. Photii cod. 33. Accedit his aliorum Rab-

 binorum

binorum veterum confeſſio. Nam in celebri Commentario in Geneſin, ſeu in *Bereſchit rabba* ad v. 18. cap. 14. de Melchiſedecho extat: *Rex Meſſias* eſt, de quo ſcriptum Danielis IX.: *ad adducendam iuſtitiam ſeculorum.* Rabbi Moiſes, filius Nachman, Gerundenſis in idem caput Danielis ait: *ſanctitas ſanctitatum eſt Meſſias ſanctificatus de filiis David.* Idem tradiderunt reliqui Rabbini; quorum teſtimonia ſuppeditant Raymundus Martini in Pugione fidei P. II. cap. 3. num. 16. & Hadrianus Fini lib. V. cap. 5. &c.

* Ceterum computus Hebræorum varii circa initium Hebdomadum Danielis, & earundem finem æſtimari nehili quidem debent; quippe quorum chronologia ob ſummam profanæ hiſtoriæ ignorantiam evidentibus erratis ſcatet. Neſciunt illi alios Perſarum Reges, præter illos quatuor, de quibus SS. Scripturæ mentionem inferunt, nempe Cyrum, Aſſuerum, Darium, & Artaxerxen.

3tio. Iidem Rabbini veteres textibus utrisque, quos ſupra §§. 220. 222. tum de regno Meſſiæ, tum de futuris eius doloribus & ignominiis retulimus, deſignari Meſſiam probe animadverterunt. Sed tam pugnantia in una perſona componi poſſe non credentes, duos diverſos Meſſias pro arbitrio finxere ſibi, unum quidem venturum plenum gloria, alterum abiectum & obrutum adverſis; iſtum moriturum & a morte reſuſcitándum, illum nunquam non victorem & triumphantem. Primo illi fortunato Meſſiæ tribuebant omnes textus, ubi de magnitudine futura, poſteriori autem eos, ubi de abiectione futura Meſſiæ ſermo eſt. Humilem illum Meſſiam e genere Ioſephi Ægyptiaci de tribu Ephraim, alterum illum gloria plenum ex familia David naſciturum ominabantur, obliti, Meſſiam

Meſſiam Davidis filium ab ipſo Davide protoparente ſuo Pſal. CIX. prædici, prius *bibiturum de torrente* afflictionum, ac tum demum *exaltaturum caput* ſuum. Fabellam hanc leges rurſus in Thalmude Tract. Succa & in Comment. ſive Paraphr. ſuper Cantic. cap. 7. v. 3. In eiusdem Thalmudis Tractatu ſæpius iam citato Gem. Sanhedr. cap. 11. dicitur, *virum* illum *dolorum, leproſum, percuſſum a DEO propter ſcelus populi ſui*, de quo nos ſupra §. 222. ex Iſaiæ cap. LIII. non alium futurum quam Meſſiam. Dolores, quos ei peccata noſtra adductura ſint, eodem in loco memorantur. Ibidem iterato ſermo eſt de humili iuxta & glorioſo ingreſſu, quo Meſſias ſuper aſina vehendus ſit in Ieruſalem, atque adeo celebris illa Zachariæ prophetia eidem applicatur; de qua ſupra §. 224. num. 7.

4to. Demum huc ſerviunt ea omnia, quæ ſupra §. 228. num. 3. enarravi de communi expectatione Meſſiæ, & rumore de eius adventu, qui ætate IESU Chriſti non Iudæam modo, ſed totum pæne Romanum imperium eſt pervagatus.

Hinc itaque factum, ut Apoſtolis IESU Chriſti allegata a nobis Prophetarum oracula prædicantibus, atque in IESU impleta demonſtrantibus, nemo unus illius ævi Iudæorum coram reſtiterit, contendens, nihil eorum ad Meſſiam pertinere; ſed id tantum obtrectatores oggerebant, omnia illa a IESU Chriſto, ceu mero impoſtore, aliena eſſe, aliumque ab eo Meſſiam porro eſſe expectandum, qui terreno imperio illuſtris a Romanorum iugo populum liberaret ſuum. *In eo tantam*, de ſua adhuc ætate inquit S. Hieronymus, Iudæorum in ſcriptis longe verſatiſſimus, Præfat. in Comment. lib. 6. Ierem. cap. XXX., *in eo tantum*

Iudæos inter & Chriſtianos certamen eſt, ut, cum illi, noſque, credamus Chriſtum DEI Filium repromiſſum, & ea, quæ ſunt futura ſub Chriſto, a nobis expleta, ab illis explenda dicantur,

At vero, qui deinceps ſecuti ſunt, Iudæi, cum ſe a Chriſtianis per ea Prophetarum ſuorum oracula perpetuo premi, ſimulque expectationem ſuam, qua in adventum Regis ſui Meſſiæ liberatoris intendebant, a ſeculo in ſeculum fruſtrari cernerent; nec moram iſtam, nec chriſtianorum argumentandi vim, porro ferentes, id ſibi ſumſerunt deinceps, ut apertiſſimos alioqui oraculorum ſenſus pro arbitrio, & contra Patrum & Magiſtrorum ſuorum ipſorummet ſenſa, ad alia flecterent, lites inſtituerent in verbulis, & neſcio, quas de Meſſia iuxta atque de IESU Chriſto fabellas ſpargerent; nihili quidem æſtimantes, quam exigua id veri ſpecie facerent; modo ſuis gentilibus ſic fucum aliquem, & Chriſtianis ſibi infeſtis negotium facerent.

Antonini quidem Imperatoris ætate nondum audebant eo omnino progredi, imo nec diffiteri abſolute, Meſſiam iam veniſſe actu. Tryphon certe Iudæus S. Iuſtino Martyri ad IESUM Chriſtum Meſſiam verum agnoſcendum hortanti (in Dialogo cum Tryph.) aliud non reſpondet, niſi in hæc verba: *quod ad Chriſtum attinet, ſi natus eſt, vel alicubi eſt, incognitus eſt, nec ſe ipſum novit, nec ullam habet poteſtatem; donec Elias venerit, qui eum conſecret, & toti mundo manifeſtet.*

Similiter in ipſo Thalmude Rabbi Iudas filius Levi (Gem. Sanh. cap. 11.) unus ex Iudæorum antiquiſſimis Magiſtris docet, *Chriſtum pro eo ac notatum a Prophetis eſſet, actu iam veniſſe, ſed occultari illum alicubi Romæ inter pauperes mendicos.* Id genus

nus ſomnia utique diu placere Iudæorum id ætatis ingenio non poterant, qui coacti demum fateri, Meſſiam, qualem ipſi expectaverant, tempore a Prophetis ſuis adnotato minime adveniſſe, in aliud extremum proſiliere. Parum aberat, ut expectationi Meſſiæ, qui tempori ſuo tamdiu deerat, renuntiarent penitus, compluresque eorum ſecuti ſunt famoſum quemdam Rabbinum ſuum, Hillel nomine; cuius quoque verba in Thalmude loc. cit. referuntur. Videns nimirum is, terminum adventus Meſſiæ iam pridem præteriiſſe, concludit, *Iſraëlitis Meſſiam porro expectandum non eſſe; cum donatus ipſis iam pridem in perſona Ezechiæ Regis fuiſſet.* Verum quidem eſt, hanc ſententiam inter Iudæos initio adeo non prævaluiſſe, ut potius communiter eam deteſtarentur: nihilominus, cum diſcernere alia tempora adventus Meſſiæ, a Prophetis clarius indicata, non valerent, nec alio modo extricare ſe a labyrintho iſthoc noſſent; articulum quaſi fidei his verbis in eodem Thalmude (Gem. Tr. Sanhedr. 11.) poſuere: *omnes termini adnotati pro adventu Meſſiæ tranſiere.* Indeque communi conſenſu pronuntiarunt: *maledicti, qui tempora Meſſiæ ſupputabunt.* Nihilominus etiam horum Rabbinorum auctoritati rurſus exeunte ſeculo undecimo æræ chriſtianæ ſe oppoſuit celeberrimus tunc Rabbinus Moiſes Maimonides, qui inter tredecim Iudaicæ fidei articulos hunc ultimum conſtituit: *Meſſias venturus eſt; quem, licet diu morantem, ſemper tamen expectabo, donec veniat.* Fabulæ demum recentiorum Rabbinorum pæne infinitæ ſunt; quin operæ pretium ſit, eas operoſius referre. Satis enim ex huc uſque dictis, & ex propriis antiquiſſimis eorum libris, comprobatum habemus, eundem prioribus Iudæorum Magiſtris nobiſcum ſenſum de Prophetarum oraculis proxime ætatem IESU

 Chriſti

Chriſti communem fuiſſe, nec niſi deſperationis quodam conſilio ac neceſſitate ad putida quævis commenta veritati ſubſtituenda, atque innata genti huic obſtinatione, perductos fuiſſe.

§. 236.

ANACÆPHALEOSIS DICTORUM PRO IUDÆIS. Ex dictis hactenus negari non poteſt, I. *Prophetias Scripturæ Iudaicæ ita omnes in IESU Chriſto impletas fuiſſe, ut vel negare omnino oporteat, eas Meſſiam aliquem deſignaſſe, vel admittere, eum non eſſe alium niſi IESUM Chriſtum.*

II. *Si reipſa eas in IESU Chriſto impletas ſumamus, omnia ſcripta legis veteris mire tum inter ſe tum cum eventu legis Chriſtianæ conſonant, nexusque rerum atque ordo admirabilis elucet ita, ut quater mille annorum ſeries & hiſtoria ad unum ſcopum, Meſſiam nempe, eundem IESUM Chriſtum perpetuo collimet.*

III. *Ex adverſo, ſi negemus, IESUM Chriſtum eſſe Meſſiam per Prophetas Iudaicos prædictum, nihil iam inter Prophetias eorum præcipuas cohæret, cimeriæ tenebræ illorum prædictionibus obducuntur, imo & veritatis lux deficere omnino plerisque videtur, aut certe ipſe Prophetiæ character deficiente certo eventu evaneſcit.* Certe Meſſias prædictus nuſquam comparet, nec quid tot eius prænuntiata adiuncta ſibi velint, dici a quopiam, aut divinari poteſt.

IV. *Etſi prophetias omnes Iudaicas de Meſſia in medio plane relinquamus, negari tamen idcirco non poteſt, Prophetias ab ipſo IESU Chriſto editas de gentis Iudaicæ ruina, de Urbis Solymæ ac Templi integro excidio, de diſperſione, & duratura ad finem mundi uſque ſervitute Iudæorum, de reſurrectione propria, de gentium converſione, & propagatione, perpetuitateque Eccleſiæ*

cleſiæ ſuæ, etiam ſe ſolis Ipſius divinam miſſionem apertiſſime evincere.

V. *Si divina ſcientia illuſtris IESUS Chriſtus certo eventu prædixit res iſtas a providentia humana tam prorſus remotas: quidni rectiſſime eum item ut infallibilem interpretem ceterornm oraculorum divini Numinis, per Prophetas veteres editorum, præ aliis omnibus accipimus, ceu etiam ad hoc munus divinam miſſionem ſuam pari robore, ſicuti ad religionis Magiſterium ſummum univerſe, per proprias prophetias & miracula comprobantem.*

VI. *Si patres Iudæorum peccarunt, tamque gravium ſuppliciorum ſeſe fecerunt reos, repudiando Magiſtrum & ſalutis auctorem IESUM Chriſtum poſt viſa eius tot miracula, & eventus veterum Prophetiarum; longe profecto gravius peccant eorum filii, qui de veritate Prophetiarum ipſius IESU Chriſti, imo & antiquæ legis, multo amplius per experientiam* 1700. *annorum convicti, animos nihilominus pro inveterata gentis ſuæ pertinacia hodiedum obſtinant.*

* Ne dicant Hebræi: IESUS Chriſtus ipſe nos odio habuit, & contemſit: nihil nobis boni ab eo expectandum. Nova profecto hæc iniuria eſſet mitiſſimo Servatori inferenda. Elegit ille gentem ipſorum præ cunctis aliis, ex qua naſceretur, nec niſi meritorum eius intuitu tanta prædilectio inde ab Abrahamo genti eidem a DEO exhibita ſemper ad adventum uſque ipſius fuit. Ipſe miſſum ſe inprimis ad Iſraëlis oves diſperſas, in ſalutis ovile congregandas, palam profeſſus eſt Matth. XV. 24. Nec contemſit ipſe legem Moiſis, ſed minutim in ſe primum ipſemet complevit. Circumciſus erat: cibis, veſtitu, legibus, ritibus iudaicis per omnem vitam utebatur, Paſcha cum illis & dies feſtos eosdem celebrabat. Nec niſi tum legem Moſaicam quoad ea, quæ poſitivi iuris erant, abro-

 gare,

gare, & novam perfectiorem legem per Apoſtolos ſuos promulgare cæpit; quando omnibus iam legis Moſaicæ apicibus expletis, redivivus a morte ſe altiorem novi legislatoris poteſtatem divinitus adeptum, aſcenſu in cœlum, & S. Spiritus miſſione oſtendiſſet. Præterea Iudæis ipſe omnem vitam ſolis impendit, ex hac una gente Apoſtolos & omnes diſcipulos elegit, nec niſi poſt obfirmatam penitus Iudæorum obſtinationem eos deſtitui ab his, & ſui prædicationem Evangelii transferri ad alios gentiles voluit; coniungens iſtos omnes in unam cum Iudæis fidelibus Eccleſiam, & Eccleſiam gentium omnium, velut Oleaſtrum antehac ſylveſtrem & infrugiferum, in ipſam Eccleſiam ſpiritualium ac credentium filiorum Abrahæ, veluti olivam pridem iam frugiferam, implantans; ut Paulus ad Rom. XI. 17. loquitur. Nihil itaque Iudæorum ſaluti obſtat, niſi propria illorum obſtinatio. Hanc ponant modo, &, quemadmodum ſua illos incredulitas ab oliva illa, quæ DEI Eccleſia & populus electus eſt, ceu ramos inutiles reſcidit, ita nova in IESUM Chriſtum fides continuo illos eidem de novo implantabit. Hortatur certe illos ad hoc ipſum, verbis Iudæorum profecto omnium reflexione ſtudioſa digniſſimis, idem Paulus in citata illa modo ad Romanos Epiſtola, cap. XI. 23, gratiæ DEI ſecuros faciens: *Sed & illi* (Iudæi) *ſi non permanſerint in incredulitate, inſerentur* in olivam bonam: *potens eſt enim DEUS iterum inſerere eos. Nam ſi tu*, ô pagane! *ex naturali exciſus es oleaſtro*, id eſt, ex idololatria converſus ad veræ fidei lumen, *& contra naturam inſertus es in bonam olivam: quanto magis ii, qui ſecundum naturam inſerentur ſuæ olivæ.* Quin imo ſubiungit continuo Apoſtolus certiſſimam convertendæ ſaltem in mundi fine totius Iſraëliticæ gentis prædictionem his proſequens verbis. *Nolo enim vos ignorare, fratres, myſterium hoc; ut non ſitis vobis ipſis ſapientes; quia cæcitas ex parte contigit in Iſraël; donec plenitudo gentium intraret, & ſic omnis Iſraël ſalvus fieret,*

Digitized by Google

fieret, ſicut ſcriptum eſt (ſcilicet Iſai. LIX. 20.): *veniet ex Sion, qui eripiet, & auferet impietatem Iacob. Et hoc illis a me teſtamentum,: cum abſtulero pecata eorum. Secundum Evangelium quidem inimici propter vos* (i. e. DEUS quidem permiſit eorum ex propria erga Evangelium Chriſti incredulitate perniciem, ex ſpe converſionis veſtræ in eorum locum, ô pagani!) *ſecundum electionem autem cariſſimi propter patres*, i. e. ut filii ſunt Patrum de populo olim electo, hodiedum eorundem intuitu ita cariſſimi ſunt DEO, ut, quocunque tempore ſe convertant, ſint ab eo in gratiam recipiendi. *Sine pœnitentia enim ſunt dona & vocatio DEI.* Atque utinam veniat cito felix momentum hoc converſionis ipſorum! & potius cito impleantur ſedes adhuc vacuæ cœlorum, quam cumulentur victimæ ignium æternorum.

* * Ceterum hoc adhuc notaſſe iuvat, Iudæis, ſiqui eorum non malitia, ſed mera ignoratione veritatis errent, ex fide ſupernaturali ſaltem confuſa in Meſſiam ſalutis æternæ auctorem, vel qui iam ubi ubi, & quandocunque, advenerit, vel concedendus adhuc a DEO ſit, ſi cum dilectione DEI perfecta, ac naſcente ex tali fide, coniungatur, ſemper adhuc ſalutis æternæ conſequendæ magis in promtu remedium ſupereſſe, quam Theiſtis, nulli actuum ſupernaturalium ſpeciei locum in animis ſuis relinquentibus: ſine quibus tamen nulla abſolute ſalus in præſente conſiliorum decretorumque divinorum ſtatu eſſe, aut ſperari omnino poteſt. Id ſolum monitos velle Iudæos oportet, quibuscunque cum eorum converſione negotium eſt, ut non in Meſſia meræ temporalis ſuæ liberationis tantum auctore confidant, ſed æternæ ſalutis ac conciliandæ cum DEO amicitiæ, auxilium potius quodcunque demum ab infinita DEI miſericordia, id ipſum iam peccanti Adamo inde a mundi exordio promittentis (Gen. III. 15.) certiſſime expectent, idem ipſum quotidianis a DEO precibus inſtanter exorent, ac denique recto ac ſimplici corde

corde præparare ſeſe divinæ miſerationis influxibus continue collaborent.

* * * Poſtquam modo Iudæis pro officio Chriſtianæ caritatis, quod ſatis eſt, dedimus (omnium enim debitores ſumus, docente Apoſtoli exemplo ad Rom. I, 14.) iam ad ea, quæ Theiſtis convincendis recta ſerviunt, revertimur pauliſper.

§. 237.

Prophetiæ, quas IESUS Chriſtus edidit, omnibus characteribus divinæ originis ſunt inſignitæ. Dem. Prædixit enim abſolutiſſima & præciſa aſſeveratione non ſolum ſummatim, ſed cum præciſis adiunctis, ſua tormenta ac mortis genus, ſortem futuram diſcipulorum ſuorum tam proſperam in progreſſu Evangelii, quam adverſam in tolerandis multis perſecutionibus a proximis etiam amicis & cognatis &c. Prædixit item accurate excidium Solymæ, cingendam eam muro a Romanis, ultimas redigendam in anguſtias, non relinquendum lapidem ſupra lapidem in templi tam auguſto ædificio, venturam impoſtorum multitudinem, gentis diſperſionem iuxta & conſervationem perpetuam in medio duriſſimæ ſervitutis &c.: denique converſionem gentium ad fidem Evangelii ſui, amplificationem Eccleſiæ ſuæ ad omnes mundi terminos, & perpetuam durationem, & quæ ſunt alia, ſupra §§. 215. ſeqq. iam accurate expoſita: Atqui hi eventus omnes ſane prudentum omnium iudicio a libero ſolum hominum ac DEI arbitrio pendebant, ſed ne coniectura quidem divinari ut plurimum ſingillatim id temporis poterant ab ullo utcunque in rebus politicis perſpicaci homine, multo minus certa aſſeveratione velut in miſſionis divinæ teſtimonium prædici. Pone enim, acutum Politi-

Digitized by Google

Politicum ex dominatione Romanorum, & artibus, quibus ſociales provincias ſuo denique dominatui pedetentim ſubiicere iam a multo tempore ſolebant, ſubiugandam etiam ab eis Iudæam divinare utcunque incerta coniectura potuiſſe. An vero etiam adiuncta illa omnia vel coniecturis aſſequi, imo vel ſuſpicari etiam, cuiquam licuiſſet? Profecto ut gentes plurimas imperio ſuo Romani ſubmiſerint, cum nulla tamen ea ſeveritate uſquam egere, uti acturos cum Iudæis Chriſtus minutim tanto ante intervallo temporis, & quidem prorſus ex vero prædixit. Multo vero omnium minime vel tenuis ſpei radius humanitus affulgebat, doctrinam IESU Chriſti tam arduam & auſteram tantos in orbe idololatriæ & omnium flagitiorum cæno tunc temporis adhuc ſepulto progreſſus, & quidem opera non niſi rudium duodecim hominum & diſcipulorum, facturam. Nihil itaque evidentius, quam prophetias a IESU Chriſto editas omnibus divinæ originis characteribus, §. 205. conſtitutis, inſignes eſſe.

* Si Theiſta forte *obiiciat*, IESUM Chriſtum, quæ de facto Ieroſolymæ ac gentis Iudæorum prædixerat, ex veteribus Iudaicorum prædictionibus, rumore publico, ut nos ipſi ante diximus, in tota Palæſtina divulgatis, didiciſſe. *Reſpondeo;* Chriſtum multo plura adiuncta ſingillatim addidiſſe, quæ a veteribus Prophetis nuſpiam prædicta fuerant, ut ex enarratione accurata, §§. 215. ſeqq. facta, abunde patet. Deinde hoc ipſo admittere Theiſta cogitur, prophetias veteris legis Iudaicæ præcipuas, ut illam Iacobi, & Danielis, proximo ab ætate Chriſti tempore, atque adeo revera in Chriſto, ceu vero prædicto per eas Meſſia, impletas eſſe.

* * Patet vero alioquin, ſimili argumento & veterum illarum prophetiarum divinam originem comprobari poſſe: etſi

etſi nos Chriſtiani, adverſus Theiſtas pugnantes, eis tanquam argumentis haud abſolute egeamus. Sufficiunt nobis immediato argumento Prophetiæ Chriſti. Huius miſſio divina quamprimum ſatis confirmata fuerit; ſufficiet ſola eiusdem auctoritas ad univerſas veteris legis Scripturas & vaticinia confirmanda; quippe quæ ab ipſomet non ſemel allegata, &, ceu divinitus edita, declarata fuerunt.

§. 238.

Prophetiæ ſupra enarratæ a Chriſto Domino editæ ſunt in teſtimonium divinæ miſſionis, & pro religione comprobanda, quam DEO Patre auctore ſe docere eſt profeſſus. Dem. De prædictione reſurrectionis a mortuis id quidem apertiſſimum eſt ex §. 217. Paſſionis quoque ſuæ & mortis adiuncta prædixit, ne ſcandalum exinde paterentur diſcipuli ſui, ut iam Matth. XI. 6. monuerat, dicens: *beatus, qui non fuerit ſcandalizatus in me.* Venturos quoque pſeudochriſtos prædicit Matth. XXIV. 24. ut a deceptione præſtet immunes aſſeclas ſuos, unde v. 25. ſubdit: *ecce! prædixi vobis.* Simili propoſito Apoſtolis ſuis futura adverſa prænuntiat, ne velut inexpectato infortunio conterreantur, ſed in ſuo auxilio confidant. Luc. XXI. 15. *Ego dabo vobis os & ſapientiam, cui non poterunt contradicere omnes adverſarii veſtri.* - - v. 18. *capillus de capite veſtro non peribit* &c. Iudæis quoque pœnas obſtinationis ſuæ intentat ob miſſionem ſuam contemtam. *Implete menſuram patrum veſtrorum* &c. Matth. XXIII. 32.

* Idem prorſus de prophetiis antiquæ legis valere per ſe clarum eſt: omnes enim vel ad Moiſis miſſionem divinam, vel ad præſentis & populo ſuo electo gubernando intenti Numinis curam comprobandam, vel ad deſignandum Meſſiam divinitus olim mittendum, id eſt, IESUM Chriſtum, collimant.

** *Dices,*

* * *Dices.* IESU Chriſti vaticinia, ceu diu poſt eius mortem primum impleta, argumento divinæ miſſionis eius ſervire non poterant pro Iudæis. Sed adverte, non illas pro Iudæis Chriſto coævis, ſaltem omnia, a nobis allegari, ſed pro poſteris eorum. Interim & Iudæis Chriſto conviventibus reſurrectionis prædictio brevi impleta, una cum tot ac tantis miraculis aliis abunde ſufficiebant; quæ illi coram intuebantur oculis ſuis; quod tamen viciſſim poſteris eorundem conceſſum non fuit.

CAPUT VI.

FALSUM AC NEC POSSIBILE QUIDEM ESSE, OSTENDITUR, AUT IUDAICAM HODIERNAM RELIGIONEM, AUT MAHUMETANAM, ESSE A DEO REVELATAM.

ARTICULUS I.

HODIERNA IUDÆORUM RELIGIO DEI REVELATIONI ESSE CONFORMIS NON POTEST.

§. 239.

AXIOMATA SUMMAM HODIERNÆ RELIGIONIS IUDAICÆ CONFICIENTIA.

I. *Scriptura hebræo canone contenta divinitus in calamum ſacris ſcriptoribus eſt dictata.*

II. *Omnis illa Scriptura ſacra, omnia miracula, & vaticinia in illa contenta, omnis rerum & factorum ordo ac ſeries, in Meſſiam venturum, Iudæorum patribus divinitus promiſſum, collimat.*

III. *I*

III. *Is tamen nec venit adhuc, nec eſt IESUS Chriſtus, quem Chriſtiani DEUM Hominem adorant.*

* Vix certe mentionem merentur, qui ex Iudæis, ceteris ſtolidiores, ſubinde, iam veniſſe Meſſiam, & hodiedum neſcio in quo mundi angulo latere, pro ſolo ſtupidæ phantaſiæ arbitrio edixere.

§. 240.

Aut prima duo axiomata religioſa hodiernorum Iudæorum, aut tertium certe, evidenter falſum eſt. Dem. Vel enim Prophetiæ Iacobi Gen. XLIX. 10. Danielis IX. 24. item illæ, quæ Chriſtum, ſeu Meſſiam, fore Davidis filium &c. prædicere videntur, vel, inquam, ad Meſſiam eiusque adventus rationem attinent; vel non? *Si primum:* ergo aut falſæ ſunt, nec divinitus editæ ac conſcriptæ; aut iam veniſſe illum Meſſiam neceſſe eſt. Quodſi enim de Meſſia Iacob edicit, *non auferendum ſceptrum de Iuda, donec* Meſſias *veniat;* ablatum profecto evidenter de Iuda ſceptrum eſt; quia nec reipublicæ & ſtatus civilis vinculum & ſocietas Iudæis ſupereſt; ſine quo principatus reipublicæ, ſceptri nomine haud dubie ſignificatus, ſubſiſtere non poteſt. Ergo aut iam veniſſe Meſſiam vi iſtius vaticinii, aut falſum eſſe vaticinium neceſſe eſt. Rurſus ſi de Meſſia vaticinatur loc. cit. Daniel; quandocunque is vi iſtius vaticinii venturus eſt, occidi ipſum ſalvo vaticinio oportet, & rurſum vaſtari Iudæorum templum & urbem &c.; aut falſum vaticinium erit. Atqui hoc totum æque IESU Chriſto congruit. Ergo æque ipſe, ac alius quisque olim venturus, verus Meſſias eſt, a Daniele præſignatus. Itidem ſi Meſſias Davidis filius futurus vere deſignatur locis §. 218. relatis; cum

no

ne veſtigium quidem Davidicæ familiæ ſuperſtes hodiedum ſit, aut falſa erunt illa vaticinia, aut iam veniſſe Meſſiam Davidis filium neceſſe eſt. Sin *alterum* Iudæi malint: ergo nec de aliis Scripturarum locis tenere poſſunt, quod certo Meſſiæ adventus alicubi prænuntietur potius, quam cuiusvis alterius ex ipſorum gente herois; cum neutiquam ſint allegatis vaticiniis ulla alia in Scripturis clariora. Simile argumentum prorſus formabo de vaticinio Aggæi XI. 7. ubi Meſſias venturus in templum ſecundum prædicitur, ac de quovis alio. Ergo &c.

* Quodſi Iudæi varias mere arbitrarias vaticiniorum illorum interpretationes opponant, quo tempus advenientis Meſſiæ in incertum prolongent, pro generali reſponſione ſervient theſes geminæ ſequentes.

§. 241.

Explicationes Prophetiarum ad Meſſiam pertinentium, Iudæis hodie familiares, a DEO originem habere non poſſunt, nec pro fidei regula ſervire. Dem. Evidens enim eſt, quod antiquorum Magiſtrorum Iudaicorum explicationibus contrariæ (§. 235.), ſola neceſſitate urgente inventæ, atque inprimis nullo ex titulo aut explicationibus veterum illorum Rabbinorum, aut interpretationibus ipſorum Chriſtianorum, magis ſint veriſimiles. Atqui prophetiæ tam obſcuri ſignificatus, ſummeque incerti, & pari ſpecie veriſimilitudinis falſum ſenſum atque verum offerentes, nec a DEO eſſe poſſunt, omnis illo oſore fallaciæ, nec pro certæ fidei regula ſervire prudenti homini poſſunt &c.

§. 242.

Iudæi nec IESU Chriſti doctrinam, nec Chriſtianorum expoſitiones de Prophetarum ſuorum vaticiniis

 reiicere

reiicere poſſunt, quin ipſa ſuæ antiquæ religionis fundamenta omnia ſubruant. Dem. IESUS Chriſtus ipſe ſe eſſe Meſſiam a Moiſe & Prophetis annuntiatum ſæpius affirmavit, & in argumentum iſtius veritatis & explicationis vaticiniorum æque ac totius doctrinæ ſuæ non minora, imo multo etiam maiora quam Moiſes, miracula patravit, & nova edidit vaticinia, eventu accurate comprobata (§§. 193. 215. ſeqq.); quæ quidem ſi non magis, certe non minus evidenter quam Moiſis ac Prophetarum miracula & vaticinia, tum quoad veritatem ſuam, tum quoad originem vere divinam, ſunt conteſtata. Quodſi ergo Iudæi, etſi ipſi pro adverſis ſuis explicationibus vaticiniorum de Meſſia confirmandis nec miracula, nec vaticinia, nova & ſatis conteſtata, allegare queant, tamen IESU Chriſti & doctrinam & interpretationes vaticiniorum illorum veterum reiiciant: cum nec Moiſis doctrina aliis ſignis quam miraculis & vaticiniis, nec iſtis certioribus comprobetur, haud dubie omnia religionis Moſaicæ fundamenta hoc ipſo concutiunt ipſimet.

§. 243.

Hodiernæ Iudæorum fabulæ Thalmudicæ cum ſumma eorum antiquæ religionis ſapientia inſigni ſtoliditate, ſic pugnant, ut evidens omnino ſit, non eodem ipſos atque Patres ipſorum ante ætatem IESU Chriſti ſpiritu divino regi. Dem. Primo enim perfectus eſt omnium antiquorum Prophetarum in dogmatis religioſis conſenſus: contra hodie nullus Rabbinus in explicandis vaticiniis illorum alteri conſentit. Deinde quam ſtolidæ illæ fabulæ de DEI quotidiano fletu ob exciſam Solymam, de eius diligentia in lege quotidie relegenda, de Behemoth, de Leviathan, & aliis multis &c. Aiunt, vaticiniorum

niorum exitus a DEO differri ob peccata gentis ſuæ: quaſi effata DEI, circa tempus tam præciſe & abſolute edita, fruſtrari omnino poſſent. Quidſi peccata eadem Iudæorum, quæ tantam ruinam gentis, tam diturnam ſervitutem, quin Meſſiæ & tam ſolennium promiſſorum dilationem tam protractam meruere; quidſi, inquam, ipſam excæcationem, & veri Meſſiæ ignorationem, meruiſſent? Aut quare ne pœnitentia quidem tam ſeria, quare nec preces tam diuturnæ totius nationis exulis, a DEI Miſericordia exaudiuntur; ſi pacti veteris cum ipſa initi promiſſa, Deut. XXX. & Nehem. I. tam ſolenniter data, adhucdum valent? Vides, ut ſenſorum omnium Iudaicorum inter ſe pugna & perturbatio, & omnis ſolidi opinionum inanium fundamenti integra abſentia oſtendat, receſſiſſe ab eis veritatis illum ſpiritum, qui tanta eorum Prophetas ſapientia impleverat.

ARTICULUS II.

NEC VERISIMILE, NEC POSSIBILE ESSE OSTENDITUR MAHUMETANAM RELIGIONEM ESSE A DEO REVELATAM.

§. 244.

Mahometis religio nullam plane veriſimilitudinis vel tenuem ſpeciem habet, quod ſit a DEO revelata. Demonstr. Mahometanæ religionis princeps fundamentum in eo conſiſtit, quod ſupponat, Moſem iuxta ac IESUM Chriſtum religionis docendæ cauſſa a DEO miſſos, & viros etiam ſanctos fuiſſe, qui IESU Chriſti doctrinam primi toto orbe prædicarunt: at nec Moſis, nec diſcipulorum IESU, libros, quales initio erant, manſiſſe, ſed corruptos

 eſſe.

eſſe. Utriusque, Moſis, & IESU Chriſti, doctrinam inſtauraſſe Mahometem, divinitus edoctum, & amborum ſtatuta in novam religionis formam DEI ipſius magiſterio combinaſſe, & conſcripſiſſe in Alcorano. Huic novi Prophetæ libro (cuius vel lectio plebi interdicta eſt) ut ſine inquiſitione alia habeatur fides, primum in ea religione poſtulatum eſt. Iam vero quæ his omnibus capitibus inſit vel ſpecies veriſimilitudinis cuiusdam videamus.

Primi duo divinæ revelationis nuntii & interpretes, Moſes, & IESUS Chriſtus, quos ipſa Mahometana religio pro talibus agnoſcit, pro veritate miſſionis ſuæ comprobanda, *miracula*, & *vaticinia* exhibuere, ſupremo in gradu *conteſtata*, nec niſi iſtiusmodi graviſſimis divinæ revelationis argumentis, & *ſanctitate vitæ* propriæ, ac ſumma adverſus eos *manſuetudine*, qui contradicerent, & obtinuere fidem, & late religionem ſuam iisdem præciſe mediis propagarunt. Denique *nexus* quidam apertus inter Adami, qui primus DEI revelationem excepit, & inter Moſem & Chriſtum, quoad lucis a DEO acceptæ incrementum, & creſcentem ſemper legum trium, naturæ, ſcriptæ a Moiſe, & a Chriſto traditæ, perfectionem intercedit (§.233.); ac inſuper Moſes ipſe venturum poſt ſe altioris ordinis Prophetam & legislatorem Deut. XVIII. 15. prænuntiat.

Iam vero ne hilum quidem argumenti iſtiusmodi probabilis pro veritate miſſionis ſuæ, aut divina revelatione prædicatæ a ſe novæ religionis, Mahometes, tertius ſcilicet DEI nuntius & Propheta, ſecum attulit, ſed ſolum armatam gladio manum, & violentam cæcæ fidei, & ſubmiſſionis

ſine

ſine omni examine, extorſionem. *Vaticinia* quod attinet, ne quidem auſus eſt hanc tentare aleam ſpurius Propheta. *Miracula* affectavit quidem; ſed qualia? Nempe quæ aut humana arte queunt facile effecta reddi, ut de columba ad aurem advolante; aut quorum *nullus* omnino erat *teſtis* præter ipſum, ut de camelo noctu ſibi locuto, de ſui tranſportatione nocturna ex templo Meccæ in templum Ieroſolymæ divinitus facta &c.; aut quæ manifeſta abſurditate ſe ipſa refutant, uti de itinere a ſe facto eadem nocte per cœlum ab uno planeta ad alium, Angelo Gabriele per aëra ipſum rapiente; in quo itinere & diſtantiam unius planetæ ab alio non niſi quinque annorum itinere emetiendam didiciſſet; accepiſſet partem Alcorani ſui divinitus ſibi traditam; Lunam denique diffiderit in partes, quarum unam ſibi in manicam delapſam ultro reſtituerit, ad rotunditatem ſuam Lunæ denuo reddendam. Reſciderunt quidem diſcipuli Mahometis iter illud cæleſte Magiſtri ſui ex Alcorani libro poſt ipſius mortem; attamen incauti Lunæ diffiſſæ fabulam indidem reliquerunt. Num vero *ſanctitate vitæ* ſaltem novus Propheta fulſit? Atqui prædatorem, ſeditioſum, periurum, adulterum, raptatorem mulierum, & ſtupri frequentis reum, fuiſſe, ex propriis ipſius verbis in Alcorano legendis, conſtat. Camelorum mercatum ante exercens, ſeditionem ſuos inter cives concitat, & collecto prædonum agmine ferro & flamma graſſatur. Inde feminas maritis rapit, ſanguine cognato omnis generis abutitur, nec data quidem iureiurandi fide deinceps a feminis alienis abſtinet, in quorum nuper abuſu deprehenſus repente fuerat. Demum, quod impietatis complementum eſt, a DEO ipſo ſingillatim ſibi quodam privilegio permiſſas fuiſſe omnes iſtas abo-

minandas turpitudines, gravi auctoritate videlicet, impudentia certe maxima, edicit. Leges iſthæc omnia in ipſo Alcorano in Azoara 43. his verbis expreſſa : *poſt moram ſui mariti pro velle ſuo cum illa, tibi permiſimus illam ſponſam ducere. Licet enim bonis omnibus, poſt diſceſſum ſuum a maritis, quaslibet DEO iubente ducere.* Quæ occaſione Mariæ uxoris regis Iacobitarum, quam deperibat, dicta intelliguntur. Ibidem : *tibi quidem, ô Propheta! mulieres omnes, quibus donando dederis, & omnes tuæ manui per emtionem ſuppoſitas, & amitæ tuæ, materteræque filias, omnes item bonas mulieres, tibi volenti gratis ſuccumbere cupientes (hocque tibi ſoli permittitur) licitas conſtituimus . . . Has a te ſemove, illas adiunge pro velle tuo; nec prius abiectis, ſi dilexeris eas, moleſteris.* Egregium ſane divini Prophetæ privilegium! An non ſaltem atteſtationis aliquo id argumento indigeret? Azoara 56. fingit, DEUM, ſibi permiſiſſe iurisiurandi violationem, cum Mariam Iacobitarum regis uxorem deperiret ; qua deinceps ſe non abuſurum ante iuraverat; cum duæ illum uxores cum ipſa in adulterio deprehendiſſent. Stuprum Zainabæ uxori Zaidi nepotis intulit; deinde eam marito invito duxit; quod rurſum DEI mandato ſe feciſſe in ipſo Alcorano ſcribere impudentiſſimum non puduit. Unde illa ſuperbia tumens dicere rivalibus ſolebat: *vos maritis coniunxerunt parentes : me vero DEUS deſuper ſeptem cœlis. Unicum* ergo *argumentum victoris gladius* fuit, & prædatoria vis, quo ſuam Arabibus primum, tum vero horum armatis item ſuppetiis adiutus, gentibus ceteris ſuam perſuaſit religionem. Aut novam religionem accipe, aut morere; dilemma illud ſane cornutum erat; quo ſi non intellectus, certe voluntas omnium, ad religionis, alioquin cunctis humanis ſenſibus blandientis, amplexum

Digitized by Google

plexum ſane cum emphaſi impellebatur: maxime cum Chriſtianis atque Iudaicis ſimul inter ſe dogmatis commixtis, utriſque horum hamus aliquis cum non ingrata ipſis eſca offerretur. At latiſſime mox oriente toto, atque meridie, quin & in occidentem uſque brevi temporis ſpatio Mahometis religio eſt propagata, non minus quam IESU Chriſti. Egregia enimvero comparatio! Apoſtoli ſine armis aliis, quam ſolius prædicationis, caritatis, patientiæ, & manſuetudinis, auſteram maxime, & cum omnibus humanis affectibus, & innumeris præiudiciis pugnantem religionem, toti pæne orbi perſuaſere: & Mahometes cum ſuis aſſeclis viam religioni molliſſimæ in mentes innumerabilium hominum, ſine ullo alio perſuaſionis argumento, per victricem armorum vim aperuit. Si ſolus armorum progreſſus, & imperii magnitudo, iuſta probandæ alicuius religionis, tanquam divinitus revelatæ, ratio eſſe poſſunt; ceſſent profecto oportet ipſi Mahumetani ſacra gentilium ethnicorum impugnare: cum conſtet, quantæ fuerint Aſſyriorum veterum, Perſarum, Græcorum, Romanorumque victoriæ, quamque late protenſum imperium. Sed neque conſtans ſemper illa armorum Mahometis fortuna fuit. Notæ Saracenorum ſunt clades, totaque Hiſpania iam olim pulſos conſtat. Res, cuius tam incertæ atque variæ ſunt vices, quæque bonis perinde ac malis communis eſſe conſuevit, an veræ religionis ſufficere argumento poteſt? Præterea num aptus denique modus iſte vero cultui ipſius Numinis propagando? Hic certe nullus eſt, niſi ab animo ultro volente, & ſuadente ratione, procedat. Armata vis nec intellectum profecto illuſtrat, nec liberum aſſenſum voluntati perſuadet, ſed non voluntarium extorquet.

Quis denique *nexus* Mahometem inter, & Moſen aut IESUM Chriſtum ex altera parte? Cur a perfectiore Chriſti lege homines ad longe imperfectiſſimam Mahometis legem denuo transferuntur? Cur ritus & cerimoniæ Iudaicæ, iam omnis vacuæ ſignificatus myſtici, reducuntur, non niſi ad homines a ſubſtantialibus religionis officiis ad inanes ſuperſtitiones avocaturæ? Ante legem quidem perfectiſſimam, qualis IESU Chriſti eſt, rudimenta quaſi puerilia præceſſiſſe non mirum eſt, a rebus ſaltem ſignificatis vim habentia: poſt eam vero publicatam redire rurſum ad figuras iam plane vacuas ſane præpoſterum, & rationabili ordini adverſum eſt. Ante videmus, Moſem Chriſto, Chriſtum Moſi ſuffragatum eſſe; lex vetus in Evangelio impleta, & novæ legis Myſteria, cunctaque pæne IESU Chriſti acta in lege veteri adumbrata, aut a Prophetis prædicta legimus. At nullum nec in Moſaica lege, nec in Evangelio teſtimonium reperire, aut indicium, eſt, quod Mahometi ſuffragetur.

Verum corruptos videlicet Pentateuchi & Evangeliorum codices Mahumetani obiiciunt. Aiunt, in Ioannis cap. XIV. ubi de mittendo Paracleto agitur, extitiſſe aliquid ſcriptum de Mahomete, quod deleverint Chriſtiani; quin & reſtituere id audent in Alcorano Azoara 71. his verbis conceptum: *ô filii Iſraël! ego vobis a DEO miſſus nuntius, quod de teſtamento meis ineſt manibus, affirmo, vobisque nuntium affero de nuntio poſt me venturo, cui nomen Mahometus.* Probabimus nos facile, corruptionem id genus fieri ne quidem potuiſſe. Num enim factam illam volunt ante, an poſt adventum Mahometis? Poſt hunc fieri haud ſane potuit; cum iam eo tempore, octavo Chriſtiano ſeculo

culo videlicet, extarent toto orbe plurima, non græca tantum, ſed Syriaca, Arabica, Æthyopica, & Latina verſionum plurimarum exempla. Hæc autem omnia loco eo conſentiunt omnino, quin ulla Scripturæ varietas ſit. Ante adventum Mahometis nulla certe mutandi cauſſa fuit: nemo enim ſcire poterat, quid docturus Mahometes eſſet. Imo ſi Mahometis doctrina nuſpiam IESU dogmatis adverſatura eſſet, cur potius iſtius recipere libros, quam libros Iudæorum, recuſarent? Rurſus: an veteris Scripturæ corruptio communi Iudæorum & Chriſtianorum omnium conſilio, an alterutrorum tantum, num aliquorum ex utriſque, facta eſt? Quidquid dixeris, æque impoſſibile unum atque alterum ſine comperto & certo aliquo fraudis indicio futurum fuiſſe, in aperto eſt. Quod autem fieri potuiſſe nec veriſimile quidem ullo pacto eſt; hoc recte Mahumetani factum eſſe ſine ullo argumento ſument? Certe ſiquis Alcoranum corruptum diceret, negarent hoc Muſelmanni, idque ſufficere dicerent adverſus nos probantes: attamen ipſi afferre pro integritate libri ſui ea argumenta nequaquam poſſent, quæ nos abſolutiſſima afferemus ſequentibus integris duobus capitibus.

Nihil ergo apertius evidentiusque eſt, omni ratione ſufficiente, omni vel tenui argumento, Mahumetanos deſtitutos eſſe; quo ſanæ rationis homini veriſimilem reddere religionis ſuæ divinam revelationem poſſent.

§. 245.

Mahometis religio a DEO revelari omnino non potuit. Dem. Religio enim complectens dogmata rationi naturali evidenter oppoſita, & manifeſto

 abſurda,

abſurda, DEUM habere auctorem non poteſt. Porro talem eſſe Mahometis religionem, apertiſſimum eſt Alcoranum legentibus. Nam 1. DEUM fingit iurantem *per angelos legationis efficaces, & per dæmones licitorum & illicitorum diſcretores.* Porro quid indignius DEO, omniſque veritatis primo principio, quam in dictorum a ſe teſtem vocare eum, qui non niſi ab ipſo accepit, ut verax eſſe & ipſe poſſet? 2. Azoara 43. ex adverſo affirmat, DEUM ſibi permiſiſſe violationem iuriſiurandi, idque committendi novi adulterii cauſſa cum Maria uxore regis Iacobitarum de quo §. præc. 3. DEUM orare ait pro Mahomete. *Cum DEUS & angeli propter Prophetam exorent vos quoque DEUM precemini pro ipſo,* inquit Azoara 43. modo cit. 4. Eodem loco cit. fingit, DEUM ſibi liberam dediſſe facultatem adulteria, ſtupra, raptus mulierum committendi, quot & quibus modis vellet. 5. Dæmonem, quem verum eſſe, licet malignum, ſpiritum fatetur, Alcorani cap. 5. vult ex igne peſtifero a DEO eſſe creatum: perinde atque ſi ſpiritus ex materia naſci poſſet. 6. Felicitatem hominis in explenda libidine carnis & gulæ illecebris totam reponit, atque in omnium ſenſuum voluptate. Azoara 2. pollicetur Paradiſum, *ubi dulciſſimas aquas, pomaque multimoda, fructus varios, & decentiſſimas, ac mundiſſimas mulieres, omneque bonum in æternum ſui poſſidebunt.* Et Azoara 88. *Illic poſſidebunt hortos palmarum & vitium, puellaſque conſocias & conſimiles . . . vaſaque plena. . . . Hoc eſt donum optimaque remuneratio DEI.* Item Az. 54. *puellas ducent cum oculis claris & immenſis; quorum albugines candidiſſimæ, & pupillæ nigerrimæ.* Ipſe loquendi modus, & quod nuſpiam de alio ſublimiore felicitatis genere quid memoret impurus Propheta, ſatis evincunt, nec allegorice illum loqui

qui eo modo, quo & in Evangelio æterna felicitas ſub ſchemate cibi & potus adumbratur, & totum id eſſe, quod beandis ſufficere hominibus exiſtimarit. Iam vero quid a ſana ratione alienum magis, quam rationalis creaturæ ſummam felicitatem in rebus conſtituere, quæ ipſi cum brutis animantibus communes ſunt, quæ mentem nihil omnino perficiunt, nec explent voluntatis deſiderium, & cum DEO adeo non coniungunt, ut eius potius inducant oblivionem. Aſſerit Mahometes in Dialogo cum Abdia Iudæo, beatitudinem minime plenam fore, ſi aliquod deeſſet oblectamenti genus, ideo aſſeclas ſuos tot illic habituros uxores, quot hic habuerint: ceteras concubinas fore, ancillas ſine numero. At qualis ſic viciſſim mulieres felicitas manebit? quas Az. 47. affirmat, nunquam erecturas oculos niſi ad maritos ſuos. Si virorum felicitas in innumerabilium uxorum copia conſiſtit, etiam mulieres viros plurimos habere præſto neceſſe eſt, ut felices eſſe & ipſæ queant. At quomodo ſic rurſum virorum erit felicitati cautum; quippe qui nullam habituri ſint mulierem ſibi ſolis fidam, ſed quamlibet cum viris aliis plurimis communem. Quodſi fingas, tam fore continentes mulieres, ut haud plures ipſæ viros appetant, nec frequentem cum uno conſuetudinem; cur non idem viris conceditur? aut cur non & ipſi ſine mulierum copia felices omnino eſſe poſſint? 7. Mahometes deprædandi & cædendi quosvis homines, ſibi non adhibentes fidem, liberam poteſtatem ſibi ſuisque aſſeclis a DEO datam profitetur; tametſi nihil ſecum indicii alterius afferret, ex quo, miſſum ſe & illuſtratum divinitus, ſanæ rationis hominibus comprobaret, *Viri boni,* inquit Azoara 12., *DEUM timentes, factis, per quæ vos ipſi propingui ſitis, ſtudeatis, ipſiusque nomine, uſ-*

quequo

quequo vos meliores & elatiores efficiamini, prædatores & expugnatores eſtote. Et Az. 10. *vos neminem incredulorum vobis negotiatorem, ſeu ſocium, ſeu amicum, niſi prius recta DEI via pugnatum, ſeu prædatum, iverint, aſſociate. Sin autem; eos, ubicunque repertos, ſi ſit poſſibile, capite, & interficite.* 8. Contradictiones apertæ in Alcorano multoties occurrunt: ergo lex lata a DEO eſſe non poteſt. Azo. 11. omnes, qui DEUM adorant, & probe vivunt, Chriſtiani, Iudæi, aut cuiuscunque demum ſectæ ſint, fore ſalvos affirmat. Mox vero Azo. 3. deficientes a ſua fide igne æterno puniendos, & (Az. 5.) ne converſione quidem ad ſe reverſos miſericordiam conſecuturos, edicit. Az. 9. & 15. ait, DEUM velle, ut incredulis nullum malum a ſe ſuisque inferatur; & rurſum Az. 18. & 19. præcipit, illos omnes expugnari, ſpoliari, & interfici obſtinatos. Taceo alia quam multa ſimilia, ut cum reſurrectionem mortuorum modo ſummis commendat viribus, alias reſpectu multorum negat: cum dæmonem per Alcoranum ait convertendum, diemque iudicii nunc quinquagies mille annis diſtare (Az. 80.) nunc fortaſſis cito venturam (Az. 57.) affirmat &c. 9. Quid de fabulis, & mendaciis apertiſſimis dicam, quæ omnem Alcorani paginam implent, & ab omni ſano homine palpari pæne manibus poſſunt. Nunc pulcram mulierem fingit, quæ ab Angelis vino captis ſolenne didicerit carmen, quo in cœlum aſcendi, & ex eo deſcendi ſolet: quæ cum exinde aſcendiſſet in cœlum, deprehenſa a DEO, ibique fixa, & ſtella Veneris eſſe iuſſa fuerit. Alias murem in arca Noemi natam ex elephanti ſtercore, alias felem natam ex leonis halitu, narrat. Quid ſibi vero illud de morte in arietem commutanda, qui medio inter cœlum & inferos ſpatio ſit ſtabulaturus; & de

de epulis in vita altera per ſudorem excernendis? Taceo mendacia, quorum perpetuo in referendis veteris ac novi teſtamenti hiſtoriis convincitur. 10. Denique lex tota Alcorani non niſi incondita farrago eſt præceptorum, dogmatum, & mendaciorum ineptiſſimorum; ſi non nulla excipias, commemorata, quæ a Iudæis & Chriſtianis mutuata ſunt: atque adeo longe evidentiſſimum eſt, non potuiſſe illam ab ipſo DEO revelari.

* Et tamen (quæ impudentiſſima eſt Theiſtarum argutia) & tamen Ruſſeau aliquis, Genevenſis ille exul philoſophus, Chriſto velut ſupparem adiungere Mahometem veriſimilitudine doctrinæ, & revelationis divinæ eiusdem, nihil omnino dubitat. D. Sale, qui (teſte Voltairio T. IV. operum Edit. Dreſdenſis anni 1749. pag. 359.) verſionem excellentem Alcorani ex idiomate Anglicano edidit: Mahometem ceu alterum quemdam Numam vel Theſeum nobis repræſentat. Reponit ibi vero ipſe Voltairius. *Fateor, me ipſum pro tali reveriturum, ſi princeps ipſe legitime natus, vel certe ſuorum ſuffragiis liberis ad imperium vocatus, leges cum Numa pacificas dediſſet, aut defendiſſet populares ſuos. exemplo Theſei illius. At camelorum mercatui aſſuetum hominem ſuſcitare ad rebellionem cives ſuos, eundem quosdam male fauſtos Coracitas aſſociare ſibi, eisque perſuadere, ſe familiariter Angelo Gabriele uti, iactare, ſe raptum in cælum fuiſſe, ibidemque recepiſſe partem illius libri, a nemine intelligibilis, cuius quævis pagina ſanum offendit rationis ſenſum; graſſari denique illum flammis & ferro in propriam ſuam patriam, trucidare patres, rapere filias, victis neceſſitatem imponere aut religionem ſuam, aut mortem amplectendi: hæc ſane talia ſunt, quæ nullus hominum poteſt excuſare niſi ipſe natus ex turcis ſit, & niſi ſuperſtitio omne in ipſo extinxerit rationis naturale lumen.*

** Sa-

** Sapiens ille Montesquieu (Eſprit des loix liv. XXIV. cap. 4.) paucis ita ſtatuit: *religio Mahometana ſine alio examine hoc ſolo nomine meretur reiici; quod longe ſit evidentius, religione quavis vera manſueſieri mores hominum debere, quam religionem aliquam in ſpecie reipſa veram eſſe.* Idem ibid. cap. 3. manſuetudinem regiminis Chriſtiani tyrannidi Mahometanorum principum opponit.

CAPUT VII.

EXISTENTIA REVELATIONIS DIVINÆ DE RELIGIONE CHRISTIANA NOVI TESTAMENTI ABSOLUTE CERTA ESSE DEMONSTRATUR EX CRITERIIS SUIS EXTRINSECIS MEDIATIS.

Qui coram Chriſti IESU miracula aſpexere, qui exceptas ex ore ipſius prophetias ſuis oculis poſt impletas videre, uti eius Apoſtoli, diſcipulique, qui paulo diutius eidem ſupervixerunt; aliis criteriis, queis divinam in Chriſto loquente auctoritatem certiſſime dignoſcerent, haud porro opus habuerunt. Præſens ſenſuum teſtimonium de miraculorum ac prophetiarum exiſtentia ipſos phyſica certitudine convincebat; miracula ipſa & prophetiæ, iuncta ſanctitati doctrinæ non magis quam vitæ, DEUM eſſe locutum in IESU Chriſto Magiſtro ſuo, apertiſſime demonſtrabant. Eadem certitudo phyſica in oculos eorum omnium incurrebat, qui cum Apoſtolis & diſcipulis miracula Chriſti ipſimet viderant, ut Iudæi, ac non nulli etiam pagani, Ieroſolymis commorantes: etſi non pari cum diſcipulis affectu ac cordis rectitudine lumen fidei admiſerlnt. A Chriſti morte Apoſtoli cum diſcipulis, teſtes reſurrectionis ipſius iuxta ac ceterorum prodigiorum facti, auctoritatem ſuam, divinam-

divinamque miſſionem ad ferendum de Chriſto teſtimonium, primis ſidelibus Chriſtianis coram & eisdem prope, quibus Chriſtus ipſe, immediatis criteriis intrinſecis, & extrinſecis, cum omni, qua opus erat, certitudine probavere, ſanctitate nimirum vitæ & doctrinæ, miraculis, & ex parte etiam prophetiis; quas ſcilicet, ex Chriſti Domini ac Magiſtri ore exceptas, Chriſtianis de futuro Solymæ interitu, Iudæorum diſperſione, & converſione gentium, promulgabant: quorum plurimi ipſos hos eventus, prædictioni accurate reſpondentes, oculis aſpexere, vel certe ſama certiſſima, & communiter promulgata, accepere. Favebat quoque Apoſtolorum teſtimonio aliorum innumerabilium præſens atteſtatio, qui & ipſi in Palæſtina & Ieroſolymæ præſentes Chriſti viderant prodigia, aut ſermone publico & conſentiente ubique fama exceperant. Cum celerrimi mox inde ab initio eſſent prædicationis Evangelii fructus, & ampliſſimi progreſſus; Apoſtoli in præcipuis civitatibus Eccleſias, id eſt, peculiares cœtus fidelium, Epiſcopo, id eſt, rectore, peculiari eis conſtituto, erexere; cuius curæ, magiſterio, & ſacro regimini, omnes, qui intra certorum locorum diſtrictum continerentur, Chriſtiani circa univerſam religionis diſciplinam ſubeſſent. Epiſcopi iſti nunquam non erant ex Apoſtolorum diſcipulis; & iſtorum quidem ſemper optimi quique ad tanti momenti munus eligebantur. Iſti vero ipſo Apoſtolorum præſente magiſterio ac diuturno familiari uſu probe in omni doctrina fidei edocti, Chriſtianos ceteros in eadem inſtruebant, eaque, quæ alias ipſi præſentes primo Apoſtoli eis prædicaverant, aſſiduis inſtructionibus & repetitionibus inculcabant. Itaque Eccleſiæ iſtæ ex eiusmodi Epiſcopis & Chriſtianis conſtabant, qui & Apoſtolos ac diſcipulos

IESU

Digitized by Google

IESU Chriſti ipſimet audierant, & eorum viderant miracula, imo & Prophetiarum exitum aut ſpectaverant ipſi, aut conſentienti fama publica audierant.

Apoſtoli fundatis alicubi Eccleſiis, & Epiſcopis conſtitutis, continuo ad nova alia tranſibant loca, ſpargendo latius Evangelio intenti. Nihilominus, ſive ex paterno affectu erga filios, quos Chriſto genuerant, ſive emergentibus hinc inde controverſiis per fideles requiſiti, aut aliis quibuscunque ex rationibus, ſubinde vel ad integras tales Eccleſias, ſeu fidelium cœtus, vel ad eorundem præſides Epiſcopos, vel etiam ad diſcipulos ſibi præ ceteris caros, quos indidem reliquerant, exarabant Epiſtolas: quæ quidem *Epiſtolæ Apoſtolicæ* exinde ab eiusmodi Eccleſiis, veluti pretioſiſſimum fidei depoſitum, ſumma cura & reverentia aſſervabantur, in Chriſtianorum cœtibus ab Epiſcopo, vel alio miniſtro quodam, prælegebantur identidem, rudioribus fuſius exponebantur; quin & cum aliis vicinis Eccleſiis, pro eo ac ſtudioſum illis erat mutuæ caritatis commercium, diligenter communicabantur.

Porro hæ ipſæ Eccleſiæ hac via primo quidem Evangelium a S. Matthæo conſcriptum, deinde S. Marci, & S. Lucæ, item Acta Apoſtolorum ab eodem S. Luca conſcripta, ac demum multo poſt S. Ioannis Apoſtoli Evangelium, accepere, vel ex ipſis Apoſtolorum manibus, vel a diſcipulis Apoſtolorum, eoque tempore, quo Apoſtoli adhuc erant in vivis: Agnoſcebant in his ſcriptis contineri, & cum omni ſinceritate proponi, & doctrinam, & miracula, ac prophetias IESU Chriſti, ſibi alias iam oretenus ab Apoſtolis, coævisque Iudæis conteſtata, & annuntiata, eaque deinceps inviolabili cura & fidelitate ſervabant.

Et

Et ab his iam Eccleſiis eorumque Epiſcopis, continua ſerie deinceps ſibi ad noſtra uſque tempora ſuccedentibus, ad nos uſque tranſmiſſa hæc Apoſtolicorum ſcriptorum iuxta ac atteſtationum monumenta nos demum accepimus; ex quibus nos miraculorum & prophetiarum IESU Chriſti ſummam certitudinem citra omne dubium hodiedum cognoſcimus. Harum enim Eccleſiarum omnium conſenſu & teſtimonio unanimi certi ſumus *inprimis*, his Apoſtolicis & Evangelicis ſcriptis eadem ipſa prorſus omnia & ſola contineri, quæ Apoſtoli iam antea & docuerant de IESU Chriſti doctrina & factis, & ipſimet pro eisdem atteſtandis, & ubique divulganda eorum fide egerant: ſecus enim nunquam ea ſcripta vel ex ipſa Apoſtolorum manu tam unanimi conſenſu Eccleſiæ illæ recepiſſent. Certi *deinde* ſumus Apoſtolos ipſos, talia & tali modo de IESU Chriſto tum oretenus initio, tum deinde etiam ſcriptis atteſtantes, nec ipſos deceptos fuiſſe, nec decipere voluiſſe, Verbo: ex conſenſu omnium primævarum Eccleſiarum, quo Evangelia, Acta Apoſtolorum, & Epiſtolas Apoſtolicas ceu veridicas recepere, duo hæc omni cum evidentia eruuntur, videlicet primas illas Eccleſias ipſa Chriſti miracula, prophetias, doctrinamque eo ipſo modo & ſub iisdem criteriis veritatis ſibi per Apoſtolos annuntiata & conteſtata audiviſſe, quo modo & ſub quibus criteriis per ſcripta illa Apoſtolica & contigiſſe, & conteſtata fuiſſe referuntur; & vero etiam reipſa Apoſtolis eo modo prædicantibus omnem habuiſſe fidem: tum vero id genus atteſtationem Apoſtolicam non minus certam etiam a nobis omnibus hodiedum promereri fidem.

Nihilominus, ut omnem criterii iſtius vim plane ſub oculos ſtatuamus, per partes ilud explicabimus.

bimus. Itaque *primo* oſtendemus, conſtitutas ab Apoſtolis fuiſſe præcipuas Eccleſias, hisque paſtores Epiſcopos ex diſcipulis optimis ab eismet præfectos: *deinde* ab Eccleſiis iſtis ſumma cautela & ſimul unanimi conſenſu ſcripta Apoſtolica pro veris & authenticis fuiſſe recepta: *tertio*, eadem ſcripta hoc ipſo vera eſſe, & ab eis auctoribus ſcripta, quorum nomina hodiedum præſeferunt: *quarto*, ſcripta eſſe ante Solymorum ruinam, adeoque vere prophetica: *quinto*, incorrupta eadem ad nos uſque perveniſſe: *ſexto*, Apoſtolos reliquosque ſcriptores illos ſacros, plenam eorum, quæ de Chriſto atteſtabantur, notitiam habuiſſe: *ſeptimo* demum, eosdem fidelitate ſumma & ſinceritate teſtimonium de IESU Chriſti factis & doctrinis omnibus tuliſſe. Septem iſthæc capita ſi clara in luce & extra omne dubium poſuerimus; non video, quid porro poſſit ad ſummam atteſtationis Apoſtolicæ de IESU Chriſti doctrina, prophetiis, & miraculis certitudinem deſiderari. Dabimus id effectum duobus *ARTICULIS*, quorum *primo* oſtendemus, doctrinam IESU Chriſti, prophetias, & miracula, prout in Evangeliis continentur, fuiſſe ab Apoſtolis, teſtibus oculatis, & iſtorum primis diſcipulis, cum ore, tum ſcripto atteſtata, eamque atteſtationem incorruptam ad nos uſque tranſmiſſam eſſe: *altero*, Apoſtolos plenam perfectamque de iis rebus, quæ atteſtati de Chriſto ſunt, notitiam habuiſſe; ſimul vero eosdem ea ſinceritate ac fidelitate teſtimonium tuliſſe, ut extra omnem ſuſpicionem ſint, nos fallere voluiſſe.

ARTI-

ARTICULUS I.

DOCTRINA, MIRACULA, ET PROPHETIÆ IESU CHRISTI, AB EIUS APOSTOLIS ET DISCIPULIS, CEU TESTIBUS OCULATIS, CUM ORETENUS, TUM SCRIPTIS EVANGELICIS, AC EPISTOLIS CANONICIS ATTESTATA, MOXQUE AB INNUMERIS HOMINIBUS OB EAM ATTESTATIONEM CREDITA SUNT, EAQUE ATTESTATIO AD NOS USQUE INCORRUPTA PERVENIT.

§. 246.

FACTUM Imum INDUBITATUM. Apoſtoli & Diſcipuli IESU Chriſti ſua ætate fundavere in plurimis iisque præcipuis provinciarum civitatibus, in quibus IESU Chriſti Evangelium cum fructu prædicaverant, Eccleſias, id eſt, cœtus credentium, Epiſcopo, id eſt, ſummo aliquo Præſide, rectore, & Magiſtro doctrinæ fidei ex iis conſtituto, qui optimi & ad tale munus aptiſſimi ex ſuis diſcipulis eis videbantur.

DOCUMENTA HUIUS FACTI MULTIPLICIS VIVA ſunt ipſæ Eccleſiæ Ieroſolymitana, Antiochena, Alexandrina, Romana, Corinthiaca, Epheſina, Philippenſis, Theſſalonicenſis, Athenienſis, Cretenſis, Coloſſenſis, Mileti, Laodiceæ, Ptolemaidis, Cæſareæ, Smirnenſis, Philadelphiæ, Hierapolis, Pergami, Sardicenſis, Magneſia, Trallenſis. His adde Eccleſias alias plurimas ab Apoſtolis ipſis in tribus orbis partibus fundatas, quarum propria nomina nos latent, & ſolum Provinciæ expreſſæ in antiquis documentis inveniuntur; de quibus ſupra §. 216. Harum Eccleſiarum omnium fundationes ab ipſis Apoſtolis

factæ per teſtes coævos, vel certe proxime contemporaneos, ſunt teſtatæ, & complurium ex eis primi Epiſcopi, item ab Apoſtolis conſtituti, cum integra, continua, & accurata ſucceſſorum ſerie, coævis documentis deſignata leguntur. Documenta iſthæc particularia de ſingularium iſtiusmodi Eccleſiarum conſtitutione & Epiſcopis præ manibus omnia habebat ſua ætate Euſebius Cæſareenſis Epiſcopus, ſub initium quarti Eccleſiæ ſæculi florere incipiens; qui primus (ut ipſe in Procemio Hiſtoriæ ſuæ Eccleſiaſticæ affirmat) hiſtoriam generalem Eccleſiæ ex particularium Eccleſiarum documentis congeſſit; quorum multa hodiedum authentica extant exempla. Vixerat autem Euſebius eo præciſe tempore, quo ob reſtitutam a Conſtantino Magno Eccleſiæ pacem, & plurima ab Epiſcopis in cauſſa Ariana habita Concilia ex omnibus provinciis orientis & occidentis, præſenti ut plurimum Euſebio prona occaſio ſuppetebat authenticas de fundationibus Eccleſiarum notitias & documenta conquirendi. Maioris evidentiæ cauſſa iuvabit iſtius facti valde compoſiti, ac eiusdem multiplicis item atteſtationis, exempla ſingularia afferre, quæ præcipua ex omnibus videbuntur.

Ieroſolymitana Eccleſia ab Apoſtolis prima omnium fundata eſt ſtatim a die Pentecoſtes, eique Epiſcopus Præpoſitus S. Iacobus Minor (Act. XXI. 18.). Refert iſtius cædem Ieroſolymis peractam ipſe Ioſephus Iudæus, teſtis coætaneus, & minime ſuſpectus, lib. XX. Antiq. cap. 8. his verbis: *Albino* (Præſide Romano recens per Neronem in Feſti locum conſtituto) *adhuc agente in itinere, Ananus* (ſummus Ieroſolymæ Sacerdos) *concilium iudicum advocat, ſtatutumque coram eo fratrem IESU Chri-*

ſti,

ści, Iacobum nomine, & una quosdam alios, reos impietatis peractos, lapidandos tradidit: quod factum omnibus in ea civitate bonis & legum ſtudioſis vehementer diſplicuit; miſſisque ad regem (Agrippam) *clam nuntiis rogaverunt; mandaret Anano, ne quid tale poſthac ageret; nam ne nunc quidem recte egiſſe. Quidam etiam Albino occurrentes venienti ab Alexandria, docuerunt eum, non licuiſſe Anano ſine ipſius conſenſu advocare concilium: horum verbis ille perſuaſus, iracunde ſcripſit Pontifici, daturum ſibi pœnas minitans: & Agrippa rex eam ob cauſſam poſt tertium menſem ablatum ab eo Pontificatum IESU Damnei filio conceſſit.* Locus iſte ſic cum cetero contextu antecedente & conſequente in Ioſepho connexus eſt, ut nulla interpolationis vel ſuſpicio locum habere poſſit. Rem eandem Euſebius hiſt. Eccl. lib. II. cap. 23. ex Hegeſippo ſcriptore Eccleſiaſtico narrat; qui *primæ ſucceſſionis Apoſtolorum tempore*, id eſt, circa annum 120, *florens*, Iudæus ipſe natione, quinque libris de Hiſtoria Eccleſiaſtica a Paſſione IESU Chriſti uſque ad ſua tempora conſcriptis, ſimplici ſtilo traditiones Apoſtolicas eſt complexus & plerasque provincias, inde a Iudæa Romam uſque, peragrando, ex Eccleſiarum Chriſtianarum Epiſcopis doctrinarum & traditionum Apoſtolicarum conſenſum ubique vigere intellexit. Euſ. hiſt. IV. 8. 14. 22. Teſte iam eodem Hegeſippo S. Iacobo in Solymæ Epiſcopatu ſucceſſit S. Simeon, Chriſti cognatus, & Cleophæ fratris S. Ioſephi filius, qui Eccleſiam illam ultra annos quadraginta rexit. Huic e vivis erepto circa annum Chriſti centeſimum ſucceſſit Iuſtus, iſti anno circiter 111. Zachæus, Tobias, Beniamin I, Ioannes, Matthias, Beniamin II, omnes intra tredecim annos mortui. Euſeb. Chron. ad annum 112. & in hiſt. IV. 5. Atque ſic uſque ad annum decimum octavum Ha-

driani Imperatoris, quo is Solyma funditus e-verſa omnes inde Iudæos proſcripſit, continua ſe-rie Epiſcopi Iudæi natione nomine tenus nume-rantur apud eundem Euſebium: quos deinceps rur-ſus continua ſerie uſque ad Euſebii ætatem exci-piunt alii ex gentibus prognati.

Antiochena Eccleſia item ab Apoſtolis, & quidem ab ipſis SS. Petro & Paulo fundata, accepit an-no Chriſti 43. primum Epiſcopum S.Evodium (te-ſte Euſebio in Chron. ad an. 43. & hiſt. III. 22.) cui poſt viginti ſex annos ſucceſſit S. Ignatius Martyr, qui ipſe quoque (teſte Origene, iam anno Chriſti 202. Alexandriæ in ſchola publica florente, homil. 6. in Lucam) Apoſtolorum diſcipulus fuit, & anno 106. ad Martyrium abreptus ſeptem illas Epiſtolas ad diverſas Eccleſias, item iam tunc con-ſtitutas ſcripſit; quas hodiedum omnium Critico-rum iudicio authenticas habemus. S. Ignatio ſuc-ceſſit Hero, Cornelius, Heros, Theophilus, Maxi-minus, Serapio, Aſclepiades &c. &c. Vide eius-dem Euſebii Chronicon ab anno 129.

Alexandrina Eccleſia omnium antiquorum con-ſenſu, & maxime Euſebio, teſtante (hiſt. II. 16. & 24. item in Chron. ad an. 43. & 62.) a S. Marco Evangeliſta fundata eſt: cuius etſi initium iuxta ac finis Epiſcopatus non ſatis conſentiente ve-terum teſtimonio teſtatum habeatur; certum ta-men eſt, eum vivis adhuc pluribus Apoſtolis, & no-minatim SS. Petro & Paulo, illam Eccleſiam re-xiſſe, tum ſucceſſorem proximum habuiſſe Anianum (Euſ. Chron. an. 85. & hiſt. III. 14.) ac poſt hunc Abilium, Cerdonem, Primum, Iuſtum, Eumenium, vel ut alii legunt, Hymenæum, Marcum (vel Mar-cianum) Celadionem &c. &c.

Romana

Romana Eccleſia, princeps omnium aliarum, citra omne dubium fundata eſt ab ipſis SS. Apoſtolis Petro & Paulo, ex omnium veterum ac primævorum teſtium conſenſu ibidem Martyrio ſub Neronis imperio affectis. Iſtius rei alibi teſtimonia diſtincte afferemus ex Epiſtola S. Clementis Romani, qui ipſe utriusque Apoſtoli converſatione uſus, poſtea tertius a S. Petro (teſte S. Irenæo lib. III. adv. hæreſ.) ſecundi ſæculi ſcriptore probatiſſimo) eandem Romanam Eccleſiam rexit; item ex Epiſtola S. Iguatii Antiocheni Martyris & diſcipuli Apoſtolorum, quam iam ſenex anno tamen 106. ad Romanos ſcripſit; ex Papia circa annum 111. florente, ex S. Irenæo ipſo modo citato, ex S. Dionyſio Corinthio ad ann. 167, ex Tertulliano demum, Gaio, Origene, Clemente Alexandrino, S. Cypriano, afferemus; qui omnes tertio currente ſeculo de iſta re clariſſime teſtati ſunt.

Athenienſis Eccleſia a S. Paulo Apoſtolo fundata eſt (Act. XVII.) eique primus Epiſcopus datus S. Dionyſius Areopagitarum unus, cui ſucceſſit Publius, & huic Quadratus & ipſe Apoſtolorum diſcipulus, qui anno 124. Hadriano Imperatori Athenas venienti Apologiam pro religione Chriſtiana tradidit, optimo, ut ait Euſebius, ingenio & ſumma ſinceritate conſcriptam contra Celſi Ethnici Philoſophi criminationes, in qua veritatem miraculorum IESU Chriſti aptiſſime propugnavit. Conſtat de his tum ex Epiſtola S. Dionyſii Corinthiaci Epiſcopi circa annum 167. ad Athenienſes ſcripta, tum ex fragmento Apologiæ Quadrati, extante apud Euſeb. hiſt. IV. 3. & in Chron. ad ann. 124. & 127. item hiſt. IV. 23.

Corinthiaca Eccleſia item a S. Paulo fundata legitur Act. XVIII. 11.: cuius & duæ extant Epi-

Digitized by Google

ſtolæ anno circiter 69. ad eosdem Corinthios data, in qua eos ad ea ſervanda adhortatur, quæ S. Paulus eos docuerat, & maxime ad Epiſcopum venerandum, quem Apoſtolica auctoritas conſtituiſſet. Epiſtola hæc Clementis iuxta, atque illæ duæ S. Pauli Epiſtolæ, teſte S. Dionyſio ipſo Corinthiaco (apud Euſ. hiſt. IV. 23.) ſeptuaginta poſt annis adhuc publice in Eccleſia Corinthi legebatur. Idem S. Dionyſius Corinthiacus in Epiſtola ad Romanos data affirmat, ſuam Eccleſiam a SS. Apoſtolis Petro & Paulo fundatam eſſe.

Epheſina Eccleſia Act. XVIII. & XIX. & in S. Ignatii Martyris Epiſtola, ad Epheſios anno 106. ſcripta, pariter a S. Paulo fundata refertur. Euſebius hiſt. III. 4. narrat primum ibi Epiſcopum S. Timotheum eſſe conſtitutum. Vide etiam Ep. I. ad Timoth. IV. 14. & eandem cap. I. v. 3. ac 2dam ad eundem cap. I. v. 6. item I. Tim. cap. III. Huius S. Timothei ſucceſſor in Epiſcopatu nominatur S. Oneſimus (S. Pauli & ipſe diſcipulus a S. Ignatio Martyre Antiocheno in citata Epiſtola.

Eccleſiæ item *Theſſalonicenſis*, *Coloſſenſis*, *Philippenſis*, *Galatiæ* plures, *Smirnenſis*, *Philadelphia*, *Cretenſis*, *Amaſtriaca in Ponto*, *Gortynenſis*, *Magneſia*, *Trallenſis*, *Hierapolitana*, *Sardicenſis*, *Cæſareenſis in Syria*, certo item ab Apoſtolis, aut Chriſti diſcipulis fundatæ ſunt. De *Theſſalonicenſi*, *Coloſſenſi*, *Philippenſi*, & *Galatiæ Eccleſiis* ex Epiſtolis a S. Paulo ad eas ſcriptis & omnium confeſſione authenticis, uti & ex Ep. I. S. Petri ad Eccleſias Ponti, Galatiæ &c. data conſtat. S. Polycarpus S. Ioannis Apoſtoli diſcipulus teſte S. Irenæo (lib. III. c. 3. contra hæreſ.) ab hoc primus *Smirnæ* Epiſcopus creatus eſt. Fuit autem S. Irenæus ipſe diſci-

diſcipulus S. Polycarpi. Idem S. Polycarpus circa an. 111. Eccleſiam *Philippenſem*, ceu iam pridem conſtitutam, Epiſtola honoravit, in qua ei imitanda Zoſimi & Rufi exempla commendat, ac in primis S. Pauli, quem illis notiſſimum fuiſſe ſupponit. Ad Eccleſias *Philadelphiæ, Magneſiæ, Trallenſem, Smirnæ*, etiam extant authenticæ Epiſtolæ a S. Ignatio Martyre ad eas iam anno 106. ſcriptæ, nominatis eorum Epiſcopis. S. Dionyſius Corinthius in Epiſtola ad Eccleſiam *Amaſtriacam in Ponto* huius Epiſcopum nominat Palmantem, & in Epiſtola ad Eccleſiam *Gortynenſem* eius Epiſcopum vocat Philippum. *Cretenſium* primus Epiſcopus fuit S. Titus, conſtitutus a S. Paulo, uti ex huius ad illum Epiſtola conſtat cap. I. v. 5. S. Dionyſius Corinthius item ad huius Inſulæ incolas *Gnoſſiacos* Epiſtolam dedit, in qua ſua ætate eorum Epiſcopum nominat *Pinytum*, qui & egregii operis teſte S. Hieronymo (de Script. Eccl.) contra Marcionem hæreticum auctor fuit. *Cæſareæ* Act. XXI. 8. Philippus unus ex ſeptem primis Diaconis rexiſſe Eccleſiam legitur. *Hierapolis* Epiſcopus anno 111. fuit celeber ille S. Papias, qui non quidem Apoſtolos, attamen Apoſtolorum diſcipulos ſe vidiſſe teſtatur apud Euſ. hiſt. III. ult. *Sardicenſis* in Apocalipſi S. Ioannis cap. I. 10. mentio occurrit, extatque Melitonis Sardicenſis Epiſcopi egregia Apologia anno 170. edita, ac Cæſari Marco Aurelio inſcripta (Euſ. hiſt. VI. 26.) uti & collectio ſententiarum brevium & ſelectarum Scripturæ, Canonem librorum veteris teſtamenti Iudaicum continens (Euſ. hiſt. IV. 26.). In eodem Apocalipſis (quæ omnium confeſſione primo Eccleſiæ ſeculo ſcripta eſt) loco occurrunt Eccleſiæ *Pergami, Thyatiræ, Laodiciæ* &c. &c. Taceo demum alias plures Eccleſias, quæ tum in Actis A-

 poſtolo-

poſtolorum memorantur, ut Eccleſiæ *Samariæ. Damaſci, Troadis, Mileti, Inſulæ Paphos, Iconii, Lyſtrorum, Antiochiæ in Piſidia, Pergæ in Pamphilia, Cypri, Beræœ, Tyri, Ptolemaidis* &c. &c. Taceo item omnes alias Eccleſias, a ceteris Apoſtolis, in remotiores terras Evangelium portantibus, in tribus orbis partibus conſtitutas. Sufficiat denique teſtimonium ipſorum hoſtium Chriſtianæ religionis *Suetonii* videlicet in vita Neronis, & *Taciti*, lib. V. hiſt. teſtantium quadraginta annis a morte Chriſti, ſua ætate religionem iſtius per univerſum iam orbem cultores plurimos habuiſſe.

De Epiſcopis per Apoſtolos in hiſce Eccleſiis conſtitutis addamus ſequentia documenta. 1mo. *S. Clemens Romanus*, tertius a S. Petro, in Epiſtola ad Corinthios, qui erga Epiſcopum ſuum refractarii fuerant, inter alia hæc habet: *Apoſtoli in regionibus & urbibus prædicantes, quos inter ſe optimos invenerunt, & Spiritu Sancto probatos, in Epiſcopos & Diaconos illorum conſtituerunt, qui credituri erant.* Et poſtea: *Apoſtoli a Domino noſtro IESU Chriſto illuminati certiſſime providerunt, propter nomen Epiſcopatus contentiones fore; ideo conſtituerunt eos, quos diximus, & mandarunt, ut poſt eorum deceſſum alii viri probati in Miniſterio ſuccederent. Itaque, qui ab ipſis Apoſtolis conſtituti fuerunt, aut ab aliis viris excellentibus, cum totius Eccleſiæ conſenſu, & deinde irreprehenſibiles IESU Chriſti gregem in humilitate & pace, non ut mercenarii, paverunt, & quibus omnes multo tempore bonum teſtimonium reddiderunt, hos a miniſterio repelli, æquum non eſſe exiſtimamus.* De hac S. Clementis Epiſtola, quæ ſine controverſia authentica habetur, teſtatur S. Dionyſius ipſe Corinthius Epiſcopus in ſua Epiſtola ad S. Soterem Pontificem Romanum data circa an. 167.; quam ipſam

Diony-

Digitized by Google

Dionyſii Epiſtolam refert Euſebius hiſt. IV. 23. & ante ipſum proximus S. Dionyſio ætate S. Irenæus lib. III. adv. hæreſ. & Clemens Alexandrinus in lib. IV. Stromat. edit. 1641. p. 516.

2do. *S. Irenæus* circa an. 180. lib. III. adverſus hæreſes cap. 3. hæc ſcribit: *Eos enumerare pronum eſt nobis, quos Apoſtoli in Eccleſiis ſuos conſtituerunt ſucceſſores: nihil autem eorum, quæ vos ſomniatis* (ô hæretici!) *iſti docuere. Si enim Apoſtoli arcana habuiſſent, illis tantum committenda, quos inter ceteros virtute eminere cognoviſſent, hæc ſine omni dubitatione Epiſcopis tradidiſſent, quos toti Eccleſiæ præficiebant. Haud dubie optimos quosque, qui ſibi ſuccederent, eligebant, populumque poſt ſe informarent, non ignari, quantum eorum mores & vita ad Eccleſiæ vel ædificationem, vel deſtructionem, collatura eſſet. Longiſſimum foret ſucceſſionem omnium Eccleſiarum recenſere; ſatis erit, ſi traditionem & doctrinam Eccleſiæ omnium maximæ, antiquiſſimæ, toti mundo notæ, a glorioſis Apoſtolis Petro & Paulo Romæ fundatæ & ſtabilitæ afferamus. - - - Poſtquam igitur beati Apoſtoli Eccleſiam fundaverant, Epiſcopale munus Lino commiſerunt. Succeſſor eius fuit Anacletus, & poſt eum ab Apoſtolis ordine tertius Clemens Epiſcopatum ſuſcepit, qui beatos Apoſtolos viderat, cum ipſis fuerat converſatns, eorumque prædicationem & traditiones in recenti memoria tenebat: nec ipſe ſolus, ſed plures alii ſupererant ab ipſis Apoſtolis iuſtructi.* Tum pergit referre ordine Romanos Pontifices uſque ad Eleutherium ſua ætate ſedem obtinentem. Porro vero ait: *Similiter Polycarpus, ab ipſis Apoſtolis inſtructus, cum multis eorum, qui IESUM Chriſtum viderant, converſatus, ab Apoſtolis in Aſia Epiſcopus Smirnenſis inſtitutus; quem ego ipſe, cum iuvenis eſſem, vidi: - - - is, inquam, Polycarpus ſemper docuit, quæ*

ab

ab Apoſtolis acceperat, quæ Eccleſia nunc docet, & quod ſolum veritati conſentaneum eſt. Omnes aliæ Eccleſiæ, omneſque, qui uſque in hodiernam diem Polycarpo in ſede Smirnenſi ſucceſſerunt, teſtimonium reddunt, ipſum veritatis teſtem eſſe fidelem (quia nimirum conſentientia erant cum doctrina aliarum Eccleſiarum, quæ ſucceſſores S. Polycarpi ab anteceſſore hoc ſuo accepta docebant). - - - *Venit Polycarpus Romam tempore Aniceti, ubi multos hæreticorum diſcipulos in ſinum Eccleſiæ DEI reduxit, unicam & ſolam Apoſtolicam veritatem illam eſſe publice aſſerens, quam Eccleſia doceret.*

3tio. Addamus *Tertullianum* circa annum 207. lib. de Præſcript. ita ſcribentem: *Apoſtoli primo per Iudæam conteſtata fide in IESUM Chriſtum, & Eccleſiis inſtitutis, dehinc in orbem profecti. - - eccleſias apud unamquamque civitatem condiderunt. - - Edant ergo* (hæretici) *origines Eccleſiarum ſuarum: evolvant ordinem Epiſcoporum ſuorum, ita per ſucceſſiones ab initio decurrentem, ut primus ille Epiſcopus aliquem ex Apoſtolis, vel Apoſtolicis viris, qui tamen cum Apoſtolis perſeveraverit, habuerit auctorem & anteceſſorem. Hoc enim modo Eccleſiæ Apoſtolicæ cenſus ſuos deferunt; ſicut Smirnæorum Eccleſia Polycarpum, ab Ioanne collocatum, refert; ſicut Romanorum Clementem a Petro ordinatum: id proinde utique & ceteræ exhibent, quos ab Apoſtolis in Epiſcopatu conſtitutos, Apoſtolici ſeminis traduces habent. - - - Age percurre Eccleſias Apoſtolicas, apud quas ipſæ adhuc cathedræ Apoſtolorum ſuis locis videntur; apud quas authenticæ literæ eorum recitantur, ſonantes vocem, repræſentantes faciem. Proxima eſt tibi Achaia? habes Corinthum. Si non longe es a Macedonia, habes Philippos. Si potes in Aſiam tendere, habes Epheſum. Si autem Italiæ adiiceris, habes Romanam: unde nobis quoque auctoritas præſto eſt ſtatuta.*

4to.

4to. *S. Ignatii Martyris* ſeptem Epiſtolæ, iam anno 106. ſcriptæ, & omni antiquitati notæ, omnes quoque in eo præcipuæ ſunt, ut adhortentur fideles ad omnem obedientiam reverentiamque Epiſcopis in Eccleſiis iam tum conſtitutis exhibendam, & recipiendam a ſolis illis antiquam fidei doctrinam, per illos ab Apoſtolis acceptam.

* Ceterum nihil admodum ego iſthic moror, difficultates omnes Chronologicas, quæ circa annum erectæ cuiusvis Eccleſiæ per Apoſtolos, aut Epiſcopatuum ſingulorum initium occurrunt; e. g. de primo anno Epiſcopatus S. Marci Alexandriæ, S. Petri Romæ &c., item quis ordine præceſſerit S. Cletus an S. Clemens Romanus, num vero Anacletus? &c. &c. Nihil iſthæc omnia vel hilo minuunt certitudinem de conſtitutione harum omnium Eccleſiarum facta ab Apoſtolis, & de conſtitutis per eas Epiſcopis; quibus ſuprema traditionis fidei cuſtodia & doctrinæ Chriſtianæ Magiſterium committebatur.

§. 247.

Eccleſiarum primitivarum, quas Apoſtoli horumque primi diſcipuli conſtituerunt, & Epiſcoporum, quos illis præfecere, conſentiens teſtimonium præ aliis omnibus valere, & exquiri debet, cum quæritur; quid Apoſtoli de Chriſto Domino, eiusque doctrina, & factis docuerint; quid ipſi, aut eorum primi diſcipuli, de eodem ſcripſerint. Demonstr. Illæ enim & *ſcientiam* eius rei *certiſſime habuere*, experimento ſenſuum præſente, diuturno, & frequenti hauſtam, & *decipere* aut ſe ipſas, aut alios, adeo *non voluere*, ut *nec*, ſi voluiſſent, *potuiſſent* id conſenſu tam communi. Aut enim cur decipere aut alios vellent, aut ſe ipſos, in dogmatis tam arduis, tam per ſe ipſa inveriſimilibus, tam ſeveris aſſerendis, etiam cum bonorum omnium, ipſiusque vitæ, & ſanguinis diſpendio;

dio; ut religionem a nemine probabiliter aſſertam profiterentur, aut noto errori divulgando obſecundarent? Quomodo vero id potuiſſent etiam, quin ipſe Eccleſiarum tam frequentium diſſona atteſtatio fraudem manifeſte proderet, aut multi ſaltem apoſtatæ ad tegendam perfidiam ſuam illam in publicum enuntiaſſent? Quorum ex adverſo pluris valere auctoritas debet in Apoſtolorum doctrinis, quales illæ præciſe fuerint, atteſtandis, niſi illorum, qui primi contemtis omnibus mundi bonis æque ac malis eam doctrinam, etſi ſumme arduam & humanis affectionibus e diametro adverſantem, nihilominus ceu unicam totius ſalutis ancoram excepere, & tot Martyrum ſanguine ita aſſeruere, ut ſupplicia mallent ultima hilares perferre, quam vel unum eius doctrinæ articulum dimittere? quod ultimum reipſa a primis illis Chriſtianis, ingenti numero, atque hos inter cum eminenti inprimis virtute ab eorundem Epiſcopis factum, omnium hiſtoricorum, chriſtianorum & gentilium fide compertiſſimum habetur. *Permittente DEI providentia factum,* inquit S. Iuſtinus Martyr (in Dial. cum Tryph. anno 166.) *ut homines quidam ſolem pro Numine habitum adorarent: quis autem eorum unquam pro ſole mori viſus eſt? cum tamen ex omnibus nationibus homines pro IESU Chriſti nomine mortem, & tormenta morte peiora, ſuſtineant.*

* Lege ſis, quæſo (ſi ullum tibi de aſſerto iſthoc dubium ſupereſt) tum quæ primi Chriſtianæ religionis Apologiſtæ, ut S. Iuſtinus, Athenagoras, S. Melito Sardicenſis, S. Irenæus &c. &c. de doctrina Chriſtiana, Clemens vero Alexandrinus in Stromat. lib. IV. & VI, & Origines contra Celſum de moribus integerrimis* primorum Chriſtianorum, Evangelio ex integro conſentaneis, ſcripſere; tum etiam acta SS. Martyrum, præcipue tot ſanctiſſimorum Epiſco-

piſcoporum, Simeonis Ieroſolymitani, Ignatii Antiocheni, Polycarpi, S. Iuſtini, aliorumque ſine numero; lege horum ipſorum ſcripta & Epiſtolas, & in his modum, quo tum ipſi, tum paſſim alii Chriſtiani crudeliſſima ſupplicia pro religione ſua tolerarunt (vide inprimis Clementem Alex. in lib. IV. Strom. de Martyrio) & convinceris omnino, non niſi divino actos Numine illos omnes fuiſſe in tota religione ſua aſſerenda.

* * Inde eſt ſane, quod primi Eccleſiæ Chriſtianæ Patres, maxime ſecundo & tertio ſeculo, tam conſtanter adverſus omnes ſectarios, novas doctrinas & ſcripta Apoſtolica nova obtrudentes, primitivarum illarum Eccleſiarum conſentiens teſtimonium reclamarint. Ita S. Irenæus in lib. III. cap. 3. adv. hæreſ. omnes novas doctrinas hoc argumento confutat, dicens: *traditione Romana ab Apoſtolis accepta, hac fide hominibus annuntiata, & uſque ad nos per ſucceſſionem Epiſcoporum continuata, omnes illos confundimus, qui conventus ſpurios & illegitimos celebrant.* -- *In hac Eccleſia* (Romana) *Apoſtolorum traditio ab omnium nationum fidelibus fuit conſervata.* Et cap. 4. *Si de aliqua quæſtione diſceptatio oriretur, ad cuius iudicium eſſet appellandum, niſi antiquiſſimarum Eccleſiarum, in quibus Apoſtoli vixerunt? Quid autem tunc foret remedii, ſi Apoſtoli nihil ſcriptum nobis reliquiſſent? Nunquid ad traditiones, illis viris relictas, quibus Eccleſias commiſerunt, eſſet recurrendum?* Conſentit, ad amuſſim Tertullianus lib. de Præſcript. cap. 21. *Hinc præſcriptionem dirigimus. Si DEUS IESUS Chriſtus Apoſtolos miſit ad prædicandum, alios non eſſe recipiendos prædicatores, quam quos Chriſtus inſtituit. Quid autem prædicaverint, & hic præſcribam, non aliter probari debere, niſi per easdem Eccleſias, quas ipſi Apoſtoli condiderunt, ipſi eis prædicando, tam viva (quod aiunt) voce, quam per Epiſtolas poſtea.* Inclamabunt quidem Doctores Eccleſiæ primi hanc veritatis regulam adverſus corruptelas naſcentium hæreticorum, doctrinam & ſcripta Apoſtolica

aut

aut corrumpentium, aut in malam partem trahentium, non autem adverſus gentiles & paganos; quippe qui, quid Apoſtoli docuiſſent æque parum curabant, atque quid Chriſtus ipſe. At quis non videt, etiam gentilibus de eo, quid prædicaſſent, quid ſcripſiſſent Apoſtoli de Chriſto, præciſe inquirentibus, rectiſſime quoque primas ab Apoſtolis fundatas Eccleſias fuiſſe oſtendendas; ex quibus omnium certiſſime poſſent intelligere, quod reſcire vellent?

§. 248.

FACTUM IIdum INDUBITATUM. Eccleſiæ ab Apoſtolis eorumque diſcipulis primitus fundatæ unanimi conſenſu iam primo ſeculo æræ Chriſtianæ pro authenticis recepere quatuor Evangelia, S. Matthæi, S. Marci, S. Lucæ, & S. Ioannis, item Epiſtolas S. Pauli, ad Romanos unam, ad Corinthios duas, ad Epheſios unam, ad Galatas unam, ad Philippenſes unam, ad Coloſſenſes unam, ad Theſſalonicenſes duas, duas item ad Timotheum, unam ad Titum, & ad Philemonem item unam, primam S. Petri, & primam S. Ioannis Apoſtoli, ac demum Acta Apoſtolorum a S. Luca Evangeliſta conſcripta.

DOCUMENTA iſtius item perquam compoſiti ac multiplicis facti habemus ſequentia: 1. *Papias* Epiſcopus Hierapolitanus in Phrygia, ineunte ſecundo ſæculo florens, Ioannis Presbyteri Epheſini diſcipulus, & S. Polycarpo Smirnenſi amicitia iunctus (qui ambo diſcipuli fuere S. Ioannis Evangeliſtæ, Epheſi ut plurimum commorantis) qui non quidem ipſe Apoſtolos viderat, ſed eorum diſcipulos (apud Euſeb. hiſt. III. 39. S. Irenæus tamen lib. 5. c. 33. & longa poſt illum ſerie auctores ceteri, Papiam ipſius S. Ioannis Apoſtoli diſcipulum fuiſſe, ſatis diſerte innuere videntur) ſic in opere ſuo, quod *quinque libros Expoſitionum de ſermoni-*

ſermonibus Domini inſcripſerat, teſtatur: Matthæus hebraica *dialecto librum ſuum compoſuit: expoſuerunt autem illum, ſicut quisque potuit.* Tum de S. Marco ait: *Marcus quidem, cum Petri eſſet interpres, quæcunque memoria retinuit, accurate conſcripſit, non quidem eo ordine, quo a Domino dicta ſunt, aut facta: neque enim audivit Dominum, neque illius, ſed Petri poſtea, ſicut dixi, aſſectator fuit; qui doctrinas ſuas, iuxta quod neceſſitas exigebat, non ut conſtructionem ſermonum Domini faceret, adminiſtravit, ita, ut nihil deliquerit Marcus, quod quædam ita conſcripſit, ſicuti ea memoriæ tradiderat. De hoc uno ſiquidem cogitavit, ne quid eorum, quæ audierat, omitteret, aut qua in re, quod falſum eſſet, traderet.* Ceterum, etſi non magni iudicii hominem hunc Papiam fuiſſe Euſebius ipſe ex eius ſcriptis affirmet, quod ſcilicet parabolas & figuras quandoque a Domini diſcipulis in prædicatione adhibitas ſecundum literam intelligens, regnum Chriſti in terris millenarium primus adſtruxerit: tamen in rebus meri facti, & quidem publice comperti, indagandis & atteſtandis ſufficientem diligentiam & cautelam eum adhibuiſſe, ex his ipſiusmet verbis ab Euſebio relatis ſatis licet dignoſcere. *Non delectatus ſum illis,* inquit, *qui multa dicunt; - - ſed his, qui quæ a Domino fidei noſtræ ſunt tradita, & ab ipſa profecta veritate afferunt. Sicubi quisquam venit, qui ſeniorum aſſectator fuit, ſeniorum verba exquirebam; quid Andreas, quid Petrus, quid Philippus, quid Thomas, aut Iacobus, aut Ioannes, ſive Matthæus, vel alius quisquam ex diſcipulis Domini dixerint. Cogitabam enim, me non tantum utilitatis ex libris, quantum ex viva ac permanente voce relaturum.* Præterea eundem Papiam Euſebius ipſe lib. 3. cap. 38. vocat *virum in primis diſertum, eruditum, & Scripturarum peritum.* Denique idem Euſebius l. III. c. 39. teſtatur, Papiam in

in ſuis libris uſum fuiſſe teſtimoniis ex priore Epiſtola S. Ioannis, & ex prima S. Petri.

2. *S. Iuſtinus Martyr* in ea, quam pro defenſione Chriſtianorum circa annum 150. ipſi Cæſari Antonino Pio, eius filiis, & Senatui, univerſoque populo Romano inſcripſit, Apologia II, poſtquam varia ex omnibus quatuor Evangeliis allegavit: ſic verſus finem eiusdem loquitur: *die, quæ appellatur, ſolis, omnes* (Chriſtiani) *ſive in civitate, ſive ruri habitent, in unum locum conveniunt. Ibi ſcripta Apoſtolorum & Prophetarum leguntur. - - - Ceſſante lectore, qui Congregationi præeſt, pro concione dicit, & ad ea, quæ lecta ſunt, præclariſſima documenta opere complenda populum hortatur.* Ecce! ut iam Iuſtini ætate Apoſtolorum ſcripta in omnibus Eccleſiis publice legebantur. De communi enim Chriſtianorum diſciplina Iuſtinus Imperatorem edocet. Quænam autem illa ſcripta Apoſtolorum, niſi Evangelia & Epiſtolæ? Et vero ſic ipſe S. Paulus iuſſerat in Ep. ad Coloſſ. cap. IV. v. 16. dicens: *cum lecta fuerit apud vos Epiſtola hæc, facite, ut & in Laodicenſium Eccleſia legatur; & eam, quæ Laodicenſium eſt, vos legatis.*

3. *S. Irenæus*, ſub annum circiter 110. natus, S. Polycarpi (ut ipſe in Epiſt. ad Florinum apud Euſeb. lib. V. cap. 20. teſtatur) diſcipulus (fuit autem S. Polycarpus ipſo teſte Irenæo lib. III. cap. 3. *vir non ſolum ab Apoſtolis eruditus, ſed & ab iisdem Eccleſiæ Smyrnenſis Epiſcopus ordinatus;* idemque teſte Euſebio anno primum 167. in extremo ſenio Martyrio coronatus) adverſus hæreſes ſcribens, in libro ſecundo hæreticis ſui temporis, Valentinianis nimirum, Marcionitis, aliisque, abuſum Evangeliorum ad errores ſuos probandos graphice

phice exprobrat; tum vero lib. III. cap. 1. ſic habet: *Matthæus Hebræis in ipſorum lingua Evangelium ſcripſit, dum interim Petrus & Paulus Romæ prædicarent, & fundarent Eccleſiam. Poſt eorum abitum* (μετὰ τὴν τέτων ἔξοδον) *Marcus Petri diſcipulus & interpres etiam ſcripto nobis conſignavit, quæ Petrus prædicaverat* (Euſebius lib. II. hiſt. cap. 15. ait a Petro adhuc vivo Marci Evangelium approbatum eſſe; idemque ex teſtimonio Clementis Alexandrini repetit hiſt. lib. VI. cap. 14. Unde ne Euſebius ipſe ſibi contradicat, recte vocem ἔξοδον pro *abitu*, non, ut alii cum Caveo volunt, pro *morte* Petri & Pauli, apud eundem Euſebium lib. V. hiſt. cap. 8. intelligunt): *& Lucas, qui Paulum ſequebatur, in unum librum congeſſit Evangelium, quod Paulus docuerat. Tandem Ioannes Domini diſcipulus, cum eſſet Epheſi in Aſia, etiam ſcriptum reliquit nobis ſuum Evangelium.* Subdit deinde lib. III. cap. 2. S. Ioannem ſuum Evangelium contra Cerinthi & Nicolaitarum errorem ſcripſiſſe; ait inſuper, nec pauciora quam *quatuor eſſe Evangelia* poſſe, & Myſterium quatuor animalium Apocalypticorum refert ad Evangeliſtas. Aſſeverat denique, id, quod de his quatuor Evangeliis affirmarit, adeo indubitatum eſſe, ut ipſi hæretici illorum reddant teſtimonium, dum quælibet eorum factio contendat ex uno eorum aliquo hæreſi ſuæ auctoritatem adſciſcere, *Ebionitas* quidem uti ſolo Evangelio S. Matthæi, *Marcionem* ſolo Evangelio S. Lucæ, eos, *qui Chriſtum volunt impaſſibilem fuiſſe*, Evangelio S. Marci, *Valentinianos* denique S. Ioannis Evangelio. Ex quo concludit, id, quod Eccleſia univerſa de Evangeliorum fide crederet, prorſus extra dubium eſſe, eo quod vel maximos hoſtes & adverſarios ſuos in hac parte teſtes habeat. Porro in omni hac diſputatione S. Irenæus perpetuo ad Apoſtolicarum primiti-

mitivarumque Eccleſiarum teſtimonia & conſenſum contra hæreticos appellat, quoties de eo, quid Apoſtoli docuerint, quidve ſcripſerint, quæſtio enaſcatur.

4. *Tertullianus*, iam circa annum 197. doctrinæ laude florens, contra Marcionem, Scripturas Apoſtolicas vitiantem, & Evangelia omnia præter S. Lucæ Evangelium repudiantem (invaluit ille hæreticus iam circa annum 127.) ſic ſcribit lib. IV. *Conſtituimus in primis, Evangelicum inſtrumentum Apoſtolos auctores habere, quibus hoc munus Evangelii promulgandi ab ipſo Domino ſit impoſitum. Si & Apoſtolicos; non tamen ſolos, ſed cum Apoſtolis, & poſt apoſtolicos: quoniam prædicatio diſcipulorum ſuſpecta fieri poſſet de gloriæ ſtudio, ſi non aſſiſtat illi auctoritas Magiſtrorum, imo Chriſti, quæ Magiſtros Apoſtolos fecit. Denique nobis fidem ex Apoſtolis Ioannes & Matthæus inſinuant, ex Apoſtolicis Lucas & Marcus inſtaurant.* Ait deinde, Lucam ſolum a Marcione admitti, attamen & vitiari: Lucam S. Pauli fuiſſe quidem diſcipulum; ſed & ſi ipſius Pauli Evangelium quoddam Marcion iactaret, *non ſuffecturam ad fidem ſingularitatem inſtrumenti, deſtitutam patrocinio anteceſſorum:* vel ipſum S. Paulum, cum poſterior ad Evangelizandum vocatus eſſet, ſuum Evangelium cum Apoſtolis ſe anterioribus contuliſſe Ieroſolymis, & tum primum, poſtquam de regula fidei conveniſſet, illos ipſi dexteram dediſſe. Igitur *ſi Paulus illuminator Lucæ auctoritatem anteceſſorum & fidei & prædicationi ſuæ optavit,* quanto magis Evangelio Lucæ, quod Marcion iactaret, eam fore neceſſariam; cum merito quæratur, qua via Lucæ, multo ipſo anterioris, Evangelium genuinum ad ipſum Marcionem multo poſteriorem pervenerit. - - - Porro inquit, *Evangelium Lucæ, quod eſt*

ſecundum

ſecundum nos, adeo antiquius Marcione eſt, ut & ipſe illi Marcion aliquando crediderit; cum & pecuniam in primo calore fidei catholicæ Eccleſiæ contulit: - - ipſum eſt, quod per Antitheſes ſuas Marcion arguit ut interpolatum a protectoribus Iudaiſmi. Utique non potuiſſet arguere, niſi quod invenerat. Emendatio culpam non antecedit. Emendator ſane Evangelii a Tiberianis (quibus Chriſtus paſſus fuerat) *uſque ad Antoniana tempora* (queis Marcion graſſari cæpit) *everſi. Marcion ſolus & primus obvenit, expectatus tamdiu a Chriſto, pœnitente iam, quod Apoſtolos præmiſiſſe properaſſet ſine præſidio Marcionis. - - - In ſumma: ſi conſtat, id verius, quod prius; id prius, quod & ab initio, ab initio, quod ab Apoſtolis; pariter utique conſtabit, id eſſe ab Apoſtolis traditum, QUOD APUD ECCLESIAS APOSTOLORUM FUERIT SACROSANCTUM. Videamus, quod lac a Paulo Corinthii hauſerint; ad quam regulam Galatæ ſint recorrecti, quid legant Philippenſes, Theſſalonicenſes, Ephesii, quid etiam Romani de proximo ſonent, quibus Evangelium & Petrus & Paulus ſanguine quoque ſuo ſignatum reliquerant. Habemus & Ioannis alumnas Eccleſias. Nam etſi Apocalypſim eius Marcion reſpuit, ordo tamen Epiſcoporum ad originem recenſus, in Ioannem ſtabit auctorem. Sic & ceterorum generoſitas recognoſcitur. Dico itaque apud illas, nec ſolas iam Apoſtolicas, ſed apud univerſas, quæ illis de ſocietate Sacramenti confœderantur, id Evangelium Lucæ ab initio editionis ſuæ ſtare, quod nos maxime tuemur. Marcionis vero pleriſque nec notum; nullis notum ut non eodem natum. Eadem auctoritas Eccleſiarum Apoſtolicarum ceteris quoque patrocinabitur Evangeliis; quæ proinde per illas, & ſecundum illas, habemus, Ioannis dico & Matthæi; licet & Marcus quod edidit, Petri affirmetur; cuius interpres Marcus. Nam & Lucæ diggeſtum, Paulo adſcribere ſolent; capita videri*

 (ſupple,

(ſupple, *eſſe*) *Magiſtrorum, quæ diſcipuli promulgarint. Itaque & de his Marcion flagitandus, quod omiſſis eis, Lucæ potius inſtiterit; quaſi non & hæc apud Eccleſias a primordio fuerint, quemadmodum & Lucæ. Atqui hæc magis a primordio fuiſſe credibile eſt, ut priora qua Apoſtolica, ut cum ipſis Eccleſiis dedicata. Igitur dum conſtet, hæc quoque apud Eccleſias fuiſſe; cur non hæc quoque Marcion attigit, aut emendanda, ſi adulterata, aut agnoſcenda, ſi integra.* Ecce! ut totus Tertulliani diſcurſus conſenſui nunquam interrupto Eccleſiarum omnium primitivarum de veritate & auctoribus Evangeliorum & Epiſtolarum Apoſtolicarum innititur. Alias iam §. 246. num. 3. Tertulliani illud teſtimonium retulimus ex lib. de Præſcript. teſtantis, *apud Eccleſias Apoſtolicas recitari* (adhuc ſua ætate) *authenticas Apoſtolorum literas, ſonantes vocem* illorum.

* Notabis porro, Tertullianum, ab Euſebio nunquam citatum, utpote Afrum illi ob privatam conditionem ignotum, hoc ipſo multum valere ad S. Irenæi & Papiæ teſtimonia firmanda, quæ, non extantibus porro iſtorum ſcriptorum propriis ſcriptis, non niſi fruſtatim relata ab Euſebio ſeculi primum quarti ſcriptore, & ab aliis etiam Euſebio recentioribus, accipimus.

5. *Clemens Alexandrinus*, qui ab anno 192. claruit, in lib. III. Strom. p. 465, itidem quatuor Evangelia vulgari ab univerſa Eccleſia recepta fatetur, Idem in ſexta Hypotypoſi (apud Euſ. hiſt. II. 15.) affirmat, Marcum eorum obteſtatione, qui S. Petrum Romæ audierant, commotum, literis comprehendiſſe, quæ verbo Petrus tradiderat: *ipſumque Apoſtolum, cum ex inſtinctu S. Spiritus factum hoc cognoviſſet, ſcriptum hoc Evangelium Eccleſiis ad legendum auctoritate ſua confirmaſſe.* Rurſus idem

auctor

auctor (apud Euſ. hiſt. VI. 14.) affirmat *eſſe traditionem ſeniorum inde ab initio acceptam, Evangelia, quæ Genealogias continent* (nimirum S. Matthæi & S. Marci) *prima ſcripta fuiſſe. Ioannem vero poſtremum, - - rogatum ab amicis adornaſſe Evangelium.*

6. *Origenes*, Clementis Alexandrini diſcipulus, qui & ipſe paulo poſt initium tertii ſeculi clarere cœpit, teſte Euſeb. lib. VI. hiſt. cap. 25. in Tomo I. in Evang. Matth. ſic habet. *Sicut in traditione de quatuor Evangeliis accepi, quæ ſola ſine contradictione in univerſa, quæ ſub cælo eſt, Eccleſia DEI recipiuntur, primum ſcriptum eſt a Matthæo, primum publicano, tandem Apoſtolo IESU Chriſti, qui illud fidelibus ex Iudæis literis Hebraicis ſcriptum publicavit. Alterum eſt ſecundum Marcum, qui illud ſecundum expoſitionem Petri ſcripſit; qui hunc etiam in Catholica Epiſtola filium ſuum confeſſus eſt, dicens: ſalutat vos, quæ in Babylone eſt, electa, & filius meus Marcus. Tertium eſt ſecundum Lucam, propter eos, qui ex gentibus crediderunt, ſcriptum, & a Paulo laudatum. Quartum eſt ſecundum Ioannem.* Et in quinto Tomo Expoſitionem ſuper Ioannem, eodem teſte Euſebio loc. cit., idem Origenes de Epiſtolis Apoſtolorum ſic dicit: *Qui novi teſtamenti non litera ſed ſpiritu Miniſter eſſe potuit Paulus, non omnibus Eccleſiis ſcripſit, quas docuit, ſed & quibus ſcripſit, paucis verſibus ſcripſit. Petrus vero, ſuper quem fundata eſt Eccleſia Chriſti, unam Epiſtolam, de qua certo conſtat, poſt ſe reliquit. Eſto autem, reliquerit & alteram. Quid de Ioanne dicendum, qui ſupra pectus Domini IESU recubuit; qui unum Evangelium reliquit? Scripſit autem & Apocalypſim. Reliquit autem & poſt ſe Epiſtolam admodum paucis verſibus comprehenſam. Eſto adiiciantur & altera, & tertia.*

Digitized by Google

7. *Euſebius Cæſareenſis* hiſt. III. 24. de Evangelio S. Ioannis ſpeciatim ita teſtatur. *Age vero de indubitatis huius Apoſtoli ſcriptis mentionem faciamus. Et primum nulla ſit hæſitatio de Evangelio eius, quod omnibus, quæ ſub cælo ſunt Eccleſiis innotuit. Quod autem competenter a veteribus quarto ſit loco poſt tria reliquorum poſitum, hac ratione manifeſtum fiat. Divini & ſancti viri, Apoſtoli videlicet Chriſti, vitam excellenter mundam viventes, & animos habentes quovis virtutum genere ornatos, ſermone utebantur idiotarum, divina & mirifica virtute, quam a Chriſto acceperant, freti: ideoque diſciplinam præceptoris ſolertia & arte verborum adminiſtrare nec ſciebant, nec conabantur. - - Scientiam regni cælorum toti orbi annuntiarunt, parum de conſcribendis commentariis ſolliciti. - - Paulus ſtructura ſermonis omnium potentiſſimus, non niſi breviſſimas Epiſtolas literis mandavit, Ex omnibus ceteris diſcipulis domini commentarios nobis ſoli Matthæus & Ioannes reliquerunt; quos etiam neceſſitate ad ſcribendum eſſe adactos ferunt. Matthæus enim, cum primum Hebræis prædicaſſet, & iam ad alios quoque tranſiturus eſſet, Evangelium ſuum patrio ſermone literis tradidit. - - Cum vero Marcus iam & Lucas Evangelia ſua vulgaſſent, Ioannem, aiunt, qui toto Evangelici curſus tempore prædicatione ſine literis uſus fuerat, tandem ad ſcribendum hiſce de cauſſis eſſe permotum. Cum trium Evangeliſtarum ſcripta ad cunctos iam, & ad ipſum quoque, perveniſſent, probaſſe quidem aiunt, & veritatis illis dediſſe teſtimonium, ſolam tamen in horum ſcriptis eorum deſideraſſe narrationem, quæ initio prædicationis geſta ſunt a Chriſto. - - Dicunt itaque, Ioannem Apoſtolum rogatum, tempus illud a prioribus Evangeliſtis ſilentio præteritum, & quæ in illo geſta ſunt a Servatore, incluſionem videlicet Baptiſtæ præcedentia, Evangelio ſuo tradidiſſe. - - Inter ea vero, quæ Ioannes ſcripſit poſt*

Digitized by Google

poſt Evangelium, etiam prior illius Epiſtola cum a recentioribus tum a veteribus abſque ulla hæſitatione recipitur. Probaverat autem iam præc. cap. 23. ex teſtimonio omnium veterum, & in primis Eccleſiæ Epheſinæ, quæ a Paulo fundata, a Ioanne vero corroborata fuerat, S. Ioannem uſque ad Traiani Imperatoris tempus Epheſi ſuperſtitem fuiſſe, hoc eſt, circiter uſque ad annum Chriſti 98. Idem lib. III. cap. 3. *de Epiſtolis quatuordecim S. Pauli, & de prima S. Petri,* veluti *citra controverſiam receptis, manifeſtis, & perſpicuis,* teſtatur lib. IV. 14. *S. Polycarpum uti teſtimoniis ex prima S. Petri Epiſtola* affirmat *in ſuo ad Philippenſes ſcripto.* lib. III. c. 4. *de Evangelio & Actis Apoſtolorum a S. Luca ſcriptis* affirmat. Idem Euſebius hiſt. l. V. 10. hæc habet. *Pantenus* (quem ibid. cap. 9. vocat *virum eruditione clariſſimum*) *ad Indos Evangelii prædicator veniſſe dicitur; ubi illum Evangelium Matthæi apud quosdam iſthic Chriſtum cognoſcentes reperiſſe ferunt, quibus Bartholomæus unus ex Apoſtolis prædicaverit, & ſcriptum Matthæi in Hebræorrm literis reliquerit; quod & ad prædictum uſque tempus ſervatum eſſe volunt.* Hic ipſe Pantenus poſt reditum illum ex Indiis iam circa annum 189. ſcholam Alexandrinam rexiſſe ſcribitur ab Euſebio, eiusque diſcipulum, ut videtur, ſe dicit Clemens Alexandrinus lib. I. Stromat.

8. *S. Petri Alexandrini*, qui ſub initium ipſum quarti ſeculi Alexandriæ Eccleſiam regendam ſuſcepit (in Tract. de Paſchate, cuius fragmentum Manuſcriptum Petavius profert) teſtatur, ſua ætate Autographum S. Ioannis Evangelii ipſa eius manu deſcriptum religioſiſſime in Epheſina Eccleſia ſervari. Idem S. Petri Alexandrini teſtimonium in chronico Alexandrino quoque legere eſt.

9. *Theodorus, lector* magnæ Eccleſiæ Conſtantinopolitanæ, qui floruit circa annum 518, ut teſtis contemporaneus in hiſt. Eccleſ. lib. 2. non longe ab initio affirmat, ſub Imperio Zenonis, circa annum nempe 488, in Inſula Cypri repertas fuiſſe S. Barnabæ Apoſtoli reliquias; ſuper cuius pectore repoſitum erat Evangelium S. Matthæi, ipſius Barnabæ manu in ligneo axe pretioſo æque ac ſolido deſcriptum. Depoſuit illud Zeno in Palatio in æde S. Stephani.

10. *De Actis Apoſtolorum* a S. Luca conſcriptis teſtatur expreſſe omnium primus *Tertullianus* lib. V. contra Marcionem cap. 1. & 2.; quem hæreticum, cum librum iſtum quoque repudiaret, urget ille Doctor magnopere, quod niſi ex Actis iſtis, ab univerſa Eccleſia æque ac cetera ſcripta Canonica ſemper receptis, S. Paulum probare verum Chriſti Apoſtolum non poſſit. Quod ipſum ſimul certiſſimum argumentum eſt, ſemper Acta illa in omnibus Eccleſiis recepta fuiſſe. Cerinthum quoque Apoſtolis coævum reieciſſe Acta illa Euſebius teſtatur hiſt. IV. 29. quod ipſum ſaltem antiquitatis libri eſt argumentum. Poſt Tertullianum teſtatur de iisdem, qui omnia ſcripta antiqua legerat, *Euſebius* hiſt. III. 25. & III. 4. & lib. VI. 25. ex Origine, *S. Hieronymus* de Script. Eccl. in S. Luca, *S. Auguſtinus* de Conſenſu Evang. lib. 4. cap. 9. Ipſe ſtylus cum Evangelio S. Lucæ prorſus conſentit. Ipſe auctor Actorum ſe & Evangelii alicuius ſcriptorem ſtatim in operis ingreſſu affirmat. Denique ſic a prima ætate Eccleſiæ Chriſtianæ teſte S. Auguſtino loc. cit. Actorum S. Lucæ auctoritas in omni Eccleſia nullo unquam refragante dominata eſt, ut per eam omnia alia falſo ſcripta eiusmodi Acta atque hiſtoriæ de rebus

bus geſtis & vitis Apoſtolorum prorſus ſuppreſſa, nec unquam ulla alia præter ea uſquam ab Eccleſiis recepta fuerint.

11. *De verſionibus SS. librorum* univerſe Euſebius in Iſai. 45. 20. ſua ætate teſtatur, omnium ſermone & characteribus deſcriptos ſacros libros, nullam gentem latere. Et vero nullius ex præcipuis verſionibus, ut Syriacæ, latinæ Italicæ, aut Græcæ S. Matthæi, ætas originis ullo certo indicio conſtat: quod utique primæ antiquitatis indicium eſt.

12. *Ebionitæ* hæretici, ex Nazaræis Iudæis orti, teſte S. Irenæo adv. hær. l. I. cap. 26. ſolum S. Matthæi Evangelium recepere, Epiſtolis S. Pauli omnino reiectis. Iam vero ſectæ huius auctorem Ebionem iam circa annum 74, hoc eſt, mox a ruina Ieroſolymæ ſparſiſſe errores ſuos, ipſo S. Matthæi Evangelio interpolato, conſtans S. Hieronymi (in Matth. XII. init.) & S. Irenæi loc. cit. teſtimonium eſt. Quæ ipſa ratio fuit, ut textus Hebræus S. Matthæi, ob interpolationem illam corruptus, Origenis ætate iam omnino e SS. librorum auctoritate in Eccleſia exciderit. Ita ipſe teſtatur Origenes homil. 8. in Matth. edit. latin.

* His indubitatis teſtimoniis præmiſſis iam & alia indicia antiquitatis Evangeliorum deinceps ſubiungere licebit; quæ, ſi primo loco poſuiſſemus, minima, & undique ex pauperie quadam conquiſita potius videri forſan poterat: nunc tamen ſuperioribus omni exceptione maioribus ſubiecta, lucem illis ipſis non modicam atque emphaſin adiicient.

13. *Epiſtolæ S. Clementis Romani, S. Ignatii Antiocheni, & S. Polycarpi*, quæ communi Criticorum

corum iudicio hodiedum authenticæ habentur, plures textus, & dicta ex prioribus tribus Evangeliis extracta continent. *S. Clemens Romanus in Ep. I. ad Corinth.* adhibet Num. 13. verſum 36. capitis VI. S. Lucæ. Num. 46. verſum 24. cap. XXVI. S. Matthæi, addens utroque hoc in loco, ea eſſe *verba Domini IESU*, verſum item 42. cap. IX. S. Marci, v. 2. cap. XVII. S. Lucæ, v. 6. cap. XVIII. S. Matthæi: & *in Ep. II. ad Corinthios*, quæ item hodie communius authentica habetur, ab omnibus certe antiquiſſima eſſe agnoſcitur, adhibet Num. 2. v. 13. cap. IX. S. Matthæi, addens, eſſe verba Scripturæ, & Num. 3. v. 32. cap. X. S. Matthæi; Num. 4. v. 21. cap. VII. S. Matth. item v. 23. cap. VII. & v. 27. cap. XIII. S. Lucæ, Num. 5. v. 16. cap. X. S. Matth. & v. 3. cap. X. S. Lucæ, & v. 28. cap. X. S. Matth. item v. 4. & 5. cap. XII. S. Lucæ; Num. 6. v. 13. cap. XVI. S. Lucæ & v. 26. cap. XVI. S. Matth. Num. 8. v. 12. & 10. cap. XVI. S. Lucæ; quo ultimo loco diſtincte addit, *ſic Dominum in Evangelio loqui.*

S. Ignatius in ſua Epiſtola ad Epheſios Num. 14. citat. v. 33. cap. XII. S. Matthæi, in Epiſt. ad Smyrnenſes Num. 1. v. 15. cap. III. S. Matth. In Epiſt. ad S. Polycarpum Num. 2. v. 16. cap. X. S. Matthæi.

S. Polycarpus in ſua Epiſtola ad Philippenſes Num. 2. citat. v. 1. cap. VII. S. Matthæi, v. 37. cap. VI. S. Lucæ, & v. 3. & 10. cap. V. S. Matthæi, & v. 20. cap. VI. S. Lucæ. Num. 7. v. 13. cap. VI. S. Matthæi, & v. 41. cap. XXVI. eiusdem S. Matthæi. Porro quod iſti SS. Epiſcopi non citent nominatim Sanctos Evangeliſtas, nihil obſtat. Nam & pari modo citant Epiſtolas S. Pauli, primam

S. Petri

S. Petri, & primam S. Ioannis, imo multo frequentius libros Scripturæ veteris teſtamenti, nuſpiam loca citata ſpeciatim adnotantes. Scripſit autem S. Clemens circa annum IESU Chriſti 69, S. Ignatius & Polycarpus anno 106. & 107.

§. 249.

FACTUM IIItium INDUBITATUM. Primitivæ Chriſtianorum Eccleſiæ, earumque inprimis rectores Epiſcopi, ſumma cautela & criſi nunquam non uſi ſunt in recipiendis non niſi authenticis & ſummo iudicio probatis ſcriptis, tum Apoſtolorum, tum eorum, qui in docendi munere Apoſtolis proxime ſucceſſere.

DOCUMENTA iſtius quoque facti conſtantis multiplicia ſuppetunt inde a prima mox Chriſtianæ religionis ætate.

1. *Ipſa Evangelia* primam ſuam originem curæ & cautelæ conſervandi inviolatam Apoſtolorum doctrinam adverſus pſeudoapoſtolos horumque aut aliorum falſa ſcripta debuere. Ex documentis enim ſuperioribus apertum eſt, *S. Matthæum* & *S. Marcum* non alio fine tam accenſis primorum Chriſtianorum votis ac precibus ad ſcribendum perductos eſſe, niſi quod iſti authenticis documentis conſignatam tum ipſius S. Matthæi, tum S. Petri, qui Marci Magiſter fuerat, doctrinam cuperent adverſus omne corruptelæ periculum præſervari. *S. Lucas* aperte, conſilium ſcribendi Evangelium ex eo ſuſcepiſſe ſe ipſo in ingreſſu operis affirmat, quod *multi* alii *conati eſſent ordinare narrationem rerum, quæ* inter Chriſtianos *completæ fuiſſent*; indeque *viſum* ſibi, *aſſecuto omnia a principio diligenter, ex ordine ſcribere.* De *S. Ioan-*

ne Evangeliſta quoque conſtat ex Euſebio hiſt. III. 24. & ex S. Epiphanio hæreſ. 51. n. 12. & hæreſ. 30. n. 3., eo fine novam Evangelii ſcriptionem poſt prima tria a ſe probata in ultima ætate ſuſcepiſſe, tum ut, quæ in primis illis deficerent de factis initio prædicationis IESU Chriſti, ſuppleret, tum ut Cerinthum & Ebionem hæreticas de Divinitate & origine IESU Chriſti doctrinas ſpargentes ſcripto Evangelico refutaret. *Epiſtolarum* quoque *Apoſtolicarum* plurium hæc ipſa origo fuit. Contra pſeudoapoſtolos ad iudaizandum impellentes Chriſtianos *S. Paulus* in 2. *Ep. ad Corinthios* cap. 11. fideles præmunit. Hic unus *Epiſtolæ ad Galatas* ſcopus; in qua doctrinæ ſuæ propriæ auctoritatem Paulus, iunior Apoſtolus, a primis Chriſti Apoſtolis cap. 2. quærit. *Philippenſes*, quoque ut Timotheo docenti fidem adhibeant, inimicis vero crucis Chriſti eandem abiudicent, cap. 2. & 3. admonet. Idem propoſitum ex *Ep. ad Coloſſenſes* cap. 2. ex *Ep. prima ad Timotheum* cap. 1. & 4. ex *Ep. ſecunda ad eundem* cap. 4. *S. Ioannis* Evang. *prima Epiſtola* non ad aliud tendit quam ad Chriſti Divinitatem contra Cerinthum aſſerendam.

2. Ex *S. Clemente*, *S. Irenæo*, *Tertulliano*, & *S. Ignatio* Martyre ſupra §. 247. verſus finem retulimus, quæ Apoſtolorum cura fuerit optimos Epiſcopos ac doctores Eccleſiis præficiendi, qui videlicet Apoſtolicæ doctrinæ, ſeu ſcriptæ, ſeu oretenus traditæ, depoſitum quam fideliſſime cuſtodirent; item quam ſollicite primis Chriſtianis commendatum ab eisdem fuerit, ut ab his ſolis doctrinæ ſanæ pabulum repeterent, eisque auſcultarent.

3. De *S. Papia* quoque 248. n. 1. retulimus exemplum cautelæ in Apoſtolorum doctrina ex fonti-

fontibus maxime puris & ſcaturigini vicinis hauriendā.

4. Ex *S. Iuſtino* ibid. n. 2. aliam cautelæ ſpeciem in primis Eccleſiis uſitatam retulimus, qua genuinis Apoſtolorum, aut Doctorum ſcriptis in memoria omnium & notitia conſervandis magnopere proſpiciebatur, videlicet, quod ſcripta talia in publicis Chriſtianorum cætibus prælegendi, & ſermone aliquo explicandi mos conſtans ſervaretur. Iſtius moris vulgaris plura alia nobis ex primitiva Eccleſia extant documenta. Et quidem Epiſtolas Apoſtolicas, ſtatim ac mittebantur, publice lectas fuiſſe in Eccleſiis, tum iis, ad quas deſtinabantur, tum in aliis vicinis, ex Apoſtoli ipſius præcepto ad Coloſſ. 4. 16. eſt manifeſtum, ubi Coloſſenſibus mandat: *cum lecta fuerit apud vos Epiſtola hæc, facite, ut & in Laodicenſium Eccleſia legatur, & eam, quæ Laodicenſium eſt, vos legatis.*

5. *S. Dionyſius Corinthius* circa annum 167. in ſua ad S. Soterem Romanum Pontificem Epiſtola affirmat: *hodie ſanctam diem Dominicam celebravimus, & tuam legimus Epiſtolam, eamque impoſterum ſemper legemus ad inſtructionem noſtram, ſicut & antecedentem, quæ ad nos a Clemente ſcripta eſt.* S. Clementis Romani Epiſtolam ad Corinthios, circa annum Chriſti 69. iam ſcriptam, ſupra iam §. 246. n. 1. commemoravimus, de qua ipſa hic Dionyſio ſermo eſt. Dubitabimus autem, quin eundem ſcriptis Apoſtolicis honorem Corinthii Epiſcopi habuerint? Quantum autem piaculum committi ſcriptorum id genus Eccleſiaſticorum corruptione SS. Epiſcopi exiſtimarint, imo publice etiam prædicarint, ex eius S. Dionyſii verbis illis patet, quæ in eadem ad S. Soterem Epiſtola (apud Euſ. hiſt. IV. 23.) leguntur: *fratribus, ut ſcriberem, rogantibus*

ſcripſi

ſcripſi epiſtolas. Has etiam Apoſtoli diaboli zizaniis, alia eximentes, alia addentes, repleverunt: quibus condemnatio eſt repoſita.

6. *S. Irenæus*, quem Tertullianus in libro contra Valentinianum hæreticum cap. 5. vocat *doctrinarum omnium accuratiſſimum exploratorem*, primus hæreſum omnium & falſificorum hominum, Scripturas corrumpentium, Catalogum texuit in lib. I. adv. hæreſ. a cap. 20. ad finem uſque, incipiendo a Simone Mago uſque ad Tatiani. Idem lib. III. c. 11. Ebionitas & Marcionitas corruptorum Evangeliorum arguit. Cap. 3. docet, non niſi ex traditione ac communi conſenſu primitivarum Eccleſiarum, maxime Romanæ, canonica ſcripta & recipi, & recipienda eſſe. In Epiſtola de Monarchia, ad Florinum data, egregium ſpecimen tum horroris a ſcriptorum ſacrorum doctrinarumque corruptoribus, tum vigilantiæ refert, qua primi ſtatim Apoſtolorum diſcipuli utebantur in doctrinis, atque adeo utique & in ſcriptis, Apoſtolorum ſine ulla mutatione conſervandis. Sic enim ad Florinum, Manichæo errori de duobus rerum principiis, bono uno, altero malo, addictum ſcribit: *hæc ſane non ſunt, Florine, quæ nos Presbyteri prædeceſſores noſtri, aliquando cum Apoſtolis converſati, docuerunt. Cum eſſem adhuc parvulus, vidi te in inferiore Aſia in domo Polycarpi. - - - Præſentiores res illæ ſunt memoriæ meæ, quam quæ abhinc proxime acciderunt; - - ita, ut ipſum locum, ubi B. Polycarpus, cum loqueretur, ſedebat, actiones eius, geſtus, ſpeciem externam, & quæ pro concione dicebat ad populum, tibi memorare poſſem; ut narrabat, quod cum Ioanne & aliis, qui Dominum viderant, vixiſſet, eorum ſermonum reminiſceretur, & illorum omnium, quæ ad Dominum, eius miracula, & doctrinam pertinebant.*

nebant. - - - Mihi autem certiſſimum eſt, quodſi beatus & Apoſtolicus ſenex aliquid tuis erroribus ſimile audiviſſet, aures ſuas ambabus manibus continuiſſet, & pro more ſuo exclamaſſet: ô bone DEUS! in quæ me ſervaſti tempora, ut eiusmodi dicta audire cogar: tumque in quocunque loco, ſive ſtans, ſive ſedens, audiviſſet, ſine mora aufugiſſet. Ipſe Irenæus ſpecimen cautelæ præbet, quam in ſcriptis ſuis propriis a falſifica lue præſervandis adhibuerit. Tractatum enim de Ogdoade, quem ad eundem Florinum, exinde etiam in Valentinianam hæreſin lapſum ſcripſit, his verbis concluſit: *quisquis es, qui hunc librum tranſcribes, adiuro te per D. N. IESUM Chriſtum, & per glorioſum adventum eius, quando iudicaturus eſt vivos & mortuos; ut, poſtquam deſcripſeris, deſcriptum cum originali conferas, iuxta illud exactiſſime corrigas, & hanc ipſam meam ſubiungas obſecrationem.* Vide vero, ut ex huius ſancti ac prudentis viri, S. Irenæi, exemplo alii quoque in ſimilis cautelæ genere profecerint. Acta Martyrii S. Polycarpi, a Smirnenſi Eccleſia, cuius Epiſcopus fuerat, ad Philadelphios perſcripta, in antiquis exemplaribus hac coronide finiuntur. *Hoc tranſcriptum eſt ex Apographo Irenæi, Polycarpi diſcipuli, a Gaio, qui cum Irenæo vixit; & ego Socrates deſcripſi Corinthi ex Apographo Gaii. Et ego Pionius ex præcedenti deſcripſi, poſtquam illud quæſivi, & Polycarpus per revelationem mihi oſtendit, ſicut inferius dicam. Hæc collegi pene vetuſtate iam corrupta.* Ecce tibi! ut corruptorum perverſitas, piorum ſcriptorum Eccleſiaſticorum prudentem vigilantiam acuebat.

7. *Hegeſippus*, vir doctiſſimus Euſebio teſte (hiſt. IV. 22.) ex Palæſtina Romam iter inſtituens, multis Epiſcopis collocutus, omnes in eadem doctrina & regulis (atque adeo utique & in agnoſcen-

dis ſcriptis Evangelicis) concordes ſe inveniſſe teſtatus eſt in quinque libris, quos exinde de Hiſtoria Eccleſiaſtica conſcripſit. Univerſim nullam ſedem Epiſcopalem ſuo tempore, incipiendo ab Apoſtolis, neque ullam urbem fuiſſe teſtatur (floruit autem medio ſecundo Chriſti ſeculo) ubi non fideliter ea omnia, quæ lex præcipiebat, Prophetæ docuerant, & ipſe Dominus prædicaverat, ſervarentur. Nominatim Corinthi aliquanto tempore ſubſiſtentem ſe converſatum cum Primo urbis Epiſcopo, affirmat, ac cognoviſſe, Eccleſiam Corinthiorum illo uſque in vera & ſana doctrina conſtanter perſeveraſſe. Demum & de Apocryphis quibusdam ſcriptis ſuo tempore per hæreticos quosdam confictis caute commemorat.

8. *S. Serapion Epiſcopus Antiochenus*, qui circa an. 188. vixit, in Tractatu de Evangelio S. Petri, quem pro quibusdam fratribus Eccleſiæ Roſſenſis in Cilicia ſcripſit, qui illius pſeudoevangelii falſas opiniones ſequebantur, ſic differit: *nos quidem, fratres mei, Petrum aliosque Apoſtolos ſicut IESUM Chriſtum recipimus; at ſcripta, quæ falſo hoc nomine inſigniuntur, reiicimus, ſcientes, quod hæc a traditione non acceperimus.* Adeo nihil niſi conſenſu & teſtimonio publico Eccleſiarum probatum id ætatis recipiebatur in præcipuis Eccleſiis. Pergit exinde Serapion. *Cum inter vos eſſem, omnes fidem orthodoxam tenere credebam, & quia Evangelium non legeram, quod ſub Petri nomine monſtrabant, dixi: ſi præter hoc nihil ſcandalum parere videtur, legatur. At modo mihi relatum, eorum mentem aliqua hæreſi eſſe infectam; ideo diligenter ad vos revertar; proximis his diebus me habebitis. - - - Etiam ſe mihi occaſio obtulit mutuum accipiendi illud Evangelium a quibusdam, qui illi ſtudent, nempe eorum ſucceſſoribus, qui primum illo uſi ſunt,* &

& Docitas (vulgo, opinatores) *appellamus. Nam pleræque illarum opinionum ipſis originem debent. Legi ergo, & inveni, quod potiorem partem ſit ſana Salvatoris doctrina; at aliqua immixta ſunt, quæ huic doctrinæ non concordant, & quæ his ad vos tranſmittimus.* Vide Euſ. hiſt. VI. 12.

9. *Clemens Alexandrinus* mox in exordio Stromatum ſuorum totus in eo eſt, ut à probatiſſimis viris ſe accepiſſe omnes doctrinas ſuas comprobet, quas eſſet allaturus. Septem enim Magiſtris natione & lingua diverſis, quos ipſe audiſſet, commemoratis, *hi*, inquit, *veræ traditionis ter felicem doctrinam immediate ab Apoſtolis Petro, Iacobo, Ioanne, Paulo, ſicut filius parentis monita auſcultat, acceptam conſervarunt. Pauci parentibus ſuis ſimiles ſunt. Illi autem viri ad noſtra uſque tempora divino conſilio reſervati ſunt, ut nobis ſcientiæ divinæ ſemina concrederent.* Edit. 1641. p. 755. ait, infallibiles dari regulas diſcernendi veras doctrinas Chriſtianas. Exactam doctrinam non niſi in ſola, vera, & antiqua Eccleſia, conformi SS. Scripturis, poſſe inveniri: p. 757. hæreticos in traditiones Eccleſiæ inſurrexiſſe, ut opiniones humanas ſequerentur; eos quidem uti Scripturis, ſed integros libros reſcindere, & alios detruncare &c. p. 764. omnes hæreticos poſteriores eſſe Eccleſia, & ex ea egreſſos nova, & hoc ipſo falſa docuiſſe, ac fruſtra conari Eccleſiam, quæ tam una eſt, atque unus eſt DEUS, in partes ſcindere conatos eſſe. Enumerat denique ſingillatim omnes ſui temporis hæreſes pag. 756.

10. *Tertullianus*, cuius dicta multa huc ſpectantia iam ſupra recitata, in lib. de Præſcript. cap. 21. univerſe tanquam regulam Eccleſiaſticam pridem fixam enuntiat, *nihil recipiendum, niſi quod*

Digitized by Google

Apoſtoli docuerunt; quænam vero genuina ſit Apoſtolorum doctrina, probandum eſſe teſtimonio Eccleſiarum ab ipſis fundatarum, quas ipſi per ſe viva voce, & ſuis Epiſtolis informarunt. Ibid. cap. 36.: graviter & ipſe affirmat, in omnibus primitivis Eccleſiis *Apoſtolorum authenticas Epiſtolas legi*, & cap. 27. *doctrinam illam ſucceſſu temporis non eſſe in illis Eccleſiis mutatam, ſed adhucdum ubique eandem eſſe.*

11. *Euſebius* ultimus teſtis eſto cautelæ & prudentiæ conſtantis, quæ ab omnibus Eccleſiis inde a primis temporibus adhibita eſt in genuinis Apoſtolorum & eorum, qui hos primi diſcipuli Magiſtros habuere, ſcriptis recipiendis. Commemorat is accurate complura ſcripta apocrypha primis Eccleſiæ temporibus per privatos homines ſparſa; attamen diligenter adnotat, nuſpiam inter Eccleſiaſtica ſcripta relata, aut nominata, ac ne ab ullo uſquam veterum eorum teſtimonio citata fuiſſe. Sic hiſt. III. 3. dicit: *Acta, quæ S. Petro nuncupantur, & Evangelium, quod illius eſſe dicitur, & prædicatio illi inſcripta, & Apocalypſis ipſius dicta, nuſquam inter catholica ſcripta tradita ſcimus, eo quod nec veterum, nec noſtri temporis quisquam commentator ipſorum uſus eſt teſtimoniis.* Tum de libro Hermæ Paſtoris ita ſubiungit. *Quoniam Apoſtolus* (Paulus) *circa finem Epiſtolæ ad Romanos, ubi quosdam ſalutat, etiam Hermæ cum aliis mentionem facit, & ob id librum paſtoris huius eſſe dicunt, ſciendum eſt, etiam illi a non nullis eſſe contradictum. Quapropter non eſt illis adnumeratus, qui pro certis habentur.* Ecce! ut non niſi certas, & omnium Eccleſiarum conſenſu firmatas Apoſtolorum eorumque diſcipulorum ſcripturas admittere in primitiva Eccleſia Chriſti ratum fixumque erat. Idem hiſtoricus lib. III. cap. 25, poſtquam recenſuerat indubitata ſcripta Apoſtolica,

ca, ſic porro pergit. *Et hæc quidem pro indubitatis habentur, Quibus vero contradicitur, tametſi multis ſint cognita, ſunt hæc: Epiſtola, quæ Iacobo tribuitur, & epiſtola Iudæ, & poſterior Petri, & altera ac tertia Ioannis. Inter adulterina cenſeantur & acta Pauli, & liber dictus Paſtor, & Apocalypſis Petri, & quæ circumfertur epiſtola Barnabæ, & Apoſtolorum quoque doctrinæ dictæ, ad hæc & Apocalypſis Ioannis, ſi videtur, quam non nulli, ſicut dixi, reprobant, alii vero certis & indubitatis ſcripturis adiudicant. Iam vero & Evangelium quidam, quod ad Hebræos eſt, inter iſta connumerant, quo potiſſimum delectantur hi, qui ex Hebræis Chriſtum receperunt. Hæc autem omnia ex illis ſunt, quibus contradicitur. Neceſſario vero & horum Catalogum fecimus (NB.), ut diſcernamus inter ea ſcripta, quæ ſecundum Eccleſiaſticam traditionem nec ficta, nec dubia, ſed vera ſunt, & ea, quæ præter iſta legitima quidem novi teſtamenti ſcripta non ſunt, ſed contradictionem patiuntur, & tamen a multis Eccleſiaſticis leguntur, ut ſcire queamus & illa (NB.), quæ ſub nomine Apoſtolorum ſive veluti Petri, ſive Thomæ, vel Matthiæ, vel aliorum præterea Evangelia, aut veluti Andreæ, & Ioannis, & aliorum Apoſtolorum acta continentia, ab hæreticis proferuntur, quorum nullam uſpiam vel aliquis Eccleſiaſticæ ſucceſſionis ſcriptor mentionem in commentariis ſuis facere dignatus eſt. Porro & phraſeos character a conſuetudine Apoſtolorum variat, & ipſa ſententia, & propoſitum eorum, quæ in illis afferuntur, plurimum a veritate rectæ doctrinæ diſcrepant, & quod hæreticorum ſint virorum figmenta, perſpicue convincunt. Quapropter ne inter adulterina quidem ponenda, ſed tanquam omnino abſurda & impia averſanda ſunt.* Hem tibi eximium & accuratum ſpecimen Criticæ apud primæ ætatis Chriſtianas Eccleſias earumque rectores uſitatæ! 1mo. Nullum ſcriptum pro canonico

& legitimo recipiebant, niſi & doctrina eius univerſa cum traditione oretenus per Apoſtolos eorumque primos diſcipulos accepta prorſus concordaret, & vero inſuper de ipſo auctore Apoſtolo, vel alicuius Apoſtoli diſcipulo, certis indiciis conſtaret, cuius nomen geſtabat in fronte. Atque iſtud genus ſcripta ſola pro indubitatis haberi ſolebant. 2do. Scripta, quorum doctrina traditioni Apoſtolicæ erat conformis, maxime ſi apoſtolicum nomen & auctorem præferrent, venerabantur, de veritate auctoris ſtudioſe inquirebant; at, dum etiam iſtius certitudinem aliquam nanciſcerentur, pro indubitatis non habebant. Atque ſic ipſæ alteræ S. Petri & S. Ioannis Epiſtolæ, ſic & Apocalypſis iſtius, & Epiſtola S. Pauli ad Hebræos, diu plenam fidem in multis Eccleſiis, quæ de veris earum auctoribus certæ non fuerant, non invenerunt. 3. Scripta vero alia quæcunque, etſi Apoſtoli nomen ferentia, recipiebant neutiquam, quamdiu incerto ſolum rumore pro talibus, aut a paucis incertæ fidei hominibus ferebantur, &, ſi communi Eccleſiarum doctrinæ, per Apoſtolorum prædicationem & ſcripta authentica acceptæ, répugnabant, ut ſpuria etiam repudiabant, fallaciam ex ipſa etiam ſcribendi methodo ac phrali ſecundum ſapientis criticæ regulas demonſtrantes.

* Nullatenus contemnendum ex eo Euſebii teſtimonium venit, quod quarto primum ineunte ſeculo ipſe floruerit. Nam & diligentiſſimum ipſum in ſcrutandis omnibus Chriſtianorum monumentis fuiſſe, ex omnibus eius ſcriptis manifeſtum, & certum omnium criticorum confesſione eſt, accuratiſſima ipſummet criſi in diſcernendis authenticis ſcriptis & documentis uſum eſſe, ſimulque omnium librorum antiquorum, qui hodie etiam non extant amplius, inſtructiſſimum habuiſſe apparatum. Certe accura-

tiſſima

tiſſima methodo ipſe omnium priorum ſcriptorum Eccleſiaſticorum, uti S. Clementis Romani, S. Ignatii Martyris, S. Polycarpi, S. Iuſtini, S. Irænei, aliorumque ſcripta ut legitima probat ex conſequentium proxime aliorum citationibus & approbatione; ſic, ut Euſebio potiſſimum debeamus catenam ſcriptorum Eccleſiaſticorum continua ætatum ſerie inter ſe connexam, eorumque fragmenta ex libris eorum publice receptis & rite conteſtatis ab ipſo excerpta, quæ ad Evangelicæ traditionis depoſitum, perpetuo ſine omni vitio aut corruptione conſervatum, authentice probandum maxime valent, & ſufficiunt: cum ceteroquin libri ipſi integri primorum illorum ſcriptorum deinceps ut plurimum plane interierint.

* * Ceterum operæ pretium fuerit iſthic obſervare inanes Theiſtarum declamationes in exaggerandis obiectionibus, quas veluti præcipuas Chriſtianæ religioni opponunt. *Cur primæ Eccleſiæ* (Chriſtianæ) *non citant niſi Evangelia apocrypha?* Ita impius, neſcio quis, Zapata quæſtione ſua 61. ferrea fronte interrogat. *Nonne hoc certum indicium, quod quatuor Canonica nondum fuerint conſcripta?* Et quæſt. 62. *Nonne ſatis abſurda res, quod primi Chriſtiani protruſerint tot abſurdos verſus Sibyllis affictos, epiſtolas S. Pauli ad Senecam, Epiſtolam Mariæ, Pilati? &c. &c. ſicque ſectam ſuam per meras fraudes ſtabilierint? Queſtions de Zapata &c. traduites par le Sieur Tamponet &c. à Leipſic* 1766. In qua inſcriptione conficta quidem omnia cum ipſo impreſſionis loco videntur, ut auctor larva undique contectus minus erubeſcere cogeretur. Sed proſtituta irriſorum religionis iſtiusmodi frons vel hoc ſolo exemplo facile detegi a quovis amatore veritatis poterit, quod infrunita audacia edere in publicum afferta audeant; quorum falſitatem ab eruditiſſimis noſtræ ætatis criticis argumentis convincentibus oſtenſam haud dubie ipſimet norunt apprime. Rem, uti plane habet, ex eruditi Calmeti Diſſert. in Evang. Apocryph. paucis habe tibi.

* * * Fuere abs dubio iam ante ruinam Ieroſolymæ, imo & ante ſcriptum a S. Luca Evangelium, complures, qui rerum ab ipſo IESU Chriſti exortu geſtarum memoriam literis conſignarint; id quod ipſe S. Lucas in ipſo Evangelii ſui limine affirmat. Nec ſane id mirum. Quid enim quisque primorum Chriſtianorum, ut erat IESU Chriſti eiusque religionis maxime ſtudioſus, ita ardentius cuperet, quam noſſe omnia dicta, actiones, & doctrinas ſervatoris ſui? Num quidnam pronius erat, quam ut quisque ſcribendi peritus ſcripto familiares ſuos inſtrueret de omni eo, quod vel ipſe viderat, & audierat, aut ex aliorum narratione probatorum teſtium intellexerat: ut deinde ſcriptorum id genus complura exempla exararentur; hæc dividerentur per alias familias, ita, ut veluti ſuum quisque ſingillatim Evangelium in manibus ſimul & memoria conſignatum haberet? At enim haud ſane fieri ſic poterat, ut id genus coacervatæ hiſtoriæ pari omnes accuratione & integritate eſſent conſcriptæ, quin eſſent ex eis multæ parum exactæ, aliæ nimis diffuſæ, contra nimis ſuccinctæ aliæ. . . Periculum inſuper facile ſe oſtentabat abuſum, quibus id genus ſcripta temporibus deinceps ſecuturis locum facerent; cum nempe mutari, interpolari, falſis auctoribus attribui, mille demum modis vitiari, ſcripta tam multa, & alioquin inter ſe non ſatis concordantia, nimis quam proclive eſſet: quod quidem Chriſtianæ religioni præiudicio non mediocri futurum erat. Tanto ergo incommodo occurſuri ſacri Evangeliorum ſcriptores calamum demum arripuere ipſi, limatius aliquid tradituri, quo reliquis omnibus, minus authenticis, atque parum integris, ſcripturis fides omnis iſthoc auctoritatis ſuæ oppoſitu detraheretur. Res plane ceſſit e ſententia. Scripta ab eis Evangelia, ab Apoſtolis adhuc dum in vivis agentibus publice approbata, & ab omnibus Eccleſiis primitivis recepta, mox in græcam, latinam, Syriacam, aliasque paſſim linguas, verſa ſunt, in omnibus Chriſtianorum cætibus publicis

blicis prælegi, & ab Epiſcopis exponi cœpta, eo progreſſu, ut omnes exaratæ antehac hiſtoriæ brevi e manibus & memoria ipſa hominum ſic exciderent, ut non exiguus ambigendi locus ſit, num aliquod ex Evangeliis apocryphis, ante S.Lucam ſcriptis, noſtra ætate ſuperſit. Verum mendaciorum pater, qui plures ſpurios Meſſias & falſos prophetas, fallacibus præſtigiis imponentes, ad fidem veris IESU Chriſti prodigiis & prædictionibus detrahendam ſuſcitaverat, idem pari aſtu ſub primi ſeculi Chriſtiani exitum, & initium ſecundi, impoſtores excivit, quorum fraudibus genuinæ ſcripturæ Apoſtolicæ vitiarentur, & plures commentitiæ producerentur, ut mendacium teſtium comperta ſemel fallacia verorum etiam IESU Chriſti teſtium auctoritas deprimeretur. Quodque etiam admirandum amplius, virorum quorumdam ſimplicitate uſus in rem ſuam malus dæmon, id eis conſilium ſuggeſſit, ut ad fidem paganis & Iudæis facilius faciendam de Chriſti Divinitate, & ad perſuadendam efficacius Chriſtianæ religionis ſuſceptionem, libros producerent commentitiis miraculis & prophetiis plenos, eisdem nunc huius, nunc alterius Apoſtoli nomen ad conciliandam auctoritatem ſupponerent. Hac ratione prodiere tot diverſi nominis Evangelia, Petri, Iacobi, Thomæ &c. &c., Infantiæ Salvatoris &c. Plus iſti profecto opinione ſua detrimenti his fallaciis rei Chriſtianæ conſcivere. Compoſita enim ſemel mendacio veritas, certaque dubiis commixta, anſam præbuere religionis hoſtibus cum ad præiudicium veris integerrimisque etiam ſcriptis creandum, tum ad plura etiam ſuo ex cerebro producenda, quibus ſub ampliſſimorum nominum obtentu veræ ſcripturæ, & veræ religionis Chriſtianæ ſanctiſſima dogmata, concuterentur. Primi quidem ad religionis arcem his cuniculis evertendam hæretici venere, Ebionitæ, Marcionitæ, Valentiniani, Gnoſtici &c.; qui omnes Evangelia antiqua ac genuina, vel ut non minus fallaci auctoritate ſcripta reiecerunt, vel

ut male corrupta in novas formas transfuderunt, aut demum illis plane repudiatis nova alia ſub magnorum auctorum nominibus ſuppoſuere. Alii, a tota Chriſtiana religione alieni, ut Celſus, Porphyrius, & Iulianus Apoſtata, his ipſis inter ſe pugnantibus ſcripturis, tum genuinis, tum apocryphis, veluti de communi fraude certum teſtimonium ferentibus, Chriſtianos veluti apertæ ac manifeſtæ reos fallaciæ arguerunt. Atque iſtorum quidem poſteriorum veſtigia hodiedum ſollerter admodum Theiſtæ noſtræ ætatis magno numero premunt. Verum non niſi mentis quadam rectitudine & ſincero amore veritatis opus eſt ad iniuriam dignoſcendam, quam id genus ſcomatis increduli iſti genuinorum primorum Chriſtianorum pietati univerſe impingunt. Totum denique, quod evincunt, hoc unum eſt, quod primo illo naſcentis Chriſtianæ Eccleſiæ ſeculo aliqui ea ſimplicitate inter Chriſtianos fuerint, qui id genus fallacia conſultum religionis ſuæ tam ſanctæ progreſſibus putarent, aliqui vero etiam ea impietate, ut piorum ſimplicitate ad fraudes ſuas & pravas doctrinas confirmandas abuti non dubitarent, quas ambitio aliaque prava animi vitia eis ſuaſerant in publicum protrudere. Sed qui demum omnes iſti, ſeu nimium ſimplices, ſeu ſtudio perverſi, impoſtores fuere? non niſi de plebe ac vulgo Chriſtianorum ad unum omnes. Nullus toto primo & amplius ſeſqui ſeculo Epiſcoporum fuit, qui aut hæreticis impoſtoribus auctoritate ſua adſtipularetur unquam, aut procuſas & confictas a ſimplicibus illis Chriſtianis hiſtorias, Evangelia, & Acta Apoſtolorum, ſuo ſuffragio probaret. Quin imo, quo frequentius & liberius, nulla adhuc civili auctoritate rectoribus Eccleſiarum aſſiſtente, id genus fallacia ſcripta pedetentim graſſari incipiebant, hoc diligentiore cautela & vigilantia Præpoſiti Eccleſiarum in ſecernendis genuinis atque authenticis Apoſtolorum & diſcipulorum eorundem ſcriptis, in germana illorum doctrina, ſine ullo vitii labe conſervanda, in eadem demum inſtil-

landa

Digitized by Google

landa ſubiectis ſibi fidelibus, elaborabant. Inde præcipue factum (quemadmodum ad Euſebii teſtimonium ultimo loco poſitum & iam ſupra etiam §. 247. in ſcholio ſecundo adnotavimus.) Ut 1. continuo inculcarent, nihil recipiendum, niſi quod Eccleſiæ eorumque Epiſcopi conſenſu communi velut acceptum ab Apoſtolis tradidiſſent. 2. Ut Epiſcopos ac rectores Eccleſiarum ceu ſolos veritatis probatos Magiſtros audirent, qui, quod ab univerſa Eccleſia in doctrinis & ſcriptis Apoſtolicis probaretur, ipſis fideliter eſſent miniſtraturi. 3. Ut ſcripta, utcunque Apoſtolorum aut aliorum magnorum virorum nomina ferentia, etiam doctrinam traditioni conſonam complectentia, etiam non nullarum præcipuarum Eccleſiarum auctoritate iam recepta, tamen communiter ſaltem pro indubitatis non reciperentur, niſi certo ſimul documento de veris auctoribus denique conſtaret. Ex quo libri, ut vocant, deuterocanonici enati ſunt. 4. Ut ſcripta ſeu ab hæreticis depravata, ſeu de novo conficta, maxime ſi receptæ doctrinæ adverſarentur, publico Eccleſiarum edicto a fidelibus Chriſtianis proſcriberentur ut apocrypha ſimul atque ſeductoria, contra vero genuina ſcripta canonica publice in eorum cætibus a miniſtris Eccleſiarum prælegerentur, & explicarentur. 5. Ut præcipui quidam in Eccleſia viri Catalogos tum authenticorum ſcriptorum, tum hæreticorum librorum, ipſarumque hæreſum inſtruerent. 6. Cætera ſcripta, quæ doctrinæ Eccleſiaſticæ quidem non adverſabantur, attamen incertis auctoribus nata, & inveriſimilibus prodigiis & vaticiniis referta, in vulgo Chriſtianorum circumferebantur, Eccleſiarum rectores palam ut apocrypha & fictitia reſpuebant, nec unquam, ut ex repetito Euſebii teſtimonio compertum habemus, vel meminiſſe illorum in ſuis ſcriptis dignabantur. Quis bonæ mentis non intelligat, vel ex his ipſis maxime primitivarum Eccleſiarum Chriſtianarum eorumque rectorum fidem atque ſummam integritatem in diſcernendis aſſerendisque veris & authenticis Apoſtolorum ſcriptis, ſi uſquam ex re alia, elucere?

* * * * Ni-

* * * * Nihil itaque apertius eſſe poteſt ſcommate illo, quod increduli homines ævi noſtri primis Chriſtianorum Eccleſiis ex tot ſparſis inter eas ſcriptis Apocryphis impingunt; cum modo malæ eas fidei exinde incuſant, modo ſaltem pronæ ad fabellas quasvis credulitatis & rudiſſimæ ſimplicitatis convinci clamant. Contraria profecto omnia ex genuina factorum inſpectione & examine concludi debere, in propatulo eſt. Nam *primo* nihil prudentius ſtatui poterat, quam ut iudicium de genuinis ac authenticis ſcriptis ad præcipuarum Eccleſiarum rectores deferretur, & ab iſtorum conſenſu unice ſtandum eſſe lege inviolabili decerneretur. *Deinde* ſtatuto ſemel hoc criterio impoſſibile plane reddebatur, ut unius, aut paucorum, ſeu ſimplicium, ſeu perverſorum, hominum fraude toti Eccleſiæ imponeretur. *Tertio* ex reiectis tot apocryphis ſcripturis, quæ IESU Chriſti miracula ſine numero cumulabant, hoc ipſa bona fides Rectorum Eccleſiæ comprobatur, qua minime fictitiis argumentis uti voluere, aut ſe habere opus credidere, ad religionis Chriſtianæ, ſcriptis authenticicis iam abunde conteſtatam, veritatem comprobandam. *Quarto* ipſa aliquorum de plebe Chriſtiana, nullo nomine, nullo docendi munere inſignium, vel ſimplicitas, vel deſtinata fraudulentia, nulla rectorum Eccleſiaſticorum auctoritate vel adſtipulatione ſuffulta, imo reprobata aperte, vel certe contemta, ac publice deſpecta, nihil prorſus authenticæ veritati cæterorum ſcriptorum Evangelicorum, tam publica & conſentiente omnium Eccleſiarum, eorumque rectorum (qui non niſi ex optimis & ſapientiſſimis ad id muneris ſingillatim per ipſos Apoſtolos horumque diſcipulos delecti fuerant) auctoritate probatorum, defenſorum, & modis omnibus aſſertorum, uſquam præiudicare poteſt. Neque enim ab Epiſcoporum omnino arbitrio pendebat id genus ſcripta e fidelium manibus excutere; quippe qui nullo tunc poteſtatis mundanæ auxilio iuvabantur: cum ne hodie quidem, etſi principum ſuffulti potentia, id

ipſum

ipſum evincere ſatis queant. *Quinto* denique criſis ipſa ac modus inter genuina Apoſtolorum & diſcipulorum eorundem ſcripta, & inter alia apocrypha, diſcernendi facilis omnino accidere Eccleſiarum rectoribus & Epiſcopis debebat. Evangelia enim, Epiſtolæ, & acta, a veris Apoſtolis & Apoſtolorum diſcipulis conſcripta, mox ab his ipſis in manus Epiſcoporum conſignabantur, exempla illorum plura ab ipſis auctoribus viſa & probata ad alias Eccleſias mittebantur, cuſtodiebantur velut religioſiſſimum depoſitum ab eisdem Epiſcopis, legebantur identidem publice in Eccleſiis, explicabantur, eaque omnia fiebant vivis adhuc Apoſtolis, ad multas Eccleſias ſingillatim inviſentibus. Scripta demum poſthuma, & poſt Apoſtolorum obitum Eccleſiis primum communicata, continuo ſuſpecta habebantur: quæ ipſa mors præcipuorum ſaltem Apoſtolorum & diſcipulorum, qui Evangelia, acta, vel Epiſtolas ſcripſere, diu ignota eſſe Eccleſiarum rectoribus non potuit. Ex adverſo Apocrypha illa Evangelia & acta fere omnia non niſi incerto rumore & obſcuris auctoribus in vulgus Chriſtianorum efferebantur, & quidem ferme omnia Apoſtolis, ac diſcipulis, quorum nomina ferebant, pridem vita functis. Plerumque etiam aut novas & Apoſtolicis doctrinis ſcriptisque adverſas doctrinas obtrudebant, aut narratiunculas & aniles fabellas complectebantur ad id tempus ipſis Epiſcopis inauditas. Quid ergo facilius poterat ſapientibus & optimis illis Epiſcopis, qui aut Apoſtolos ipſi, aut primos Apoſtolorum diſcipulos audiverant, accidere, quam nova id genus ſcripta, nulla Eccleſiaſtica ſufficiente atteſtatione probata, argumento, doctrinis, ac toto ſcribendi propoſito, ac charactere, a genuinis Apoſtolorum ſcriptis tam diverſa, veluti partus ſpurios dignoſcere, & pro ratione ſui officii reprobare? Maxime quod nec ſtudium, nec ſapientem criſin S. Clementi Romano, S. Ignatio Antiocheno, S. Polycarpo, S. Irenæo, S. Melitoni Sardicenſi, Clementi Alexandrino, aliisque primi ac ſecun-

di

di ſeculi ſapientiſſimis Epiſcopis ac Doctoribus defuiſſe diſcernendi genuina ab apocryphis, ſatis manifeſte ex propriis eorundem ſcriptis, quæ hodiedum nobis ſuppetunt, elucet.

* * * * * Adde, numerum quoque id genus ſcriptorum apocryphorum a religionis Chriſtianæ hoſtibus nimium plane exaggerari. Si ſex ſeptemve Evangelia excipias, de novo conficta, & quidem omnia (uno tantum *Evangelio Ægyptiorum* excepto) ab hæreticis ſecundi ſeculi, cætera profecto omnia, aut ab Evangeliis quatuor Canonicis, ſed fœde nimirum & pro lubitu per eosdem hæreticos corruptis, non diſtinguuntur, aut omnino tribus primis ſeculis Eccleſiæ Chriſtianæ recentiora ſunt: ut apud Calmetum Diſſert. cit. prolixe videre eſt. At illi calumniatores pro egregio ſcilicet illo ſuo veri amore ultra quadraginta numerare amant. Vide ſis itaque, quisquis veritatis amator es, & recti ſtudio teneris; vide ſis, inquam, inanitatem & caſſam vim palmaris Theiſtarum argumenti, quo Chriſti IESU miraculorum & prophetiarum veritatem graviſſime ſe impugnare, & una cum Evangeliorum Chriſtianorum auctoritate plane evertere exiſtimant. Miracula illa unice probari ex Evangeliis, hæc haud multo melioris fidei & auctoritatis eſſe, quam tot alia ſcripta apocrypha & fabuloſa, quorum ingenti copia Chriſtiani primi Iudæis & paganis certo impoſuere: hoc clamant, hoc repetunt identidem. Qua autem fide? qua criſi ſaltem, & quo iudicio? Nunquid ex ea antitheſi, qua ſpuria illa ſcripta genuinis Apoſtolorum & Evangeliſtarum ſcriptis non niſi ab hæreticis & malis Chriſtianis opponebantur, ſimul vero illa ab Eccleſiarum omnibus rectoribus repudiabantur, hæc pro regula totius fidei probabantur; nonne, inquam, ex ipſa hæreſis & hæreticorum oppugnatione veritati ſummum lumen, ob impoſitam eius illuſtrius aſſerendæ neceſſitatem, acceſſiſſe, ſincere potius confitendum eſſet?

§. 250.

§. 250.

Ex factis his tam authenticis, vide iam, quanta evidentia hæc, quæ ſubiungo, *Corollaria* conſequantur.

I. *Doctrinæ, factaque omnia, ſaltem præcipua, quæcunque in ſcriptis tum Apoſtolorum, tum Evangeliſtarum, continentur, iam, antequam ſcriberentur, ac ſcripta ab Eccleſiis reciperentur, & prædicata ab Apoſtolis horumque diſcipulis, & credita ab ipſis Eccleſiis Chriſtianis fuerunt inde a principio conſtitutionis ipſarum Eccleſiarum.*

* Nihil evidentius conſecutione iſthac. Ipſa inſolentia factorum iuxta ac doctrinarum, quæ in ſcriptis Apoſtolicis continentur, ipſa ſolennitas, qua non niſi publica rectorum auctoritate, imo ex ipſorum Apoſtolorum diſcipulorumque manibus ſcripta illa recipiebantur, ipſa conſtantia, qua doctrinis per eadem propoſitis Chriſtiani omnes una cum Epiſcopis ſibi præpoſitis etiam cum ipſius vitæ & bonorum omnium iactura adhærebant, vitæ denique illorum ſanctitas, & maxime auctoritas omnium ſacrorum & profanorum principum, inter Iudæos & gentiles novæ religionis ſeſe acerrime opponentium, omnia iſthæc ſequelæ iſtius evidentiæ apertiſſime adſtipulantur. Nunquam enim primæ Eccleſiæ tam conſtanti & unanimi per tres orbis partes conſenſu ſcripta tam inſolita, & res novas prorſus ſingulares, tanquam publice ipſiſmet omnibus perſpectas referentia, recepiſſent; niſi iſtarum, ſaltem præcipuarum, veritas iam, antequam his ſcriptis nuntiaretur, aliunde prorſus eis perſpecta, planeque comperta, ex Apoſtolorum videlicet prædicatione oretenus facta, fuiſſet.

§. 251.

II. *Primitivæ Chriſtianorum Eccleſiæ, maxime, quæ mox a IESU Chriſti morte Ieroſolymis, Samariæ, Antiochiæ, Damaſci, Cæſareæ, Epheſi, Corinthi, Alexandriæ, atque etiam Romæ, aliisque Palæſtinæ viciniotibus locis ſunt conſtitutæ, haud dubie magnum numerum aliorum ocularium ac probatorum teſtium de miraculis a IESU Chriſto in omni terra Iudææ tanto numero patratis habuere, quanto in Evangeliis patrata fuiſſe referuntur.*

* Aut num forte Iudæi, incolæ Palæſtinæ ipſius, num ipſius Solymæ cives, tam bardi ac ſtupidi fuere, ut ſine ullo examine, ſine ulla inveſtigatione veritatis tam facile detegendæ, ſtatim crediderint miracula ſumme inſolita de IESU Chriſto, homine inſtar malefici palam a ſuæ gentis principibus cruci affixo, ſibi ingenti numero ab infimæ plebis & nullius auctoritatis hominibus aſſerta; de quibus ipſimet, licet Solymæ ex toto orbe in eodem Paſchate, quo ille occiſus fuerat, præſentes, nihil certi uſpiam audiſſent? Nonne iidem Iudæi, Antiochiæ, Alexandriæ, Romæ, & omnibus orbis partibus diſperſi annis ſingulis urbem patriam ac Ieroſolymitanum templum ex legis præſcripto ſollertiſſime accedebant?

** Hic ſcilicet rurſus ad ſimplicitatem primorum Chriſtianorum, velut ad familiare ſibi aſylum refugiunt increduli Theiſtæ noſtri; quippe qui ut plurimum non niſi de plebe infima ac terræ filii extiterint, quorum indoles alioquin ad novandas res proniſſima, & omni rerum mirabilium ſpecie ſummopere raperetur. Næ hæc noviſſima ſane argutandi methodus mihi eſt. Plebem quidem valde credulam vulgo novimus omnes, cum de prodigiis aſſerendis agitur, quæ præiudiciis antea per eam ab infantia conceptis obſecundant, aut de rebus perſuadendis, ad quarum

quarum fidem, ceu inclinationi ſuæ blandientium, alioquin prona eſt; item cum Principum, Magiſtratuum, aut quicunque demum ſuper eius animos ſufficiente auctoritate antehac pollebant, approbatio, adhortatio, aut exempla etiam, accedunt. At vero num multa oſtenſione fortaſſis opus nobis eſt, ut contraria omnia interveniſſe in perſuadendis tam cito, & tanto Iudæorum & paganorum numero, IESU Chriſti doctrinis, & religione, intelligamus? Nonne Iudæi præ omni alia gente Patrum ſuorum religioni mordicus adhærebant? Nonne pagani vitæ genus paſſim ſectabantur religionis Chriſtianæ ſanctitati ſummopere adverſans? Nonne rudes & ipſi de plebe Apoſtoli erant, qui eam prædicabant? Nonne ſummi omnes infimique omnia movebant ad illam extinguendam, & ad Apoſtolos impoſturæ arguendos? Num vero magna adeo ſimplicitas in illis inerat, qui ſoli in re momenti maximi ſapere ex paganis omnibus demum incipiebant, idola relinquentes, & unum iam religione ſanctiſſima colentes DEUM? contra num ſapiebant magis, qui omni prodigiorum oſtentatione contemta, ſtolido polytheiſmo & turpiſſimæ vivendi methodo, ſemel cæptæ, conſtanter inhærebant? Num ex Iudæis ſanctius vivebant, qui Chriſtum reiecere, & in ruina Solymæ involuti ſunt; an qui obſequentes virtuti Chriſtianæ aures præbuere, ac ſanguine etiam religionis ſanctiſſimæ confeſſioni publicæ ſubſcripſere?

§. 252.

III. *Non igitur ex ſolis Evangeliis, imo nec ex ſola traditione Apoſtolorum IESU Chriſti, ſed vel maxime ex innumeris teſtimoniis primorum Chriſtianorum, maxime Iudæorum, qui ex toto orbe quotannis Ieroſolymam, IESU Chriſto prædicante novam religionem, acceſſerant, primitivis Eccleſiis, atque adeo ex harum teſtimonio etiam nobis hodiedum, compertum eſt de IESU Chriſti miraculis iuxta ac vitæ ſanctitate,*

Digitized by Google

quibus ſe miſſum divinitus ad docendam novam religionem ipſe aſſeruerit.

* Exploſa itaque iam vetus Theiſtarum, etſi maxime alioquin infirma, cavillatio eſt; qua ſola Evangeliorum fide totam religionis Chriſtianæ firmitatem, veluti incerto admodum fundamento, conſtare garriunt.

§. 253.

IV. *Evangelia, Acta Apoſtolorum, Epiſtolæ Canonicæ, revera eos habent auctores, quorum nomina præferunt.* Secus enim a primitivis Eccleſiis earumque Epiſcopis pro talibus nunquam fuiſſent recepta; quippe quibus multum cum iltis auctoribus, vel certe cum Apoſtolis, qui ſcripta illa approbaverant, commercium & diutina familiaritas interceſſit.

§. 254.

V. *Hoc ipſo autem certum quoque omnino eſt, eadem ſcripta Canonica ſine omni ſubſtantiali vitio ſaltem quoad res præcipuas ad nos uſque incorruptas perveniſſe.* Poſtquam enim ſemel omnibus Eccleſiis primitivis, earumque filiabus, per tres orbis partes ſine numero diſperſis, communicata ſunt, poſtquam verſa in omnes linguas, continuo publicis in cœtibus prælecta, ab Epiſcopis omnibus velut ſacrum depoſitum cuſtodita, tot commentariis illuſtrata, infinitis deſcripta exemplis &c., vitiari eadem porro non ſane potuere.

* Ne, quæſo, variationes quaſdam leviculas textuum in diverſis exemplaribus, aut idiomatis, nobis Theiſta quiſpiam obiiciat. Nam primo nullas omnino oſtendi poſſe exploratum eſt, quæ quoddam præcipuum caput circa doctrinam, facta, miracula, & prophetias IESU Chriſti, contin-

contingant. Immenſi labores a viris doctiſſimis & ſtudioſiſſimis magno numero ſuſcepti in examinandis omnibus antiquiſſimis exemplaribus, verſionibus, adnotationibus, redeundo uſque ad prima ſecula, & primæ antiquitatis manuſcripta, rem plane, quam dixi, evincunt. Deinde vero leviuſculis in rebus variationes quamlibet multæ quid aliud evincunt niſi certiorem maximeque authenticam Evangeliorum fidem? Anne fieri aliter omnino poterat de libris publicis, qui infinitis exemplis deſcribi, in omnes linguas converti, in omnibus publicis ſermonibus citari & allegari ſolebant? Iſtud certe in libris obſcuris, a paucis legi, rarius deſcribi ſolitis, æque locum non habet.

* * *Neque dicas 2do.* Varia ex ſcriptis canonicis Chriſtianorum ab hæreticis ſubinde repudiata fuiſſe, nec adeo ſatis certam videri eorum fidem. Nam *contra aio*; ex hoc ipſo maxime patere communem Eccleſiarum & antiſtitum conſenſum, quod, ſiquis homo privatus ea recipere recuſarit, mox ut veſanus a ſocietate fidelium proſcriptus fuerit. Contra hæretici, quod ſectæ ſuæ non quadrabat, ſolo arbitrio repudiabant.

§. 255.

FACTUM IV. Conſtans in ſecundo ſeculo Eccleſiæ Chriſtianæ traditio tenebat, tria prima Evangelia, nimirum S. Matthæi, S. Marci, & S. Lucæ, vivis adhuc Apoſtolis SS. Petro & Paulo, atque adeo ante ruinam urbis Ieroſolymæ, conſcripta fuiſſe, & ab his probata.

Documenta. *De S. Matthæo* S. Irenæus lib. III. cap. 1. ſcribit, illum Hebræis ſcripſiſſe Evangelium, dum interim Petrus & Paulus Romæ prædicarent. Euſebius hiſt. V. 10. narrat, Pantænum, in Indiis orientalibus Evangelium poſt medium ſecundi ſeculi prædicantem, reperiſſe ibidem Ev-

angelii S. Matthæi exemplar a S. Bartholomæo illuc allatum. Quod indicium eſt, S. Matthæum, ut communis deinceps omnium antiquorum opinio tulit, Evangelium ſuum ante diviſionem duodecim Apoſtolorum in Iudæa ſcripſiſſe, adeoque ſaltem ante duodecimum a IESU Chriſti morte annum. Confirmatur hoc ex eo quoque, quod in omnibus Exemplaribus manuſcriptis veteribus primum locum inter Evangeliſtas S. Matthæus teneat; ſimul vero ſatis communis ſententia altero Eccleſiæ ſeculo fuerit, S. Marcum & S. Lucam vivis Apoſtolis Petro & Paulo ſcripſiſſe; ut mox docebimus. Præterea omnia vetera Manuſcripta græca in fine Evangelii S. Matthæi adſcriptum habent, octavo a Chriſti morte anno, id eſt, æræ vulgaris 41mo ſcriptum illud Evangelium fuiſſe.

De S. Marco apud Euſ. hiſt. II. 15. Papias & Clemens Alexandrinus teſtes allegantur, quod Evangelium ſuum ſcripſerit Romæ cum S. Petro verſatus, ipſum S. Petrum divina revelatione motum probaſſe opus, & legendum Eccleſiis commendaſſe. S. Irenæum quoque conſentire huiusmodi teſtimonio, ſupra §. 248. num. 3. probatum iam eſt. Tertullianus libro IV. contra Marcionem ſic habet; *licet & Marcus quod edidit* (Evangelium) *Petri affirmetur; cuius interpres Marcus.* Manuſcripta Græca vetuſtiſſima omnia ſub finem adnotant, alia quidem, anno duodecimo, alia vero eaque plura, anno decimo poſt Aſcenſionem Chriſti ſcriptum eſſe a S. Marco Evangelium.

De S. Luca vel ipſi Marcionitæ hæretici nos docent, receptam iam ſeculo ſecundo vix ineunte traditionem fuiſſe in Eccleſiis, S. Lucam a S. Paulo acceptum ſcripſiſſe Evangelium. Reiectis enim

cæteris

Digitized by Google

cæteris hoc unum hæretici illi ſub nomine S. Pauli aſſumſere. Clemens Alexandrinus apud Euſeb. hiſt. VI. 14. affirmat, *Evangelia, quæ Genealogias continent*, hoc eſt, S. Matthæi & S. Lucæ, *ſecundum traditionem ſeniorum prima ſcripta fuiſſe.* Audivit autem Clemens diſcipulos Apoſtolorum ſecundum dicta §. 249. n. 9. Origenes, qui item ſeculo ſecundo adhuc labente vixit, apud Euſeb. hiſt. VI. 25. dicitur in primo Tomo ſuo in Evangelium Matthæi ſcripſiſſe, *S. Lucæ Evangelium a S. Paulo laudatum fuiſſe*, nimirum illis verbis in 2. Cor. VIII. 18. *cuius laus eſt in Evangelio per omnes Eccleſias.* Data eſt autem hæc a S. Paulo Epiſtola ad Corinthios anno Chriſti 57.; atque adeo ante hunc annum ſcriptum fuiſſe a S. Luca Evangelium oportet, ut laudari a S. Paulo potuerit. Tertullianus lib. 4. contra Marcionem cap. 5. teſtatur: *nam & Lucæ digeſtum Paulo adſcribere ſolent.* Ex quibus verbis alii credidere (citatur Athanaſ. in Synopſi) Evangelium illud S. Lucæ omnino dictatum a S. Paulo fuiſſe. Alios item aſſeruiſſe Euſebius III. 4. teſtatur, quod S. Paulus illis verbis, *ſecundum Evangelium meum*, quæ in pluribus eius Epiſtolis occurrunt, S. Lucæ Evangelium deſignarit. Illud quoque, vel adoptatum a S. Paulo Lucæ Evangelium, vel a S. Paulo id Lucam accepiſſe, confirmat; quod S. Paulus in prima Epiſtola ad Corinthios cap. II. pene iisdem verbis atque Lucas in ſuo Evangelio cap. 22. inſtitutionem Euchariſtiæ in cœna ultima enarret. Soli item S. Paulus I. Cor, XV. 5., & S. Lucas Ev. XXIV. 34., produnt, Chriſtum ipſo, reſurrectionis ſuæ die Apoſtolo Petro ſe videndum præbuiſſe. Vide iam dicta ſupra §. 215. not. 2.

Digitized by Google

§. 256.

Concludamus dicta hactenus DOCUMENTO, vel ab hoſte inſenſiſſimo totius Chriſtiani nominis nobis relicto, de indubitata ſententia, quod Evangelia, eos reipſa habere auctores in primis Eccleſiæ ſeculis iam credita fuerint, quorum ea nominibus inſcribuntur. Eſt is ipſe Iulianus Imperator Apoſtata, qui in opere contra religionem Chriſtianam circa an. 363. edito, confutaturus Divinitatem IESU Chriſti, pro indubitato ipſe habet, Evangelia vere ab eis ſcripta eſſe, quorum eſſe vulgo cenſentur. Sic autem habet lib. 10. *In tantam miſeriam delapſi eſtis, ut ea, quæ vos Apoſtoli docuerant, non tenueritis: qui vero ſecuti ſunt, multo profundius in impietatis abyſſum vos demerſerunt. Etenim nec Paulus, nec Matthæus, nec Lucas, nec Marcus, dicere auſi ſunt, IESUM ſuiſſe DEUM; ſed bonus vir Ioannes videns, quam plurimas urbes in Græcia & in Italia hac inſania laborare* (unde vero Græcia niſi a S. Paulo & S. Luca, unde Italia, niſi a S. Petro & S. Marco, hanc ipſam in inſaniam eſt adducta?) *id omnium primus affirmare non erubuit; & poſtquam pauca de Ioanne Baptiſta ſcripſit, redit ad Verbum, quod annuntiat, dicitque: Verbum caro factum eſt, & habitavit in nobis.* Ecce! ut vel maledicus hoſtis iſte pro certo ponit, ante S. Ioannem pridem S. Paulum ſuas Epiſtolas, Matthæum, Marcum, & Lucam vero, ſua Evangelia ſcripſiſſe; qui, ſi vel ſuſpicio quædam huic ſententiæ refragata id ætatis fuiſſet, profecto non omiſiſſet apocryphis ea ſcripta omnia fabuliſque accenſere.

ſſ. Inſti-

Digitized by Google

§. *Inſtituitur Examen Criticum Quatuor Evangeliorum.*

Nihil admodum Theiſtarum pertinacia habet, quod factorum, quæ paulo ante aſſerta ſunt, certitudini nimis quam compertæ opponat. Recepta pro authenticis iam inde ab Apoſtolorum proxima ætate omnibus in Eccleſiis Chriſtianis fuiſſe quatuor Evangelia, negare àdeo non valent, ut ne obiicere vel unum teſtem contrarium poſſint. Ad id ergo conſilia ſua vertunt omnia, ut, recipi ea non debuiſſe, nec niſi ex nimia credulitate ac rudi ſimplicitate recepta fuiſſe, ex certis, ut ipſis quidem videtur, falſi characteribus, ceu notis cuique Evangelio intrinſecis, evincant. Sed quam bellum illi ſuſcipiunt molimen! Receptam Evangeliorum hiſtoriam, velint, nolint, non fateri non poſſunt. Sed qualis eſt iſta hiſtoria? quæ res, quæ facta in illa demum narrantur? Non profecto a multis abhinc ſeculis repetita, non obſcura, non viſa a paucis, non ad paucos attinentia, ſed nuper admodum in facie nationis integræ edita, publica, a multis millenariis hominum coram ſpectata, ad mutandum religionis antiquiſſimæ cultum in gente ſuis ritibus mordicus inhærente tendentia; res & facta talia, quæ niſi ante iam plene tum proprio experimento, tum mille teſtium ocularium atteſtatione, vel certe ex novis prodigiis per ipſos Apoſtolos editis, primitivarum Eccleſiarum Chriſtianis comperta fuiſſent, profecto ex ſolis ſcriptis quibusdam, temere, ac incerto auctore, nulla primi ordinis adſtipulante auctoritate ſparſis, arripi, credique ſine inſigni ſtultitia non potuiſſent, multo vero minime ita cordi haberi, ut ad eorum tenorem omnis vitæ ratio deinceps utcunque renitentibus cunctis humanis affectionibus exigeretur.

Nihil itaque certius eſt atque evidentius, quam primos Chriſtianos, dum Evangelia abſque contradictione ulla reciperent, vel aliunde iam compertam veritatem eorum factorum ſaltem præcipuorum habuiſſe, quæ in illis conſignata legebant, vel certe reipſa illis prodigiis ceu teſtes oculares convictos de factorum talium veritate fuiſſe, quæ patrata ab Apoſtolis ſine numero, nec minus grandia quam ab ipſo IESU Chriſto Domino, referuntur. Ad quæ quidem prodigia dignoſcenda, cum ipſos ſub oculos plane caderent, non eſt, cur non etiam maxime indoctis atque rudibus obvium ſanorum ſenſuum teſtimonium ſufficeret. Audiamus nihilominus ſubtilem Theiſtarum criſin de ſingulis Evangeliorum libris, ut, qui credulitatis nimiæ arguunt primos Chriſtianos, eorundem ſtolida pertinacia apertius eluceſcat.

§. 257.

Opponunt itaque 1mo. nullum certum *tempus*, nec *locum*, quo quisque Evangeliſta ſcripſerit, aſſignari, imo variare etiam circa iſtud teſtes probatiſſimos, quos ſupra nos ipſi attulimus. S. Matthæum vulgo credi octavo ab Aſcenſione IESU Chriſti anno primum omnium ſcripſiſſe; ex S. Irenæi vero ſententia (l 3. cap. 1.) multo ſerius admoviſſe manum, nimirum cum iam Petrus & Paulus Romæ Evangelium annuntiarent: id quod iuxta criticos peritiſſimos non niſi ſub extrema Neronis tempora factum creditur. S. Marcum in aliis Manuſcriptis Græcis antiquiſſimis affirmari decem, in aliis duodecim a Chriſto in cœlos aſſumto annis ſcripſiſſe; ſecundum S. Irenæum vero primum poſt obitum SS. Petri & Pauli id feciſſe. De S. Luca non minus variare ſententias, utrum ſecundum Manuſcripta vetera Græcorum anno Chriſti

ſti

ſti 51, an vero potius non niſi poſtquam S. Paulo comes acceſſit; quod non ante annum 54. factum. *De S. Ioanne* minus etiam ſibi variorum ſententias conſtare, nunc ſecundum diverſa Manuſcripta vetera 30, vel 32, annis poſt Chriſti aſcenſionem ſcripſiſſe autumantium, nunc omnino primum 65to poſt id temporis anno, Traiano regnante. Sed neque *de locis* certius quid extat, in quibus Evangeliſta quisque Evangelium ſuum exararit. Euſebius in Demonſtr. Evang. lib. III. cap. 24. affirmat *Matthæum* Ieroſolymæ ſcripſiſſe, quod vix teneri poteſt, ſi vere dixit Irenæus, quod ſcripſerit non niſi circa annum ſexageſimum primum Chriſti. *S. Marcum* plerique cum Clemente Alexandrino (apud Euſ. hiſt. II. 15.) aſſeruere Romæ ſcripſiſſe, alii apud S. Chryſoſtomum in hom. 1. in Matth. in Ægypto. *S. Lucas* ab aliis Romæ, ab aliis Alexandriæ, & rurſum ab aliis in Achaia fertur Evangelium adornaſſe. Sunt denique ex antiquis, qui *S. Ioannem* autumarint, Epheſi, ſunt, qui maluerint, in Pathmos inſula ſcripſiſſe. *S. Matthæi*, quem hebraice ſcripſiſſe omnes conſentiunt, nullum vel in prima Eccleſia hebraicum exemplar extabat, quod authenticum haberetur. Verſionem porro Græcam magis originali conformem fuiſſe quis ſe vadem præſtabit? De S. Marco etiam incertum, latine an græce ſcripſerit. Certe tot adiunctorum obſcura involutio fraudulentæ ſuppoſitionis ſuſpicionem non levem facit.

Reſponſio. Excepta, quam Theiſta exinde præcipitat, conſecutione, cetera, quæ dicta ſunt, fatemur omnia. Etſi enim locum ac tempus, quo ſcripta eſſent Evangelia, primi Chriſtiani, imo & multi eorum Epiſcopi, aut non ſciverint accurate, aut certe non accurate literis conſignaverint; re-

 cipere

recipere tamen Evangelia, ceu ab Apoſtolis, horumque diſcipulis, ſcripta omnino non potuere, quæ illis aut nova omnia, aut ab eis aliena, nuntiarent, quæ recens ex ipſo illorum ore perceperant, multo minus, quæ prodigia & facta publica, nuſpiam ſatis antehac comperta pró indubitatis narrarent. Vide dicta §. 247. Num enim tantidem ſcire intererat, quando & ubi ſcripſiſſent Evangelia Apoſtoli ac diſcipuli eorum; quanti, an vere iſti illa ſcripſiſſent? Totum ſalutis eorum negotium, tota religionis ſubſtantia, a ſubſtantia iſtius facti, contra nihil admodum ab adiunctis illis pendebat; nec Apoſtolorum ipſorum quidpiam intererat, de iſtis eos diligentius informare, imo nec Epiſcoporum de eisdem ſtudioſius inquirere; cum rei ſubſtantia illa nuſpiam in dubium vocaretur. Aut num conſtare *de facto* non poteſt, quin *adiuncta facti* omnia atque ſingula ſint explorata, & quidem ètiam ea, quæ ad facti propoſitum nihil omnino faciunt? *Quod Autographum S. Matthæi hebraicum attinet*, vel potius Syriacum (hoc enim idioma hebræis tum vernaculum erat) codicem quemdam Evangelii S. Matthæi, vel ſecundum Hebræos, præ manibus habuiſſe ſe, & Græcis latinisque literis tradidiſſe, S. Hieronymus poſt quarti ſeculi medium teſtatur in Catal. Script. Verbo *Matthæus*, & verbo *Iacobus*, & in Matth. 12. Addit, laudari idem exemplar ab Origine, neque ambigere ſe, quemadmodum nec S. Epiphanium, ipſum eſſe Autographum S. Matthæi, quamquam a Chriſtianis hebraizantibus, quorum plerique parum ſancte purioris fidei depoſitum ſervarint, in pluribus interpolatum. Prima huic interpolationi via aperta eſt, quod plura, ex ipſis Apoſtolis, ſive horum primis diſcipulis, audita, privato ſuo arbitrio addenda reputarint. Hinc creata in Evan-

gelium

gelium illud ſuſpicio apud ceteros fideles, qui ex Iudæis hebraizantibus non erant, nec niſi Epiſcoporum calculo & auctoritate publica in religionis negotio ſecure duci ſe credebant. Inde porro ſemel ſumta interpolandi licentia, Ebionitæ plura etiam addenda, atque detrahenda, prout erroribus ſuis conduceret, ſuſceperunt: ex quo ceteris fidelibus demum omnino reiiciendi textus hebraici occaſio data eſt; maxime quod pro Chriſtianis, multo maiorem partem Græco idiomate utentibus, mox inde ab edito illo Evangelio, haud dubie ipſorum Apoſtolorum opera, græca verſio authentica procurata fuiſſet. Diu quidem huius Evangelii ſacrum depoſitum integrum manſit penes Nazaræos, ſeu penes Chriſtianos ex Nazareth converſos; manſit, inquam, apud hos incorruptum etiam poſt interpolationem per Ebionitas factam; qui facta a fide ſeceſſione plura in Divinitatem IESU Chriſti & B. Mariæ virginitatem erronea effutierunt. Erant etiam S. Hieronymi ætate Nazaræi (Hieron, in Iſai. 8. 9. & 29. 20. & 31. 6. & 9. 2.) quibus nihil cum Ebionitis commune erat. Nihil iſti ex Evangelio detraxerant, nullam ex traditionibus Phariſaicis recipiebant; quamquam ceteroquin obſervationibus legalibus inhærerent. Hæc ipſa autem Nazaræorum communis hæreſis, qua adeo legis antiquæ cerimoniis inſiſtebant, ut nullam ſine ipſis eſſe ſalutis ſpem abſolute crederent, Ebionitarum fraudibus coniuncta, ceteros fideles Chriſtianos ſatis movebat ad græcum S. Matthæi Evangelium deinceps unice colendum, neglecto penitus hebraico. Qua ipſa re num poteſt eſſe quidquam luculentius ad integerrimam eorum fidem demonſtrandam in genuinis Apoſtolorum ſcriptis aſſerendis? Denique *S. Marcus* græce, an latine, ſcripſerit Evangelium, quid noſtra aut religionis

gionis totius Chriſtianæ intereſt? Si latine: verſum græce, veriſimilius ab ipſomet Marco, fuit; cum ad Alexandriæ Eccleſiam regendam acceſſiſſet. Sin græce ſcripſit: verſum latine fuiſſe in Romanorum uſum, quibus S. Petrus, Marci Magiſter, & cum illo ipſe diſcipulus, prædicavit Evangelium, haud dubie ipſius S. Marci cura, atque etiam opera fortaſſe, dubitari non poteſt. Eadem namque haud dubie & autographa & verſionem recipiendi ratio in Eccleſiis primitivis extitit, auctoritas nimirum & conſenſus Epiſcoporum, qui aut ab Apoſtolis, aut ab horum diſcipulis omnes fuerant conſtituti. Uno verbo: ſi fraudem Evangeliſtæ ſcribendis Evangeliis dare hominibus propoſitum habebant, nihil ipſis erat facilius, quam iſtiusmodi adiunctis vel accurate in fronte operum, aut calce, adſcriptis, aut ſermone divulgatis, illius ſuſpicionem tam leviculam amoliri: ſin veritati, religioni, & ſaluti hominum unis ſtudebant curis, nihil pronius, quam ut iſtiusmodi minutias accurare ipſi, & eorum diſcipuli curioſius inquirere, veluti nihil omnino ad propoſitum pertinentes, penitus ſuperſederent. Non niſi bona fide & mentis rectitudine opus eſt, ad inanitatem iſtiusmodi obiectiuncularum in re tam gravi ſimul ac ſeria dignoſcendam.

§. 258.

Opponunt 2do., res ipſas, ab Evangeliſtis ſcriptas, unaque diſcrimen, quo quisque illas conſignavit, fraudis ſuſpicionem facere. 1mo. Apud *Matthæum*, inquiunt, alluſio ad ſcripturas veteris teſtamenti, harumque allegorica applicatio ad facta dictaque IESU Chriſti vel maxime indifferentia, omnem paginam implet. Quidquid agit, quidquid loquitur Chriſtus, omnia prædicta vete-

rum

terum vaticiniis prophetarum aſſeruntur; etſi non raro prophetæ oculis opus ſit ad conſenſionem iſtam ſatis perſpiciendam. Mox cap. I, cum Mariam Ioſephi coniugem de Spiritu ſancto gravidam narraſſet, a v. 22. affirmat id factum implendi vaticinii Iſaiæ cauſſa, *ecce! virgo in utero habebit, & pariet filium; & vocabunt nomen eius Emmanuel; quod interpretatum eſt, nobiscum DEUS.* Iſai VII. 14. Quo tamen loco Iſaiæ non niſi de filio ſibi ex iuvencula coniuge naſcituro, aut certe de Ezechia Regis Achaz filio, reipſa ſermo eſt; ut ipſe contextus & negotii præſentis ratio ſeu ſcopus evincit. Cap. II. v. 15. IESUM infantem narrans poſt obitum Herodis ex Ægypto in Palæſtinam revertiſſe, ait, *hoc factum, ut adimpleretur, quod dictum eſt a Domino per prophetam* (Oſeam XI. 2.) *dicentem: ex Ægypto vocavi filium meum.* Sciebant Iudæi, ante quindecim ſecula patres ſuos liberatos ex Ægypto: at qua veri ſpecie ex hoc facto vaticinium Evangeliſta exſculpit? Sub finem eiusdem Capitis II. IESUS refertur veniſſe in Nazareth, habitaturus ibidem, idque rurſus factum ad complendam prophetiam, qua dictum ſit, *quoniam Nazaræus vocabitur.* v. ult.: cuiusmodi tamen vaticinium nuſpiam in veteribus Scripturis Iudæorum eſt invenire. Similes attributiones propheticæ paſſim in reliquo eius Evangelii decurſu legere eſt.

2do. *S. Marcus*, etſi non niſi epitomen Matthæi dediſſe videatur, rerum tamen geſtarum ſeriem longe a Matthæo diverſam repræſentat, ſicut & ceteri duo Evangeliſtæ. Unde in Chronologiæ ordine inter ſe Matthæus & ceteri plane diſſentiunt. Quæ ergo fides huiusmodi ſcriptis ineſſe poteſt?

3tio.

Digitized by Google

3tio. *S. Lucas* res bene multas narrat, de quibus nec verbo in Matthæo fieri mentionem, ſane quam mirum videtur, e.g. prodigioſam Nativitatem Ioannis Baptiſtæ, vaticinia Zachariæ, Eliſabethæ, Simeonis, & Annæ, adorationem Paſtorum, viſione Angeli vocatorum ad præſepe, Sapientiam duodennis parvuli IESU in templo coram Doctoribus. Profecto iſthæc omnia locum aliquem ac mentionem etiam apud Matthæum meruiſſent, ſi tamen ea habuerit comperta.

4. *S. Ioannis Evangelium* ſtylo ab omnibus tribus reliquis plane differt, & Myſteriis apud reliquos non inveniendis redundat totum; quorum fatente ipſo auctore vel ipſi diſcipuli IESU Chriſti nihil admodum intelligebant. Divinitatis IESU Chriſti dogma non niſi in hoc Evangelio, nec in ullo alio præcedente, reperitur. De verbo mundum fabricante auctor in ingreſſu operis ſecundum doctrinam Platonicorum ad amuſſim diſſerit; quod indicium eſt ſatis clarum, Iudæum de Schola Platonica fuiſſe, qui eo tempore, i. e. ſub ſeculi ſecundi finem, ſcripſerit, quo Chriſtiana religio in eam ſcholam cæperat introduci.

5. Denique fraudis fictitiæ & illa nota Evangeliis luculenta ineſt, quod more eorum, qui res miras immoderato ſtudio affectantur, ſic & Evangeliſtæ eo, quo ſcripſerunt, ordine quisque prodigia de Chriſto plura ſemper, & magis ſtupenda ac inſolita, ſubiiciant. S. Matthæus & S. Marcus, ut primi narrare mirabilia incipiunt, ſic alteris duobus haud paulo pauciora & minus exotica narraſſe contenti ſunt. S. Lucas his adiicit magnam copiam eorum, quæ Chriſti Nativitatem præceſſere, & eiusdem infantiam comitata fuere. Primi duo non

non niſi ſimplicibus verbis affirmant, IESUM mortuos reſuſcitaſſe ad vitam; at ſingillatim non niſi unam adoleſcentulam in paucorum præſentia teſtium ad vitam ab eo revocatam accuratius recenſent. Ex adverſo S. Lucas unum aliquem defunctum, qui iam ad tumulum efferebatur, publica in via ab eo reſuſcitatum commemorat. S. Ioannes multo his ampliora adiungit. Quantum libeat, Lucas aſſeveret, *ſe omnia a principio diligenter aſſecutum ſcribere, quæ* de IESU Chriſto *tradiderunt, qui ab initio ipſi viderunt, & miniſtri fuerunt ſermonis* (Luc. I. 1, 2, & 3.); glorietur idem Act. I. 1. & 2, *ſermonem ſe feciſſe de omnibus, quæ cœpit IESUS facere & docere uſque ad diem, qua aſſumtus eſt:* Evangeliſta tamen tam bene de omnibus edoctus ignoravit prodigia primi nominis, & ceteris magis famoſa, ab eodem IESU Chriſto patrata; quorum narratio non niſi diu poſt a S. Ioanne ſuppleri debuit; puta cæcum a nativitate oculorum, Lazarum quatriduo abhinc mortuum & iam fœtentem vitæ, paraliticum triginta annorum membrorum uſu rurſum donatos, proſtratam uno Chriſti verbo cohortem integram ſatellitum, qui ad IESUM capiendum venerant. Iſthæc prodigia, a Ioanne conſignata, haud dubie præ omnibus aliis ſplendida erant, & ad Chriſti nomen illuſtrandum ceteris aptiora. Nihilominus de his ipſis veluti ſibi maxime ignotis, vel certe ut de re nullius momenti, ceteri omnes Evangeliſtæ altum ſilent, ſolus teſtis noviſſimus enuntiat Ioannes; ventoſa illa coronide concludens Evangelium ſuum: *ſunt & alia multa, quæ fecit IESUS; quæ ſi ſcribantur per ſingula, nec ipſum arbitror mundum capere poſſe eos, qui ſcribendi ſunt libros.* Hem tibi, amice lector, totam ingenii aciem ad impugnanda veritatis Evangelicæ teſtimonia ab eius iuratis hoſtibus expromtam!

Sed

Sed iam & totam eius hebetudinem ſub oculos ponamus.

§. 259.

Reſponſio. Si ob diſcrimen quodvis rerum ac methodi ſcribendi, qua eiusdem hiſtoriæ ſcriptores narrationes ſuas adornant, aut hiſtoriographi ipſi malæ fidei, aut hiſtoriæ fraudulentæ ſuppoſitionis, arguendæ ſint; metuo, ne nullius gentis hiſtoriæ ſua uſquam fides conſtet. Nimirum conſilium, quo quisque ex diverſis ſcriptoribus eiusdem hiſtoriæ narrationem ſuſcipit, ſcopus, quem præcipue ſcribendo conſequi intendit, tum rerum delectum, tum ſcribendi ipſam methodum aliam aliamque definire ſolet; hæc, inquam, omnia primo præ oculis habere, & diligenter attendere oportet, ut rectum de ſcriptoris fide atque integritate ferri iudicium queat. Ad hæc ipſa quoque ingenii aciem intendere, & ex eo Criticam dirigere ſuam etiam Theiſtas oportebat; antequam tam inconcinnis gerris fraudis iniuriam ſcriptis Evangelicis impingerent; quæ ita ſinceriſſimæ fidei notam in fronte univerſa gerunt, ut vel Ioannis Iacobi de Rouſſeau (nomen Theiſtis ſi quod aliud illuſtre ac venerandum!) confeſſione propria nulla fraudis vel ſuſpicio cadere in ea omnino poſſit. Subiiciemus infra confeſſionem iſtam propriis illius verbis conceptam. Modo, quis ſcopus Evangeliſtæ cuique ſeorſum propoſitus in ſcribendo fuerit, primum omnium exponamus.

§. 260.

1. Cum *S. Matthæus*, primus omnium, ſcriberet Evangelium præcipue Iudæis, negantibus, IESUM Chriſtum eſſe Meſſiam genti ſuæ in Scri-

pturis

pturis promiſſum; ſane id præ oculis debebat habere, quod ad perſuadendum iſtis contrarium maxime ſerviebat. Viderant iſti ipſimet oculis, aut ſaltem fama publica conſentiente undique audierant, miracula IESU Chriſti, queis Meſſias eſſe ſane magnifice probabatur: at quia non regis potentis ſpecie, ſed humilis venerat, deſiderare in eo completa Prophetarum ſuorum vaticinia videbantur ſibi. Qua ergo in re iudicium ſapiens probare nobis ſcribendo Matthæus ſignificantius potuiſſet, quam remittendo ad occaſiones ſingulas Iudæos ad illa Scripturarum vaticinia, in quibus longe maior, præciſiorque, Chriſti IESU imago expreſſa inveniretur, quam vel ipſi Iudæi de futuro ſuo Meſſia unquam mente conceperant? Hæc ipſa ratio Marthæo fuit, cur ea vitæ Chriſti adiuncta & actiones præ aliis diligentius colligeret, quæ ſingillatim a prophetis fuerant prædicta, omitteret contra alia, quæ minus ad hoc propoſitum ſuum facerent. Inde eſt, quod Chriſti ex Abrahamo & Davide progeniem, ortum ex virgine Matre, locum nativitatis, Magorum adorationem, fugam in Ægyptum, cædem infantum &c. præ aliis adnotaverit; quia videlicet hæc ipſa a Prophetis antiquis de Meſſia prædicta, & eventu completa in Chriſto, convincendis validius Iudæis iuxta, ac in fide IESU Chriſti confirmandis, præ rebus aliis congruebant. At, inquis, quid opus erat ad hoc alluſiones, ſimilitudines, & prædictiones ubivis ſibi fingere, etiam ubi nullæ omnino, aut certe nonniſi obſcuræ ſuppetunt? Bona verba, mi bone! Dic potius, amabo, quid ſive in IESU Chriſti vita inſit, quod a Prophetis prænuntiatum non ſit, aut quid in Scripturis contentum veteribus, quod rerum in novo teſtamento actarum ſymboli vices non habeat? Omnia præcipua veteris teſtamenti even-

ta eventuum teſtamenti novi imagines, perſonæ illius principes totidem figuræ Meſſiæ ſunt. Si minus his fidem habere velis, uno rem exemplo vide. Nonne IESU Chriſti imago ac figura erat ad vivum expreſſa Ioſephus ille Ægyptiacus, præ omnibus filiis a Patre dilectus, miſſus ab hoc ad fratres ſuos inviſendos, ab his innocens venditus pro denariis viginti, & exinde factus illorum dominus, Servator ipſorum iuxta, ac extraneorum, imo & Salvator mundi appellatus: id quod ſine conſilio perdendi ipſum a fratribus capto, ſine venditione, & reprobatione ipſius, nunquam evenisſet. Quam hæc viva imago Chriſti? Inſuper in carcere Ioſephus innocens hæret inter duos reos, IESUS in cruce pendet duos inter latrones. Ioſeph prædicit ſalutem uni & mortem alteri ex ſomniis ſimilibus; IESUS Chriſtus ſervat latronem unum, & ſinit interire alterum poſt crimina ſimilia. Unum diſcrimen Ioſephum inter & Chriſtum intereſt, quod ille non niſi prædicat ſalutem, hic autem conferat; quod ille petat ab eo, quem prædicit ſalvum fore, ut ſui in proſperitate poſitus meminerit, & is, quem Chriſtus liberat, ab ipſo roget, ut ſui meminerit, cum venerit in regnum ſuum. Sed nonne iſtud diſcriminis prorſus apprime docet, quid figuram inter & rem ipſam, inter ſervum & DEUM, ſervi duntaxat ſpeciem libere ferentem, interſit? Nunquid tot figurarum in veteri, & tot rerum in novo teſtamento, ſimilitudines ſine numero, quibus utriusque Scripturæ corpus redundat, luculentus eſt Divinitatis & æternæ providentiæ character, utriusque tempora, eventus, & perſonas, pro arbitrio & certo conſilio diſponentis, & ſecundum æternæ ſapientiæ ſuæ decreta mirabili ſuavitate & efficacia dirigentis? Symbola iſthæc alias a Prophetis Meſſiæ explica-

tis

tis verbis applicantur, vaticinio tam aperto ac præciſo, ut omnis ambiguitas (paganorum oraculis ita communis, ut num affirmarent, an negarent, perinde eſſet incertum) abeſſet. Alias inſtar picturarum erant, arte quadam & ſapientia prorſus divina expreſſarum, quæ præſenti cuiquam aut propinguo obiecto repræſentando utcunque quadrabant, at non niſi in IESU Chriſto, ceu vero Meſſia, modo quodam immenſum nobiliore ac perfectiore complendæ erant, qui toti energiæ imaginis atque emphaſi ad amuſſim reſponderet. Exemplum habe unicum in Salomone, de quo Davidi Patri eius II. Reg. VII. 13. DEUS promittit, *ſtabiliam thronum regni eius in ſempiternum*; & in ipſo Davide, cui idem Pſ. LXXXVIII. 36. DEUS pollicetur: *Semel iuravi in ſancto meo, ſi David mentiar: ſemen eius in æternum manebit: & thronus eius ſicut ſol in conſpectu meo, & ſicut luna perfecta in æternum.* Nonne imagine hac magnifica diuturnitas & ſplendor ſolii Davidis & Salomonis apud familiam iſtorum diutiſſime permanſuri ad vivum depingitur? Attamen tota verborum emphaſis amplius profecto quid exprimit, quam quadringentorum circiter & quadraginta annorum durationem, queis progenies Davidis ſolio Iudaico ad captivitatem uſque Babylonicam erat potitura. *Semen eorum & thronus manſurus in æternum* prædicitur; & tamen inde a Zorobabele nullus ex ſemine David regnaſſe in Iuda noſcitur. Nimirum in Chriſto, ex ſemine David naſcituro tota vaticinii ſumma pleniſſime complenda erat, & cum im̃enſo etiam exceſſu; cuius quippe regnum non temporaneum, ac terreſtre, ſed æternum, ac cæleſte futurum. Duplex itaque id genus vaticiniis ſenſus, vel ſignificatus, inerat, unus, quo eventum aliquem, veteri teſtamento proprium, alter, isque multo præ-

 clarior,

Digitized by Google

clarior, quo adiunctum aliquod vitæ aut perſonæ venturi Meſſiæ deſignabant; cuius adiuncti proinde ipſe eventus ille, veteri teſtamento proprius, typus & figura quædam erat, nunc magis, nunc minus perfecta. Ridet hoc gemini ſenſus diſcrimen, in veteribus Scripturis aſſertum, petulans ac profanus Theiſta aliquis, ceu medium fraudi tegendæ apprime accommodum. Sed vide ſis, quo demum id fundamento faciat inverecundus ſacerrimorum Myſteriorum irriſor. Num enim citra ullius fraudis ſuſpicionem, imo citra ullam quoque obſcuritatem, vel ambiguitatem, locum is habere non poſſit? Atqui is evidenter totum id eſt, quod emblematici ac ſymbolici artificii fundamenta remque omnem conſtituit. In Emblematicis imaginibus theſſera, ſive ſententia ſymbolicæ imagini adſcripta, uno quidem ſenſu vero ac proprio pictæ imagini appoſite reſpondet: at ſenſu altero, etſi ſæpe improprio, rei per eam imaginem figuratæ ita congruit, ut, ſi artis regulæ ſervatæ fuerint, non modo ambiguitas nulla in lemmate cum re ſignificata accommodando ſuperſit, ſed etiam, ſiqua in ſola vi verborum ac poteſtate nuda obſcuritas aut æquivocatio ſupereſſet, eadem ab ipſa imaginis (quam corpus ſymboli vocamus) indole & ratione prorſus proſcriberetur. Iam vero hoc totum eſt, quod Chriſtiani omnes in duplici Scripturarum veterum ſenſu unice adoptant. Vetus omne teſtamentum illi ceu Emblema, ceu figuram, & umbram novæ legis a Chriſto inſtitutæ reſpiciunt. Prophetarum dicta in Scripturis expreſſa inſtar lemmatum ſunt, quæ illius quidem temporis facto alicui, vel eventui, in ſenſu obvio vulgo ita reſpondent, ut ſimul in ſenſu quodam multo excellentiore ac nobiliore venturo Meſſiæ accommodentur. Ipſe prior ille eventus,

tus, aut factum, umbra & figura eſt facti ſeu adiuncti alicuius futuri Meſſiæ, indeque hoc ipſo talem utrius ſenſus conſenſionem determinat, vi cuius nulla plane ambiguitas locum habere poſſit. Prior ſenſus natura ſua ad alterum deducit, tantum abeſt, ut fraudi locum faciat. Demum etſi id genus vaticinia, ſola ſi eſſent, utcunque poſſent eſſe ſuſpecta: attamen aliis magno numero ſole clarioribus iuncta, nonne ubertatem quamdam ac divitias præſcientiæ divinæ per omnes Scripturas copioſiſſime ſplendentis magnifice prorſus oſtentant? Aliter prorſus cum duplici oraculorum gentilium ſenſu res ſe habet. Complectebatur is vulgo res duas e diametro oppoſitas, ut æque affirmaret unam, negaret alteram, ut e. g. notum illud: *ibis, redibis non morieris.* Itaque neutiquam erat propheticus, ſed impoſturæ manifeſtæ plenus. Iam porro, ut ad propoſitum propius regrediamur, agnoſcebant ultro hoc gemini Scripturarum ſenſus Myſterium Iudæi, & ipſi paſſim in Scripturis aſſerebant, nec niſi in eo errabant, quod literæ, ac ſenſualibus, quas de terrena ſua magnitudine prorſus imbiberant, ideis unice inhærentes, etiam in eo oraculorum propheticorum ſenſu, quo ad Meſſiam pertinebant, nihil excellentius, nihil futilibus ideis ſuis altius intelligere, vel admittere vellent, regno Iſraëlis terreno ac temporaneo, quod ab eo inſtauratum & amplificatum iri expectabant, unice intenti. Quæ ipſa ratio illis fuit præcipua, cum in IESU Chriſto nil niſi humile & abiectum, quantum ad temporalis vitæ conditionem, viderent, ut eundem, etſi miraculis ad eum diem inauditis verum ſe probantem Meſſiam, tamen obſtinate reiicerent; quippe in quo præcipuum veri Meſſiæ a ſe expectati Characterem vel maxime deſiderarent. His iam probe animadverſis, qua-

Digitized by Google

nam ratione S. Matthæus rectius ac certiore compendio attingere ſcopum ſibi præfixum poterat, quam quavis occaſione diligenter captata indicando illam perfectam ſimilitudinem, quæ IESUM Chriſtum inter & verum Meſſiam, per tot Scripturarum oracula ſecundum adiuncta omnia ſingillatim ad vivum depictum, intercederet? Sed iam etiam *particulatim* obiectis alluſionibus Matthæi reſpondeamus.

§. 261.

S. Matthæus, inquiunt, aſſertæ B. Mariæ virginitati Iſaiæ oraculum accommodat; in quo reipſa non niſi de filio ipſius Iſaiæ, aut regis Achaz, ſermo eſt. *Reſpondeo* 1mo. apertiſſimum eſſe, *totum* contextum capitis VII, VIII, & IX. Iſaiæ, nec de filiis Iſaiæ, nec de Ezechia regis Achaz filio, intelligi omnino poſſe, ſed intelligi debere de filio Emmanuele, qui homine vulgari maior. Oſtendo facile, ſi negas. Atque inprimis, *Ezechiam* illo Emmanuele puero non deſignari, ut craſſo nimis errore Iudæorum Rabbini voluere, exinde evidens eſt; quod imperante iam Achaz editum a Propheta oraculum narretur. Porro teſtante ipſa Scriptura IV. Reg. XVI. 2. *ſedecim annis regnavit Achaz in Ieruſalem, Ezechias* vero *filius Achaz regis Iuda viginti qninque annorum erat, cum regnare cœpiſſet* (IV. Reg. XVIII. 1. & 2.) defuncto Patre. Itaque octo ſaltem vel novem annis Ezechias erat natus, antequam Achaz Pater ipſius regnaret. Alterum porro filium, qui patriæ hæreditatis iure Iudæ regnum adierit, certe præter Ezechiam Achaz non habuit. Itaque, etſi plures filios habuiſſe ex II. Paral. 28. 3. conſtet, de nullo tamen illorum contextus verba illa intelligi poſſunt Iſai. VIII. 8. *erit extenſio alarum eius, implens latitudinem terræ tuæ,*

tuæ, ô Emmanuel! nec illa IX. 6. de *principe pacis, qui ſuper ſolium David ſedebit, ut confirmet illud, & corroboret in iudicio & iuſtitia amodo uſque in ſempiternum;* nec illa ibid. v. cit. quod *vocandum ſit nomen eius admirabilis, conſiliarius DEUS FORTIS, pater futuri ſeculi, princeps pacis.* Verum hæc ipſa oſtendunt ſimul, nec Iſaiæ filio alicui hæcce verba prorſus quadrare poſſe; quippe cuius nullus utique filius ſolium Davidis conſcendit, imo filium homine & principe vulgari maiorem apertiſſime deſignari. Lege contextum integrum Iſaiæ, & dictorum evidentiam perſentiſces. Hinc etſi per Emmanuelem Ezechiam intelligi Iudæi velint, tamen Thalmudiſtæ in lib. Sanhedrim c. 1. in illis Iſaiæ VIII. 17. verbis, *expectabo Dominum, qui abſcondit faciem ſuam a domo Iacob, & præſtolabor eum,* item in illis Iſ. XI. 6. *parvulus natus eſt nobis* &c., communiter ſenſere deſignari Meſſiam; uti diſertis id verbis legere eſt apud Thargumiſtam loc. cit. & in Bereſith Rabba, & in Seder Debarim Rabba, & in Echa Rabbathi, ſive in expoſitione magna Threnorum.

Attamen, inquis, Emmanuel, Regi Achaz totique domui David promiſſus, puer idem omnino eſt, de quo ſtatim ſubditur v. 16. c. VII. *quia antequam ſciat reprobare malum, & eligere bonum, derelinquetur terra a facie duorum regum,* Samariæ nimirum & Damaſci, *qui aſcenderant in Ieruſalem ad præliandum contra eam* (ibid. v. 1.). Neque enim aliter Prophetæ ſenſus ſibi conſtare videretur; quippe qui eadem in periodo prius de uno, tum de altero, nullo indicio connexionis aut tranſitionis oſtenſo, loqueretur. Porro infans ille, quo nondum uſum rationis attingente pacata ab hoſtibus ditio reddenda erat, ipſe eſt Iſaiæ filius, de quo

cap. VIII. recurrit ſimilis plane prædictionis repetitio v. 4. *quia antequam ſciet puer vocare patrem ſuum, & matrem ſuam, auſeretur fortitudo Damaſci & ſpolia Samariæ.* Et vero manifeſtum eſt, fieri non potuiſſe, ut aliter Achaz & populus Iuda univerſus oraculum intelligeret. Extrema enim Iudæ regno pernicie a duorum regum exercitu imminente, & deſperatis iam rebus, Iſaias divinitus affore auxilium promittit, eiusque promiſſionis pignus fore pollicetur filium naſciturum ex iuvencula, quo nondum diſcernendi malum a bono facultatem adepto, liberatio Iudæ ſit eventura. Nonne promtæ opi intentos Iudæ populum & Regem egregie feſelliſſet Propheta, ſi Meſſiam poſt ſeptem ſecula naſciturum pollicitus illis fuiſſet, qui ab hoſtibus non viſibilibus populum ſuum eſſet liberaturus, aut quo primum nato a Regibus inimicis ipſi liberandi eſſent? *Reſpondeo primum* homini incredulo, cui altiora DEI ſapientiæ conſilia captu nimis difficilia accidunt, ſi pleno & proprio lumine, ſine velamine, ipſius oculis ſubiiciantur; homini, inquam, incredulo inprimis ſic reſpondeo. Si tibi ultro demus, ad literam illo toto contextu Cap. VII. & VIII. intelligi Iſaiæ filium, *Emmanuelem* ſimul & חָשׁ בַּז *feſtina prædari* dictum; qui ex Virgine natus ſit, ad quam *Propheta* DEI iuſſu & ſpiritu prophetico acceſſerit (Iſai. VIII. 3.) cum certa nimirum prædictione, quod filium ex ipſo conceptura & enixura ſit, qui pignus propinguæ ſalutis Iuda futurus eſſet: An idcirco ſenſus alter ſymbolicus ab eodem contextu excludetur? an non familiare erat Iudæis hunc ipſum ſenſum in ſuis Scripturis, præſertim propheticis, veluti a DEO certiſſime intentum, prorſus agnoſcere? Nonne aperta iſtius ſenſus Meſſiam attingentis indicia

cia ipſe contextus, tum Cap. VIII. v. 8, tum præcipue Cap. IX. v. 6, iam ante recitatus præbet? Præterea exploratum Iudæis ipſa Chriſti ætate fuiſſe, id Iſaiæ oraculum ad Meſſiam pertinere, nec Meſſiam communi hominum via naſciturum, vel ex eo conſtat, tum quod ipſi Ioan. VII. 27. de Chriſto illud dixerint: *hunc ſcimus, unde ſit: Chriſtus autem cum venerit, nemo ſcit, unde ſit:* tum quod ſecus vix ſe continuiſſent, quin reiiciendi Evangelii S. Matthæi inde argumentum peterent, quod, contra ac ipſi de Meſſia futurum crederent, IESUS natus ex Virgine parente in eo legeretur. An denique Virgo repente a Propheta in uxorem accepta, & imprægnata, cum expreſſo vaticinio naſcituri exinde maſculi, qui certum ſalutis publicæ pignus futurum ſit, ipſo *Emmanuelis* nomine (quod idem ſonat, ac *nobiscum DEUS*) eidem indito; an, inquam, ea aptum Virginis Spiritu Sancto obumbrante DEUM Servatorem pariturae ſymbolum non erat? Aut num quid in rerum univerſa natura ineſt, quod tanto Myſterio præſignando aptius ſervire pro figura poterat? At, inquis, puella, more ceterarum matrum ex mariti acceſſu paritura filium, quomoda apta eſt parentem virginem deſignare? Quæro ego viciſſim? Ionas tribus diebus in ventre ceti detentus, & poſt denuo reſtitutus luci, an minus aptum reſurgentis ex tumulo die tertia IESU Chriſti ſymbolum tibi videtur? Atqui nec iſtius tamen imaginis plena cum ſuo prototypo ſimilitudo eſt. Etſi itaque nec virginis ex Iſaia filium concipientis plena ſimilitudo ſit cum Virgine ſine viri opera IESUM pariturae: nihilominus, cum nihil in rerum natura tanto prodigio repræſentando plane ſufficiens extet, ſatis huic imagini cum obiecto repræſentando ineſt ſimilitudinis ex eo, quod virgo ſpiritu DEI propheti-

co, interveniente etſi non ſine viri interventu, ſubito fœcundetur filio, qui publicæ & quidem propinquæ ſalutis pignus fore prædicitur. Num enim hæc IESUM ſalutis omnium auctorem ipſo Spiritu Sancto interveniente (etſi abſque viri opera) a Maria conceptum ſecundum Gabrielis Archangeli oraculum, ſatis commode non exprimunt? Aut num tu plenam ſemper inter corpus ſymboli & rem ſignificatam ſimilitudinem requires? Hæc ſola ſi reſponſi loco daremus tibi, quisquis es incredulorum de turba, qui talia nobis obiicis; næ tu nihil admodum contra hiſcere, certe nihil prudenter opponere, niſi forte petulantes riſus, haberes. At non eſt reticenda omnino veritas coram iis, qui inverecundo acumine alioquin omne Divinitatis conſilium non ſcrutantur modo, ſed etiam ſuperba ſua ſapientia diiudicare ſolent.

Reſpondeo itaque *ſecundo*, ac minime diffiteor, neutiquam meram illo Iſaiæ prophetico oraculo figuram virginei Mariæ partus exhiberi, ſed ipſum partum hunc certo conſilio hoc videlicet ipſo mediante ſymbolo veluti in imagine ſua cum multis adiunctis ſingularibus *depingi* iuxta ac *prædici*. Indicant hoc Prophetæ propoſitum tum ipſa emphaſis ac ſingularis poteſtas verborum, tum maxime contextus trium capitum continuorum, VII, VIII., IX.: etſi negari non poſſit, Prophetam, oraculo ſuo in tempus remotum Meſſiæ proſpicientem, eodem tempore obtutum ad eventum ſui temporis identidem reflectere. Iſtud ut clarius intelligatur, obſervatio quædam præmittenda eſt, quæ maximi momenti eſt ad Prophetarum Iudaicorum ſcripta intelligenda. Nimirum cum DEUS nationem Iudaicam præ ceteris antiqua illa ætate inde a generali diluvio ſibi ſelegiſſet, in qua, reliquis

quis omnibus ſcelerum colluvie & idololatriæ tenebris ſubmerſis, non modo veri DEI cognitio, ſed inprimis etiam promiſſorum DEI de Meſſia in cunctorum hominum ſalutem mittendo depoſitum, in recenti ſemper memoria conſervaretur: idcirco ab una ætate in aliam in eadem natione viros quosdam ſanctitate vitæ conſpicuos, ſpiritu ſuo illuſtravit; qui variis in occaſionibus hæc DEI oracula, ſemel edita, nunc ſub his, nunc ſub aliis imaginibus, cum aliis atque aliis novis adiunctis, renovarent, ac repeterent. Frequentior porro numerus iſtiusmodi Prophetarum tum fuit; cum diviſa Iudæ & Iſraëlis regna ſub perverſis regibus proniore impetu idololatriæ vitio ſe dederent, antidoto veluti præſente adverſus veneni liberius graſſantem peſtem benigne adhibito. Erat autem DEO familiare, viros iſtos Numine ſuo præcipue commovere, vel ad ſupplicia Iudæ, aut Iſraëlis, regibus DEI nomine comminanda, cum illi a veri DEI cultu exemplis & factis DEI electum populum deflecterent; vel ad divinum auxilium ſuum eisdem promittendum, cum in rebus arctis ac ipſa per adverſa ſapere docti, ad hoc implorandum denuo redirent. Quemadmodum autem omnis illa tam ſpecialis DEI providentia, quam populo huic indulgebat DEUS, non alium ad finem ſpectabat, nec alterius rei intuitu regebatur, niſi Meſſiæ ex ea gente naſcituri; ita in omnibus fere id genus novis oraculis, per novos identidem prophetas ex rerum præſentium quidem neceſſitate & occaſione editis, Meſſiæ memoria & repetita variis modis prædictio ingerebatur. Prophetæ itaque a DEO repente illuſtrati, nunc quidem reo novorum ſcelerum regi ac populo ſupplicia proxime irroganda, nunc eisdem ab hoſtibus miſere preſſis, ſi reſipiſcerent, certas a DEO ſuppetias,

proxi-

proxime, ac ſæpe non ſine prodigio, affuturas, DEI nomine annuntiabant: ſimul tamen repente omiſſa præſentis eventus mentione, oculis in longingua tempora converſis, de venturi Meſſiæ adiunctis, quæ præſenti id genus prædicto eventui ſimilitudine aliqua quadrabant, non nulla prædicebant. Atque iſte quidem vere perpetuus Iſaiæ ac Ieremiæ præ ceteris character eſt. Ratio iſtius moris, quem DEUS ſolennem habebat, duplex erat; primo quidem memoriæ ipſius de venturo certo certius Meſſia conſervatio, utcunque in longum mora eius adventus protraheretur; deinde, ut eventu accurato præſentis oraculi fides de futuris atque remotiſſimis Meſſiæ rebus, uno ſimul tempore & ab eodem Propheta prædictis, firmaretur. Iſtis generatim modo obſervatis facilis eſt non ſolum præſentis Iſaiæ de partu Meſſiæ virgineo oraculi, ſed quam plurimorum alias æque difficilium, explicatio.

Nimirum Achaz, rex Iudæ, reges Iſraël in idolorum cultu eo uſque imitatus, ut etiam *filium ſuum conſecraret, transferens per ignem ſecundum idola gentium* (ut IV. Reg. XVI. 3. legere eſt) iam præſens DEI ſupplicium ſenſerat, ab ipſo Rege Iſraël Phacee, & a Raſin Syriæ rege, Ieroſolymæ obſeſſus, & ingentibus cladibus affectus. Debuiſſet ille hoc malo doctus refugium apud verum Iſraëlis DEUM quærere: at noluit, ſed regis Aſſyriorum potius auxilium implorans, huic ſe in ſervum & ad tributum pendendum obtulit loc. cit, v. 7. Iſaias ergo propheta a DEO mittitur, ut a novo hoc regem crimine dehortetur. Iubet is (Iſai. VII. 7.) regem bene ſperare in DEO vero, promittitque DEI nomine; futurum, ut ambo reges infeſti brevi tempore intereant. Offert regi in

pignus

pignus ſui teſtimonii, ſuo arbitrio ſignum aliquod qualecunque a DEO edendum eligeret. Quid vero Rex ad iſta? *Non petam,* inquit, *& non tentabo Dominum;* obfirmatus interim, ſpem ſuam in uno rege Aſſyriorum ponere, & auxilium ab hoc uno expectare. Iratus itaque Propheta, & novo DEI Numine correptus (NB.) non iam auxilium porro a DEO promiſſurus, ſed mox maius etiam ab ipſo Aſſyriorum rege malum regi & regno Achaz intentaturus, dicit. *Audite ergo domus David: nunquid parum vobis eſt, moleſtos* (inviſos) *eſſe hominibus: quia moleſti eſtis & DEO meo? Propter hoc dabit Dominus ipſe vobis ſignum.* Quale ſignum? Non iam utique de affuturo ſuo auxilio in favorem regis aut regni Achaz. Etſi enim regum Syriæ & Samariæ interitum propinguum vaticinari pergat Propheta; non tamen in ſalutem Iuda is ceſſurus eſt, ſed potius huic ipſi grandia mala ab eo ipſo Aſſyriorum rege eventura mox prædicuntur, quem ipſe Achaz in auxilium vocaverat; ex quibus malis non niſi *reliquiæ Iſraël & Iacob* ſalvandæ ſint, (cap. X. 20.) quæ idcirco iam *non innixuræ ſint* (ſpe ſua) ſuper eo rege, qui percuſſurus eſt eos; maxime cum & ille demum a DEO, qui ſolus exercituum Dominus eſt, humiliandus ſit, & a ſuperbia ſua deprimendus. Quodnam ergo ſigni genus daturus eſt Dominus? aut quid eo deſignaturus? Nihil præſentium id deſignabit; ſed potius omnia, quæ proxime eventura prædicit Propheta, ſignum conſtituuntur ac ſymbolum eorum, quæ olim in venturo Meſſia eventura ſint. Quaſi diceret: tu, ô Rex, propter diffidentiam & malitiam cordis tui locum miſericordiæ meæ in præſens non relinquis, uti nec populus tuus præſens, qui ſcelerum tuorum exempla ſequitur (vide cap. VIII. v. 6. & 7). Itaque relinquam quidem

dem nunc curſum liberum iuſtitiæ meæ in pœna a vobis exigenda. Attamen quidquid proxime continget vobis, eſto in ſymbolum eorum mirabilium eiusque miſericordiæ, quam olim venturis temporibus per Meſſiam exhibebo. Ecce! ut repente ad Meſſiam Prophetæ oratio transfertur? Quæ vero ſunt illæ res proxime eventuræ, & in futurorum ſignum futuræ? *Ecce! virgo concipiet, & pariet filium, & vocabitur nomen eius Emmanuel. Butyrum & mel comedet, ut ſciat reprobare malum, & eligere bonum. Quia antequam ſciat puer reprobare malum, & eligere bonum, derelinquetur terra, quam tu deteſtaris, a facie duorum regum. Adducet Dominus ſuper te, & ſuper populum tuum, & ſuper domum patris tui, dies, qui non venerunt a die ſeparationis Ephraim a Iuda cum rege Aſſyriorum.* Obiter iſta meditanti videri poſſet, Emmanuelem hic promiſſum conſtitui pro ſigno interitus regum Samariæ & Damaſci. At nihil minus; prout nec ulla conſenſio talis ſigni & ſignificati. Potius Emmanuel iſte, ex virgine, ad quam (Cap. IX. v. 3.) acceſſurus eſt Propheta, maxime naſciturus, ſignum conſtituitur nomine tenus repræſentans eum, qui re futurus eſt *Emmanuel*, hoc eſt, Meſſias parvulus, humanæ naturæ DEUM unitum nexu phyſico habiturus. Hic, etſi ſcientia divina, etiam in humanitatem exundante, omniſcio intuitu omnia alioquin complexurus, nihilominus more aliorum infantium vulgari apud Iudæos huius ætatis cibo uſurus eſt, ceu verus homo, eſcæ alimento habens opus; ut hoc modo experimento etiam proprio notitiam diſcriminis acquirat, quod inter ea intereſt, quæ noxia vitæ hominis, & quæ utilia ſunt. Porro ante quam Emmanuel ille *nomine tenus*, ex virgine per Prophetam imprægnanda mox naſciturus, perveniat ad eam ætatem, qua ratio-

rationis uſu diſcernere malum illud a bono conceditur; iam purgabitur terra regi Iudæ inviſa, id eſt, Samaria & Damaſcus, ab utroque rege ſuo, videlicet morte utriusque. Hic ipſe autem eventus alterius eventus ſignum, ſive ſymbolum, eſto, etiam in Meſſia parvulo ſecuturi. Nam & illo nondum primæ ætatem infantiæ egreſſo rex Samariæ & rex Damaſci morte auferendi ſunt. Fuit prior Herodes Aſcalonita, qui Meſſiæ parvuli vitæ inſidians, omnes infantes circa Bethlehem occiderat. Is enim Regnum Iuda ſimul & Samariæ regia poteſtate tenebat, utrique tyrannide infeſtus, *rexque Samariæ* (teſte Appiano lib. 5. bell. civ.) paſſim vocabatur. Rex Damaſci erat Obodas, quem Ioſephus Iudæus antiq. lib. 16. cap. 15. & 76. Arabiæ regem appellans, narrat paulo ante Herodem veneno a Syllæo quodam necatum eſſe. Regem autem Arabiæ id ætatis Damaſcum Syriæ ſub poteſtate habuiſſe, de Areta quidem, qui Obodæ ſucceſſor fuit, etiam ex II. Cor. XI. 32. compertum eſt. Porro ex eodem Ioſephi libro cap. 13. & 14. patet, Iudæis, Herodis ſubditis, multas item tunc temporis prædationes fuiſſe ſuſtinendas a latronibus trachonitidis, quos Syllæus, Obodæ regis Damaſci ſummus aulæ Præfectus, adverſus Herodem ſtudioſe ſovebat; ex quo & bellum Herodi cum Arabiæ rege natum eſt. Venit itaque IESUS Chriſtus verus Emmanuel, & adhuc infans, a duobus regibus, Ieroſolymæ & terræ Iuda infeſtis, Herode nimirum & Oboda. Iudæos liberavit, liberaturus etiam Iudæos ab omnibus aliis ulterioribus malis, ſi credendo in ipſum id gratiæ & favoris promeruiſſent. At quemadmodum populus Iuda regnante Achaz, eo quod reiecta ſtirpe Davidica (Iſai. VIII. v.6. & 7.), a DEO ipſo in ſolio firmata, voluerit arbitrio regum Samariæ & Damaſci ſibi conſtitutum

tum regem filium Tabeel (de quo Iſaias c. VII. v. 6.) aſſumere, a rege Aſſyriæ mala ultima experiri promeritus eſt; ex quibus demum non niſi reliquiæ quædam Iſraëlis, ad DEUM verum fiducia ſua converſæ, ſalvandæ erant: ſic & Iudæis Meſſiam Davidis filium reprobantibus, nec niſi Cæſarem regem agnoſcentibus, mala ultima ſub Tito evenere, qui & ipſe tunc Aſſyriam ſub ſua tenebat poteſtate; ex quibus malis non niſi reliquiæ quædam credentium in Chriſtum Iudæorum ſalvæ futuræ erant, teſte S. Paulo ad Romanos IX. 27., ipſum illum Iſaiæ locum c. X. v. 22. allegante. Verbo. Tota ſeries eventus ab Iſaia regi Achaz prædicta in ſignum a DEO conſtituitur, non ſolus filius Iſaiæ, nec in ſignum rei præſentis aut mox futuræ, ſed remotiſſimæ; cui tamen ceu ſymbolum accurate ſic conſentit, ut nihilominus in ipſa re ſignificata omnia ſenſu multo excellentiore compleantur. Quod enim de Virgine ab Iſaia ducenda dicitur, longe præciſiore vocabulorum emphaſi & magis propria ſignificatione de B. Maria virgine enuntiatur. IESUS huius virginis filius longe verius, nec nomine tantum & ſymboli inſtar, ſed re & facto ipſo Emmanuel eſt. Idem denique ſolus meretur, ut de parvuli iſtius, tanquam DEI fortis, conſiliarii principis pacis, & regis in David ſolio æternum regnaturi, nativitate Propheta cap. IX. v. 6. tam liquido gaudio exultaret. Non iam multum ſollicitum eſſe opus eſt, hac oraculi explicatione data, an vox hebraica הָעַלְמָה unice *virginem* exprimat, an ſolum iuvenem *puellam?* id quod ipſo idiomate ſuo repugnante fruſtra Iudæi contendunt. An virginem ſalva virginitate parituram contextus præciſe enuntiet? Hoc certum, vocem illam ſenſu & ſignificatu ſuo maxime

proprio

proprio ſignificare *virginem* innuptam, nec uſquam alio ſignificatu in Scripturis adhiberi; hoc ipſo ſignificatu expreſſam eſſe a ſeptuaginta interpretibus, a Chaldæis, & ab Aquila. Interim, eſto, applicata vox illa eventui præſenti, indicet, virginem contractis poſtea cum Iſaia nuptiis peperiſſe modo ordinario: attamen huic ſymbolo imperfecto veritas longe nobilior figurati inſtar reſpondet, videlicet virgo ſine contactu viri ex ſolo Spiritu Sancto (qui Prophetiarum omnium auctor eſt) gravida, & parturiens Emmanuelem verum, IESUM Chriſtum. Vere itaque S. Matthæus I. 22. de hoc eventu dixit: *hoc totum factum eſt, ut adimpleretur, quod dictum eſt a Domino per Iſaiam prophetam: Ecce virgo &c.* Cuius enim ſignum dedit per Iſaiam DEUS, reipſa, ut ſignificatum fuerat, quamvis excellentiore quodam modo, prorſus ita evenit. At, inquies, quod iſtud ſigni genus, quod regi Achaz & eius populo plane nihil ſignificabat eorum, quorum cauſſa ſtatuebatur a DEO? Omnino fateor, ita eſſe. Nihil eorum, quæ ſignificabantur, intelligebat diſtincte Achaz & populus Iuda tunc, cum ſignum iſtud ſtatuebatur a DEO. Nimis enim ambo, rex & populus, obſtinati erant in malitia ſua & cultu idolorum, quam ut clarius edoceri illico de myſterio tanto mererentur. At poſteri tamen eorum religioſiores ſemper altius quoddam Myſterium, ad Meſſiæ ortum pertinens, in illo Iſaiæ loco prædictum ſuſpexere, atque idcirco nullam ex eo litem Apoſtolis B.Mariæ partum virgineum ubique, ceu Meſſiæ proprium, prædicantibus movere. S. Matthæus quidem de verbis illis verſus 14ti, *ecce! virgo concipiet* &c., nos docet, ad partum Mariæ vere virgineum pertinere. Sancti Patres Chriſtianæ Eccleſiæ omnes totum etiam ſequentem contextum unanimi calculo IE-

Digitized by Google

SU Chriſto vero Meſſiæ applicantes, de traditione Apoſtolica nos certos reddunt, ex qua ſola conſtare poterat, etiam contextum illum omnem ad ſignificanda adiuncta primæ infantiæ Meſſiæ, ceu ſymbolum pertinere. Illud verum eſt, prophetiam illis Iſaiæ verbis contentam, cum ſignificatio genuina ſaltem ſatis certo Iudæis teſtamenti veteris fortaſſe non conſtaret, haud ſervire eisdem potuiſſe pro Meſſia ex hoc charactere dignoſcendo. Sed neque hoc propoſitum fuiſſe DEO videtur in virgineo illo partu diu ante prædicendo; nec ipſa virginitas B. Mariæ IESUM parientis ante IESU Chriſti aſcenſionem divulgata fuiſſe videtur. Poſt tamen, cum ab Apoſtolis præter alia occulta vitæ Chriſti adiuncta etiam hoc Myſterium vulgaretur, commodum eis erat, præter alia ſinceræ fidei de illo argumenta, Iudæis ad Chriſti fidem converſis oſtendere poſſe, in ipſis eorum Scripturis iam quoque prædictum Meſſiæ partum virgineum fuiſſe. Ex adverſo multa in veteribus Scripturis id genus ſigna contineri, quæ quod ad Meſſiam eiusque vitæ adiuncta figuranda pertinerent, oppido ignotum Iudæis fuerit, exempla Ioſephi Ægyptiaci, ſerpens æneus a Moyſe in patibuli quodam genere præfixus, Ionas in ventre Ceti, aliaque ſexcenta, ſatis evincunt: quorum nihilominus multitudo divitias præſcientiæ divinæ, & providentiam Numinis, omnia veteris & novæ legis facta nexu mirabili ſubordinantis, mirifice commendant. Nihil ergo prorſus eſt, cur increduli hoc loco S. Matthæi Evangelium iure criminentur, aut cur interpretum Chriſtianorum diſſidia in rem vertant ſuam. Nos, cum commoda nobis via ſe offerret, maluimus conſenſum veterum SS. Patrum, quam utcunque ingenioſas recentiorum inventiones ſequi.

§. 262.

§. 262.

Illud dictum Oſeæ XI. 2. *ex Ægypto vocavi filium meum* ex textu hebræo multo fit clarius, & accurate ſic vertendum videtur: *quia puer Iſraël, & dilexi eum; & ex Ægypto vocavi inſtar filii mei*, vel, *ſicut filium meum*. וּמִמִּצְרַיִם קָרָאתִי לִבְנִי. Præfixa enim ל in voce לִבְנִי non caſum *accuſativum* denotare videtur (quod rariſſime, & fere non niſi ante nomina propria, contingere ſolet in hebraico; cum vulgo in regimine verbi potius *Dativum* innuat) ſed *comparationem*; ſub qua ſignificatione ſæpius in Scripturis hebraicis occurrit, uti Mich. II. 8. Iob XIII. 12. item ibid. XXXIX. 16. &c. &c. Hæc ipſa ſignificatio particularum *inſtar, ſicut*, præfixæ literæ ל in hebraico idiomate ex ſententia probatiſſimorum Doctorum illius linguæ convenit. Quid ergo inſolens iam erit, ſi Propheta Oſeas verbis illis IESUM Chriſtum innuere voluiſſe a Matthæo dicatur; cum reipſa & verus ille DEI filius, ſenſuque longe magis proprio, quam populus Iſraël, & inſtar iſtius ex Ægypto a Patre vere vocatus in Iudæam ſit? Nimirum, ut paulo ante dictum, Propheta divino motus Numine repente occaſionem arripit de Meſſia quidquam præſagiendi, non, ut ipſum tunc audientes intelligant, ſed ut olim Chriſtum prædicari audientes, & omnia vitæ eius adiuncta iam Prophetarum oraculis expreſſa legentes, in fide eius, ceu DEI filii, firmentur. Verum quidem eſt, quodvis eiusmodi oraculorum ſingillatim parum roboris habiturum fuiſſe in mentibus etiam Iudæorum credentium Chriſto; attamen ingens numerus eo-

 rum,

Digitized by Google

rum, omnibus fere vitæ Chriſti circumſtantiis reſpondens, quem ſanæ mentis non convincere debebat?

§. 263.

Denique illa adnotatio S. Matthæi, quod IESUS Chriſtus *habitaverit in civitate Nazareth; ut adimpleretur, quod dictum eſt per prophetas: quoniam Nazaræus vocabitur*, multimodis defendi poteſt: Duæ explicationes ceteris ſunt veriſimiliores, quarum ipſummet diſcrimen ab eo pendet, an Chriſtus *Nazaræus* in hebraico vel Syriaco ſcribatur perzájis cui reſpondet latinum z, & græcum ζ; an per dſáde, cui in omnibus latinis & græcis verſionibus reſpondet litera Sigma. Quoniam ergo græcæ omnes verſiones ſcribunt Ναζωραῖος, & latinæ *Nazaræus;* alii concludunt in fonte quoque S. Matthæi literam Zájin ז, non literam dſáde צ vel ץ ſcriptam fuiſſe. Interim in ipſis exemplaribus fontis Syriaci, quæ adhuc extant, vox illa per dſáde, ac ſimiliter etiam in Arabicis codicibus, ſcripta reperitur. Rabbini etiam Hebræorum, cum Chriſtianos dicunt ſcribuntque Nazarenos, per dſáde id faciunt. Addunt alii argumentum petitum a titulo crucis Dominicæ Romæ viſendo, in quo verba *IESUS Nazarenus* non per zájin ſed dſáde inſcriptum affirmant, teſtem oculatum ſecuti Santem Pagninum, Sed poſt iſtum oculatiſſimus Cornelius a Lapide in hoc ipſo loco Matth. ult. v. ult. teſtatur, experimento ſæpius capto in literis eius tituli, vetuſtate iam oculos fugientibus, nullo conatu ſe potuiſſe certi quidpiam deprehendere, potiusque Zájin quam dſáde exprimi viſum ſibi ſemper fuiſſe. Sed neque ullius momenti foret in re tam ſubtili imperiti illius neſcio cuius auctoritas,

qui

qui raptim hæc ſcripſit. In tam incerta ergo utriusque iſtius ſententiæ criſi, quo ſenſu facta a S. Matthæo allegatio prophetarum de *Nazaræi* nomine in utraque accipienda ſit, oſtendere oportet. In prima porro ſententia, quæ vocem *Nazaræus* per Zájin ſcribendam vult, vox hebræa נָזִיר *Nazir* idem eſt ac *ſeparatus, conſecratus, eximius*: quo ſenſu occurrit Num. VI. 2. & 13., item 18. 21. Iud. XIII. 5. & XVI. 17. &c. &c. ubi iterato Samſon *Nezir Elohim* dicitur, id eſt, *conſecratus, ſanctus, Domino.* Quodſi vero quæras, ubi in Prophetis Meſſias *ſanctus, conſecratus, ſeparatus, ſelectus DEO*, dicatur; tot utique textus diverſarum Prophetarum occurrunt, ut merito abſtinuerit S. Matthæus ab uno ſeorſum Propheta allegando, potius collectim dicens: *quod dictum eſt per prophetas.* Certe Pſalmiſta Pſ. XV. 10. Meſſiam vocat *ſanctum* Domini: *non dabis ſanctum tuum videre corruptionem* ubi eius reſurrectionem a mortuis vaticinatur. Danielis IX. 24. *Sanctus ſanctorum ungendus* dicitur. Quodſi non modo rem voce *Nazaræus* ſignificatam, ſed nomen ipſum de Meſſia prædictum ab Evangeliſta afferi urgeas: aio, gemino id loco, ſemel a Iacobo Gen. XLIX. 26., & ſemel a Moiſe Deut XXXIII. 16. factum eſſe. In utroque enim loco Iacob & Moiſes de Ioſepho filio Iacobi ex omnibus cariſſimo ſecundum interpretationem vulgatæ dicunt, Iacob quidem, *benedictiones fiant* (ſeu confluant) *in capite Ioſeph, & in vertice Nazaræi inter fratres ſuos,* Moiſes vero, *benedictio illius, qui apparuit in rubo, veniat ſuper caput Ioſeph, & ſuper verticem Nazaræi inter fratres ſuos.* Iam autem textus hebraicus utrobique potius habet, *& ſuper verticem Nazaræi fratris eius,* וּלְקָדְקֹד נְזִיר אֶחָיו. Quis

 ille

ille iam Nazaræus frater Ioſephi, in quem iuxta ac in ipſum omnes benedictiones divinæ confluxuræ a Iacobo & Moiſe prædicuntur? Ipſe Iacobus verbis proxime præcedentibus Meſſiam mente ſe præſentem habere apertiſſime innuit dicens: *benedictiones patris tui conſortatæ ſunt benedictionibus patrum eius ; donec veniret deſiderium collium æternorum*, quod idem eſt, atque is ipſe paulo ante eodem cap. 49. v. 10. dixerat, *expectatio gentium* cunctarum, quæ inde ab initio fuere. Moiſes porro, applicans ferme ad verbum Iacobi benedictionem de Ioſepho ad tribus filiorum iſtius, haud dubie idem cum Iacobo conſilium eandemque mentem conceperat. *Nazaræus* ergo ſi eximium, ſi ſelectum, ſi ſanctum ſonat: non eſt profecto magis eximius, magis illuſtris, & ſanctus ex omnibus Ioſephi fratribus, quam Meſſias; maxime ſi ad illud item reflectas, nomine in Scripturis Iudaicis paſſim uſitato omnes Iſraëlitas inter ſe invicem *fratres* appellari, ceu ex uno Patre Iacobo natos, atque inſuper inter omnes veteris teſtamenti Patriarchas non alium quam Ioſephum fuiſſe ſymbolum Meſſiæ ad iſtius ſimilitudinem propius accedens; ut ex ſupra dictis abunde conſtat. Quodſi alteram ſententiam ſecutus vocem *Nazaræus* Syriace & hebraice per dſáde ſcribi malis, eidem ſic expreſſæ in Scripturis ſignificatio *ſurculi* ſeu *germinis florentis* reſpondet ſub nomine נֵצֶר *Neſer* Iſai 11. 1. & 60. 21. & Dan. 11. 7. Porro Meſſias germen eiusmodi florens aperte futurus dicitur Iſai. IV. 2. & XI. 1. Ierem. XXIII. 5. & XXXIII. 15. item Zach. III. 8. & VI. 12., quo utroque loco ultimo, dum vulgata Meſſiam vocat *Orientem*, *virum orientem*, textus hebræus proprie exprimit *germen*. Ecce tibi utriusque ſententiæ facilem explica-

plicationem! Ecce! ut non niſi bona fide opus ſit, & æquis oculis, non autem viſione prophetica, ad fundamentum ſolidum earum alluſionum detegendum, quæ in S. Matthæi Evangelio occurrunt: in quibus etſi ſubinde obſcuritas aliqua occurrere queat, ob linguæ hebraicæ autographæ indolem atque naturalem emphaſin in vulgata verſione non ſemper ad omnem apicem expreſſam; tamen experientia tot ſeculorum abunde certi ſumus, nullum uſquam paradoxum aut fraudulentæ ſuppoſitionis ſolidum indicium in Evangeliis detegi a Theiſtis potuiſſe, nec vero etiamnum poſſe. Atque hæc pro S. Matthæo dicta ſufficiant.

§. 264.

2. *Ad S. Marcum quod attinet*, traditio vetus rem omnem abſolvet, quam de S. Marci Evangelio ex Papia Euſebius (hiſt. III. ult.) ita refert. *Marcus cum Petri eſſet interpres, quæcunque memoria retinuit, accurate conſcripſit, non quidem eo ordine, quo a Domino dicta ſunt, aut facta. Neque enim audivit Dominum, neque illius, ſed Petri poſtea aſſectator fuit; qui doctrinas ſuas, iuxta quod neceſſitas exigebat, non ut conſtructionem ſermonum Domini faceret, adminiſtravit, ita, ut nihil deliquerit Marcus, quod quædam ita conſcripſit, ſicuti ea memoriæ tradiderat: de hoc uno ſiquidem cogitavit, ne quid eorum, quæ audierat, omitteret, aut qua in re, quod falſum eſſet, traderet.* Hem! ut iam primo vix evoluto ſeculo id in Marco obſervatum, & excuſatum eſt, quod tu, incredule, ſingulari ſcilicet acumine in eo accuſas, & pro fraude arguis. Hæc ipſa autem, uti & quod varia hinc inde addat, quæ in Matthæo non repeiuntur, plurima quoque a Matthæo narrata facta præcipua paſſim omnino omittat, ſatis oſtendunt, non deſcribere Matthæum, nec in Epitomen con-

trahere, ſed in uſum id petentium primorum Chriſtianorum ſummam ſermonum S. Petri colligere, quos hic de Chriſto Domino ediderat, reipſa S. Marco unice propoſitum fuiſſe. Quæ ipſa fuiſſe ratio videtur; cur idem non niſi de publica Chriſti vita unice loquatur. Matthæus e ceteris ordine non niſi quibusdam capitibus differt. Tres cæteri ſatis conveniunt. Denique vero non erat illis propoſitum annales, aut omnia ſecundum accuratum temporum ordinem, ſcribere. Quid enim ipſorum intererat talia ſtudioſius curare? Oſtende ſis nobis, quæſo, hiſtoricos quatuor, qui eiusdem hominis ſcribentes vitæ ſeriem, in paucioribus diſcordent, quam Evangeliſtæ noſtri circa doctrinam & facta IESU Chriſti. Oſtende, qui tantam ut illi fidem in rebus tam arduis apud Iudæos & paganos invenerint.

§. 265.

3. *S. Lucas* pro Græcis ſcripſit præcipue, & ex eo propoſito ſingillatim, ut ex fidelium manibus excuteret multas hiſtorias, paſſim multa præpoſtere de IESU Chriſto narrantes. Facile ergo ac tuto is quibusdam factis narrandis ſuperſedere poterat, a S. Matthæo iam fide integra relatis, & ex adverſo addere debebat alia, a Matthæo præterita, & tamen ab aliis perverſa minusque integra narratione in vulgus ſparſa. Facta iſta S. Matthæo vel inter Iudæos, quibus ille ſcribebat, iam alioquin ſatis vulgata, vel ad propoſitum ſuum (quod erat notas Meſſiæ, a Prophetis Iudaicis prænuntiatas, in Chriſto collectas oſtendere) minus neceſſaria videri potuerunt. Interim omnia ferme illa facta, a S. Luca adiecta, & publica erant, & ſatis adhucdum, cum is ſcriberet, recentia. Facillime ergo mendacii convinci poterat, ſi de ſuo

ea

ea finxiſſet. Quod Zachariæ in templo acciderat, Eliſabethæ ſterilis & iam ætate magnopere provectæ fœcunditas inexpectata, Nativitas Ioannis Baptiſtæ, uſus loquelæ patri reſtitutus, eius iuxta ac Eliſabethæ vaticinatio, omnia iſthæc rumore publico late in vulgus ſparſa, nimia admiratione animos impleverant, quam ut facile aut cito delabi eorum memoria potuerit: & ſi oblivione etiam ſepulta hæc cuncta prodigia iam fuiſſent, certe Ioannis ſecuta dein prædicatio, vitæ ſanctitas, & mortis ratio facile eorundem memoriam reſuſcitaſſent. Idem porro de Simeonis & Annæ vaticiniis, de Adoratione Paſtorum, de ſapientibus reſponſis IESU duodennis adhuc parvuli in Doctorum templi publico conſeſſu, omnino locum habet. Cuncta hæc occultari neutiquam potuere. *Anna loquebatur* de IESU nato *omnibus his, qui in Ieruſalem expectabant redemtionem Iſraël* (Luc. II. 38.) Paſtores quoque omne id, quod viderant, & audierant, multis narravere (Ibid. 18.). Lege modo ipſum S. Lucæ Evangelium, & quo diligentius examinaris, hoc profecto certius ſinceritatem ipſius fidei deprehendes. Si ſanctus Scriptor non niſi fabulas vendere voluiſſet; putasne ſcripturum fuiſſe ita, uti reipſa ſcripſit de Meſſia? An iter forte inſtituendum is pro cauſſa unica nativitatis Meſſiæ in oppido Bethlehem ſtatuiſſet? An pro ſolo huius itineris motivo neceſſitatem obediendi edicto principis allegaſſet? Num regem Iudæorum continuo ab ortu ſuo in ſubditorum Auguſti catalogo inſcripſiſſet? Num repræſentaſſet illum ut adactum neceſſitate ultima ad hoſpitium pro ſe & matre ſua in pecudum ſtabulo quærendum? an præſepe illi dediſſet pro cunis? egeſtatem, & contemtum pro patrimonio; Num veriſimile eſt, cumulaturum fuiſſe in IESU Chriſto vix nato tot

Digitized by Google

adiuncta humilia & abiecta, tam adverſa Iudæorum de Meſſia præiudiciis, tam valida ad paganos ab eius cultu abſterrendos, atque hæc omnia quidem eo tempore, quo iam magna orbis pars eundem IESUM Chriſtum adorabat pro DEI filio, ſedente ad dextram DEI Patris in gloria cœleſti, totaque Ieroſolymæ Eccleſia illum agnoſcebat pro Meſſia & rege ſuo immortali a Patribus ſuis & Prophetis votis tam ardentibus expectato? Neceſſe itaque omnino eſt, iſta adiuncta tam humilia reapſe in ortu & decurſu infantiæ IESU Chriſti interveniſſe. Quodſi ea revera intervenere, quin aliis ſplendidioribus eventis compenſata, & veluti obliterata fuerint; quî fieri poterant, ut ipſe ſcriptor, abſterritus a ſcribendo, ſilentio ea non ſuppreſſerit? cur alia non ſubſtituit, ideis popularibus magis conſentanea, & in ſpeciem DEO digniora? Cur ſincerus in ceteris omnibus capitibus, in ſola narranda Paſtorum Angelica viſione fidem fefellerit? rectene nexus ipſe rerum, Paſtorum de nocte in ſtabulum adventus, & parvuli adoratio, inter ſe cohærent, detracto illo nuntio Angelico? Quid magni intererat de infante fingere ſimilia, undequaque conditionem ortus humilem obiectantia; quem, etſi a pauperibus quibusdam iam tum pro Meſſia cognitum, tamen nemo eundem eſſe cum IESU Nazareno ſatis poterat cognoſcere; cum is poſtea orbi miraculis ſe ipſum patefaceret? Denique ſuper viſionis illius adiunctis omnibus, quæſo, paulo attentius reflecte; attende perſonas ſingulas, angelum, paſtores, matrem, verba angeli ad paſtores, & inprimis canticum illud iungentis ſe cohortis integræ Angelorum, ſecundum partes ſingulas diligentius meditare; nec amplius quid opus futurum credo, ut de ſumma integritate fidei ſcriptoris Evangelici pleniſſime convincaris.

ris. An ſaltem, niſi de cœlo quis ipſe venerit, dici maius quiddam paucioribus verbis poteſt? an ſimplicitate maiore? An maiore dignitate? Ad tuum ipſius animum, ad ſenſum intimum appello: ſi tamen rerum adhuc cœleſtium ſenſum habes.

§. 266.

4. Ad *S. Ioannem Evangeliſtam* promoveamus gradum. Huius ſcribendi propoſitum, nimirum ſupplendi, quæ a ceteris Evangeliſtis prætermiſſa viderat, iam ſupra §. 248. n. 7. ex Euſebio retulimus. Alterum tamen quoddam præterea addendum eſt S. Ioannis in Evangelio ſcribendo conſilium, quod non minus præ ceteris quoque cordi habuit. Erant nimirum ceteri tres toti in eo, ut humanæ in Chriſto naturæ veritatem per narrationem Genealogiæ eius ſecundum carnem, per hiſtorias nativitatis, infantiæ, & ceterarum eius actionum humanarum ſtabilirent, certi, divinitatem eius ſatis per prodigia, quibus Meſſiam ſe ille comprobaverat, hoc ipſo comprobari. Occurrebant illi hoc veluti remedio primis illis hæreticis, qui inde à primis Apoſtolorum temporibus (duce Simone Mago, & Menandro huius diſcipulo teſte Irenæo lib. I. cap. 21., queis poſtea Saturninus, Baſilides, Cerdon, Marcion, Apelles, aliique ſecundo ſeculo ſucceſſere) capere non poterant, Chriſtum DEUM ſimul ac hominem fuiſſe, atque idcirco docuere, non niſi ſpeciem hominis ab eo aſſumtam, non ipſam rem ac naturam fuiſſe. S. Ioannes itaque intelligens, naturæ humanæ veritatem in IESU Chriſto ſatis trium Evangeliſtarum ſcriptis ſtabilitam, ſimulque conſcius ab aliis item primi iam ſeculi hæreticis, ſibi contemporaneis (puta ab Ebione, Cerintho, horumque diſcipulis Iudæis non paucis) IESU Chriſti vice verſa Divi-

Divinitatem veram non minore pervicacia impugnari, hanc ipſam illuſtriore penicillo ponendam ſub omnium oculos ſibi ſumſit. Serviebant vero ad hoc propoſitum ipſæ tum actiones, tum colloquia Chriſti Domini, quæ primo eius prædicationis anno contigerant, & a ceteris Evangeliſtis, fortaſſis ob ipſam ſublimitatem obſcuritate mixtam, omiſſæ fuerant, puta teſtimonium Ioannis Baptiſtæ apertum, *quia hic eſt filius DEI*, Io. I. 34. colloquium IESU cum diſcipulis ipſum pro DEI filio agnoſcentibus, Io. I. 49. cum Nicodemo, cui item ſe filium DEI commonſtrabat Ioan. III. 16. Subdit quoque Ioannes cap. V. a v. 17. diſcurſum a IESU habitum ad Iudæos, quo Divinitatem ſuam apertiſſime comprobaverat; quod idem repetitur Io. VIII. 12. & 54. item diſcurſum a IESU cum Martha ſorore Lazari inſtitutum, quæ ipſum filium DEI diſtincte confitebatur Io. XI. 27. Adeone mirum videri poſſit altiores eſſe magisque ſubtiles diſcurſus huiusmodi, quam quos Chriſtus vulgo ad turbas populi conſueverat habere: in quibus non niſi morum doctrinam & veritates practicas ope ſimilitudinum & parabolarum, quas apud cæteros Evangeliſtas magno numero legere eſt, proponere ſolebat? Si diſcurſus iſti nobis iuxta legentibus ac diſcipulis IESU Chriſti, aure eos excipientibus, ſatis obſcuri videntur, partim ipſa rerum, quæ dicuntur, ſublimitas in cauſſa eſt, partim alia quædam arcana divinæ Chriſti ſapientiæ ratio, quam paucis exponere hic iuvat.

IESUS Chriſtus toto vitæ ſuæ præſertim publicæ decurſu Divinitatem ſuam quavis occaſione per prodigia probabat, ut dictum a nobis ſupra. Nihilominus cum conſtitutum haberet humanum genus omne a peccatis ſui ſacrificio ſanguinis

guinis redimere; non debebat ſe DEUM manifeſtare Iudæis argumento tam convincente, quod vel obſtinatiſſimos animos ſumma luce evidentiæ etiam nolentes expugnaret. *Si enim cognoviſſent* Iudæi, recte inquit Apoſtolus I. Cor. II. 8, *nunquam Dominum gloriæ crucifixiſſent.* Oportebat itaque a Chriſti ſermonibus diffundi lumen quidem omnino ſufficiens rectæ mentis hominibus illuſtrandis, ſimul tamen ita moderatum, ut ne ultro affectantibus cæcitatem etiam illaberetur invitis. Veritatis illuſtre diluculum quoddam iam tunc ſe omnibus religioſis hominibus pandebat ſatis; at plenus meridies poſt reſurrectionem IESU Chriſti reſervabatur, fructusque mortis eius eſſe debebat. Ad hoc certe prodigium IESUS ipſe vel pertinaciſſimos ſuos remittebat hoſtes, cuius veluti demonſtratione luciidiſſima nubes præteritæ obſcuritatis omnes prorſus diſſipandæ forent. Et vero ita prorſus reipſa factum. Poſt viſum Magiſtrum ſuum a morte redivivum diſcipulos eius, quos ante lux ipſa tam ſublimium Myſteriorum DEI Hominis cæcitate aliqua perſtrinxerat, adeo clarus Divinitatis eius ſplendor colluſtravit; ut meticuloſitate priſtina abiecta, fidem ſuam publice conteſtari univerſo orbi iam nihil prorſus hæſitarint. Verbo: Chriſti Divinitas tam univerſe, tam aperte, ſtabilita erat in primæva Eccleſia; ut primi hæretici, hanc ne quidem vocare in dubium auſi, potius negandi, vere a Chriſto aſſumtam humanam naturam eſſe conſilium ceperint. Neque omnino verum eſt, quod ante S. Ioannem Evangeliſtam ceteri Apoſtoli in Epiſtolis, & Evangeliſtæ in Evangeliis, Chriſti Divinitatem nuſpiam prædicarint. Certe *filium DEI*, & quidem ab æterno genitum, eum ſecundum Pſalm. II. 7. & Pſal. CIX. 3. vocat Paulus Actorum XIII. 32. & 33, *æqualem DEO,* ad Philipp.

Philipp. II. 6. *DEUM ſuper omnia benedictum*, ad Rom. IX. 5. *inhabitare in eo omnem plenitudinem Divinitatis* affirmat ad Coloſſ. II. 9. *omnia per ipſum & in ipſo creata eſſe, ipſum eſſe ante omnes, & omnia in ipſo conſtare.* ibid. I. 15. An non hæc prorſus conſentiunt cum iis, quæ S. Ioannes habet in Evangelii ſui cap. I. v. 3. *omnia per ipſum facta ſunt, & ſine ipſo factum eſt nihil.* S. Petrus eundem *filium DEI Patris* confitetur tum in ſua Ep. I. cap. I. v. 3. tum *Verbum DEI vivi*, ibid. v. 23., & *filium DEI vivi* apud Matth. XVI. 16. Præterea Chriſtus apud Matth. III. v. ult. apud Marcum I. 11. apud Lucam III. 23. voce Divini Patris publice audita poſt baptiſmum declaratur *filius dilectus eſſe* iſtius. Archangelus Gabriel de eodem apud S. Lucam cap. I. v. 35. dicit: *quod naſcetur ex te ſanctum, vocabitur filius DEI.* Denique Divinitas IESU Chriſti aſſeritur in Epiſtola S. Clementis Romani, in libro Hermæ Paſtoris, in Epiſtola S. Ignatii Martyris, quos primo ſeculo ſcripſiſſe conſtat: item apud Iuſtinum in Dial. cum Triphone & in Apol. item apud Athenagorum in Apol. apud Irenæum lib. V. cap. 6. & lib. IV. cap. 7. quos omnes ante ſeculi ſecundi medium diu vixiſſe certum eſt. Denique vel ipſe Plinius iunior in Epiſt. ad Traianum apertiſſime, & utique ſeculo primo adhuc labente teſtatur, *Chriſtianos Chriſtum DEUM eſſe credere.* Nihil ergo putidum magis commento illo Antitrinitariorum, Evangelium S. Ioannis Platonico cuidam, ad Chriſtiana ſacra ſub finem ſecundi ſeculi converſo, tribuentium. Multo veriſimilior ſuſpicio eſt, S. Evangeliſtam ex Libris veteris Scripturæ Iudaicæ bene multos ductus ad formandam Divini Verbi ſui ideam tranſtuliſſe. Salomon in Proverbiis VIII. 22. 23. 27, Auctor libri Sapientiæ VII. 22. 26. VIII. 1. & ſeq. IX. 1. auctor Eccleſiaſtici XXIV. 5, & ſeq. ideam æter-

næ

Digitized by Google

næ DEI Sapientiæ depingunt illi admodum conſentaneam, quam S. Ioannes exhibet. At Platonis diſcipulum fingere ſibi Evangeliſtam hunc, oppido abſurdum & petulantia prope plenum eſt. Quod autem demum ſcomatis huius argumentum afferunt? Quia Evangeliſta ſæpius verbo λόγος utitur, Platonicis & Stoicis familiari & uſitato ad ſignificandam *ideam rationis*, quam creationi iſtius mundi dicebant præfuiſſe, contra Epicureos caſui omnia adſcribentes. Sed quis hircocervos & chimæras, quibus iſtorum Philoſophorum cerebra turgebant, quoties de DEO, de mente hominis, & de ideis ſuis Archetypis diſſerebant, ſatis explicaverit, aut divinando aſſecutus fuerit? Num ſimile quid in Ioannis Evangelio occurrit? Hoc omnino concedam, non ignoraſſe Evangeliſtam illas tum Platonicorum opiniones, tum hæreticorum ſui temporis errores, eosque præ oculis in exordio Evangelii ſui habuiſſe. Illud tamen ipſum non ad docendum illorum dogmata, ſed ad refutanda potius apertiſſime inſtituit; cum ipſo ingreſſu æternitatem iuxta atque identitatem Verbi cum DEO verbis luculentiſſimis ac omnino præciſis aſſeruit.

§. 267.

5. Supereſt *eventuum mirabilium cumulandorum ſtudioſa affectatio*, quæ, ceu character certus fraudulentiæ, in ſingulis Evangeliſtis eo ordine, quo ſcripſere, incrementum ſumere notatur. Fateor inprimis, in iis narratiunculis rerum mirabilium, quæ confuſo quodam vulgi rumore ſparguntur identidem latius, illud Poëtæ de *famæ* indole omnino habere locum: *creſcit eundo.* Fateor etiam, non raro quosdam ex ſectæ alicuius æmulatione, cui addicti a multo tempore fuere, aut pro tuendis præiudiciis,

Digitized by Google

iudiciis, quibus dudum præventi fuerant, ad fraudes etiam & mendacia converſos fuiſſe, queis, quod pro veritate alioquin credidere, ab eo etiam deinceps falſi ſuſpicionem longius amolirentur. Sed num iſtiusmodi vel ſpeciem aliquam in prodigiis obſervare eſt, quæ ab Evangeliſtis noſtris recenſentur? *An vulgi duntaxat incerto & obſcuro rumore feruntur?* Atqui oculati teſtes, homines notæ ac primæ inter Chriſtianos auctoritatis, vitæque probatiſſimæ, fidem ſuam ſcripto interponunt: ſcripta hæc ipſa non niſi præſidum religionis auctoritate & accurata criſi probata recipiuntur ab Eccleſiis: res ipſæ publicæ ſunt, ſatis adhuc recentes, vivisque adhuc etiam ex hoſtium numero quam plurimis teſtibus, qui talibus eventis æque interfuere, libere & palam vulgatæ: citantur tempora & loca, quibus id genus prodigia evenere, circumſtantiæ, quæ præceſſere, quæ eadem comitatæ, & inſecutæ poſtea ſunt, cauſſæ eorum, & occaſiones, cum perſonis ipſis, quæ intervenere, accurate omnia adnotantur. Aut nunquid talia prorſus ſunt prodigia illa a S. Ioanne enarrata? puta de cœco, uſu oculorum per Chriſtum donato; quod prodigium tantum Phariſæis ipſius hoſtibus doluerat; de reſuſcitato Lazaro, in præſentia Iudæorum, a quibus edocti Pontifices & Phariſæi mox concilium iniere, ut IESUM morti traderent; de proſtrata ſatellitum ipſum capientium cohorte, ex qua veriſimile eſt, plures ſuperſtites fuiſſe; cum iſtud a S. Ioanne ſcriberetur; vel, niſi antehac iam vulgatiſſimum etiam inter Chriſti hoſtes fuiſſe, non ſine horum contradictione publica vulgari unquam potuiſſet. *Num vero ſectæ duntaxat pridem imbibitæ ſtudio, aut in inveteratæ opinionis ac præiudicii favorem, talia confictа fuiſſe veriſimile eſt?* Atqui omnia ad novam religionem, cunctis hominum affectioni-

ctionibus iuxta ac vel maxime antiquis ritibus ac religionibus e diametro adverſam, recens ſtabiliendam, & perſuadendam, ſpectabant unice; quam nec recepturi utique, nec iſtos deſerturi erant homines ex omni natione, tanto numero, tantis ſtudiis, bonorum etiam ac ipſius vitæ diſpendio libere in ſe ſuſcepto; ſi incerti ſolum rumoris prodigiis, nec potius probatiſſimis factis, per nova etiam æque grandia prodigia ab ipſis illorum teſtibus abunde probatis, rerum adeo inſolitarum fides ſumme ardua perſuaſa fuiſſet; adverſus quam rationes humanæ omnes graviſſime pugnabant. Sed *num demum ſua ipſi obiectioni veritas reipſa conſtat?* An vere prodigiorum Chriſti inſolentiæ exaugendæ magis poſteriores quam primi Evangeliſtæ ſtudent? Nonne omnes quatuor pari ſimplicitate iuxta ac verborum emphaſi IESU Chriſti reſurrectionem & ad cœlos aſcenſionem aſſeverant? Poteſtne vero gemino hoc prodigio aliud quoddam excellentius vel cogitatione fingi? aut cum illo cetera omnia, a quovis Evangeliſta relata, aut rei inſolentia, aut virtutis admiratione, comparari? Præterea an minus quiddam eſt, IESUM Chriſtum naſci ex virgine Emmanuelem verum, quod S. Matthæus cap. I. refert, quam naſci Ioannem Baptiſtam ex matre ſterili, quod S. Lucas commemorat? an mirabilior ſanatio ægroti triginta octo annorum, de quo S. Ioannes, quam paralytici, de quo S. Matthæus cap. IX, & S. Marcus cap. II. An difficilior curatio cæci a nativitate, quam Bartimæi, de quo Marcus cap. X. & Matthæus cap. XX. teſtantur. An maius prodigium proſternere cohortem militum verbo uno, quam uno verbo malaciam reddere tempeſtuoſo mari; quod item Marcus cap. IV. & Matthæus cap. VIII. de Chriſto narrant? Vulgus rude ſenſibiliore unius præ altero

ex his prodigiis ſpecie amplius commovèri, iſtud denique ipſius indoli, ſenſu præcipue trahi ſolitæ, conſentaneum omnino eſt. At Theiſtam, hominem a capite ad calcem Philoſophum, ſic de miraculorum diſcrimine argutari, hoc ſane infra docti hominis eſt dignitatem; qui nequit ignorare, quod, cum prodigium eventus ſit vires naturæ legibus ſuperiores pro ſui ipſius cauſſa depoſcens, (§.152.), parum interſit inter eventus ipſius magnitudinem; quoties, quod Numinis ipſius omnipotentem nutum unice pro cauſſa naturæ legibus ſuperiore habeat, ſufficienter conſtat: quoniam virtuti infinitæ non poteſt æque facilis accidere unius atque alterius eventus operatio; etſi, cum per naturales vires eadem efficienda ſunt, effectus nobilior nobiliorem item in ſua cauſſa virtutem poſtulet. Aut num difficilius eſt DEO omnipotenti lumen oculorum virtute ſupernaturali reddere cœco nato, quod Ioannes refert, quam ei, qui id primitus acceptum poſtea, quocunque caſu iterum deſtructo viſus organo, amiſit; prout narrare de Bartimæo videntur Matthæus & Marcus? Non niſi ineptis igitur argutationibus increduli noſtri pugnant: cum ex adverſo non aliud in Evangeliſtis noſtris apertius extet indicium tum ſublimis ipſorum ſapientiæ, tum ſinceriſſimæ fidei; quam quod pari verborum ſimplicitate maxima miracula & humilia adiuncta vitæ Magiſtri ſui recenſeant; quem verum DEUM ac DEI Filium ubique pari fide & religione confitentur. Nimirum non egebant teſtes iſti, qui ſimilia plurima & ipſi miracula præſente integra plebis turma, virtute ab illo ſuo Magiſtro accepta, operabantur; non egebant, inquam, eo plauſibili apparatu verborum, quo ſolet fraus & fallacia, non niſi eximia, &, quæ ex prodigiis ipſis ſumma ſunt, congerere. Narrant ea,

quæ

quæ ipſi, & cum ipſis infinitus hominum numerus, oculis coram viderunt, & novis ſua dicta & æque magnis in conſpectu infinitorum hominum in dies confirmant. Factis ipſi eximie potentes, & publica rerum, quæ teſtabantur, notitia certi, non niſi moderatione, ſimplicitate, candore illo tam ingenuo utuntur, quem nemo non, veri & æqui amans ipſe, non poteſt non in eorum ſcriptis clariſſime agnoſcere, & ſinceriſſime admirari. His adde & illud, non alia re magis detracturos fuiſſe famæ ſuæ primos Chriſtianorum Epiſcopos, quam ſi hiſtoriam IESU Chriſti Magiſtri ſui miraculis antehac a nemine auditis, aut ex fortuita vulgi incertaque narratione arreptis, infarſiſſent. Miniſtraſſent illi in his arma ipſimet infenſiſſimis ſuis hoſtibus, *apoſtatis*, qui a religione Chriſtiana ſubinde deſciſcebant ex vitæ licentia, *hæreticis*, qui inde ſeparabant ſe ex arrogantia, *Iudæis & paganis*, qui eandem diffamabant quavis data occaſione, ſummoque odio inſectabantur. *Primi* excuſationem abiecti animi, *alteri* gloriam inſuper deſertæ infamis impoſtorum turbæ, *tertii* meritum denique in incuſandis & in lucem protrahendis Chriſtianorum fraudulentiis invenire ſeſe, vel maxime gaviſi eſſent. Quin ipſi vel maxime ferventes Chriſtiani occaſionem infelicem nacti eſſent univerſam religionis ſummam in dubium vocandi, ita, ut non alteri tentationi quam huic ipſi facilius ſuccubuiſſent. Qua ratione vero factum denique eſt, ut nec apoſtata, nec hæreticus ullus, ac ne Iudæus, aut paganus quidem, iſtius fraudis vel ſuſpicionem primis Chriſtianorum Magiſtris imponere unquam fuerit auditus?

At, *inquiunt*, cur tam præclariora Chriſti miracula omittunt priores Evangeliſtæ; cum tamen

 Lucas

cas ipſe affirmet, ſe *omnia a principio diligenter aſſecutum?* qui in principio actorum dicit ſe *de omnibus feciſſe ſermonem, quæ cœpit IESUS facere & docere uſque ad diem, qua aſſumtus eſt;* an is ſcire miracula, ac tamen reticere bona fide potuit? *Reſpondeo*, talia eſſe utique miracula a S. Ioanne prolata, ut, quemadmodum non fingi, ſic neque ignorari a ceteris Evangeliſtis potuerint, ob rumorem, quo omnem haud dubie Iudæam implevere. Nunquid autem fieri potuit, ut ipſa hæc famæ celebritas ab eisdem ſingillatim adnotandis retinuerit, & ad memoranda alia converterit; quorum memoriam fortaſſis ab ipſo illorum magis eximiorum ſtrepitu obliterari facile poſſe advertebant? S. Lucas in principio Evangelii quidem profitetur, *ſe omnia aſſecutum,* at minime pollicetur, etiam omnia prorſus nulla parte omiſſa relaturum. Sed neque, quod initio Actorum dicit, alio quam reſtricto ſenſu intelligi a rectæ mentis homine prudenter poteſt; neque, cum S. Lucas aperte multa a Matthæo dicta omiſerit, quæ hunc ſcripſiſſe item haud dubie compertum habuit, mendacium tam apertum dicere voluiſſe, cuiquam ſano homini venire vel in mentem debet. At demum, *auxeſis* illa *in verbis ultimis Evangelii Ioannis* contenta, quem non offendat? Cur autem denique? an minus ſinceram fidem in ſcriptore iſto hæc una tibi exaggeratio probat; quam ad literam ſumi non debere, vel ipſa verborum liberalitas aperte monet? Nihil ergo illa prodit niſi ſummam, quam dilectus præ aliis diſcipulus de Magiſtri ſui excellentia, de doctrinæ ſublimitate, & factorum mirabilium multitudine apud ſe conceperat, opinionem iuxta atque admirationem. Quantum autem, ſi bene vitæ IESU Chriſti Oeconomiam penſaſti in hanc diem, quantum, inquam, putas ſcribi poſſe librorum, dum

Digitized by Google

dum ea penitus exhauriretur? Et hunc tantum librorum poſſibilium apparatum putas tu inconcinne adeo illa hyperbole ab Evangeliſta exprimi? Nonne vides, ab ovo ad mala ſi cuncta demum conſideres, non niſi mentis mediocri quadam rectitudine adhibita obiectionum tuarum inanitatem omnem diſcuti, atque ultro evaneſcere?

§. 268.

OPPONUNT 3. *In quatuor Evangeliis non infrequentes Antilogias obſervare eſt*, aut res aperte falſas, & quæ combinari inter ſe, aut cum veritatibus alioquin compertis, plane nequeunt. Exempla duntaxat aliqua delibemus. 1mo. S. Matthæus, enarrans Genealogiam IESU Chriſti, omittit tres generationes, facitque Ioram patrem Oſiæ, qui illius non niſi pronepos fuit, ut ex I. Paralip. III. videre eſt. Inſuper ut in tertia iuxta ac in ſecunda ac prima diviſione quatuordecim affectatas generationes exſculpat, bis numerat eundem Iechoniam, ſcilicet in prima atque ſecunda ſerie. Demum in tertio intervallo, quod multo diuturnius tempus quam ſecundum complectitur, non niſi quatuordecim generationes numerat; cum intra idem tempus S. Lucas in ſua Genealogia haud minus viginti duas recenſeat?

2do. Quid volunt ſibi tam differentes inter ſe Genealogiæ illæ, quas Matthæus & Lucas IESU Chriſto texuere, aut potius Ioſepho patri eius; cuius tamen non niſi putatitium fuiſſe filium ipſimet dicunt. Quid hoc novi, quod Ioſephus idem ab uno Iacobi, (Matth. I.) ab altero autem Heli (Luc. III.) filius, ſimiliter Salathiel, in utraque Genealogia cum Zorobabele occurrens, item ab uno filius Iechoniæ, ab altero Neri filius fuiſſe dicatur. Qui

 fieri

fieri potuit, ut Ioſephus duas paternas genealogias tam diverſas ſimul haberet? Præterea quomodo IESUS Davidis filius & hæres ſolii eius per Genealogias Ioſephi probatur, qui vere eius pater non fuit?

3. Refert Matthæus Chriſtum natum eſſe ſub rege Herode; Lucas ex adverſo cap. II. v. 2. narrat ex occaſione edicti Cæſaris Auguſti, quo deſcriberetur orbis univerſus, parentes IESU profectos in Bethlehem, moxque natum ibi IESUM Chriſtum; edictum porro illud publicatum a Præſide Syriæ Cyrenio. Conſtat autem apud peritos antiquitatum, tunc temporis non Cyrenium, ſed Sentium Saturninum, vel Quintilium Varum fuiſſe Syriæ præfectum; ut apud Ioſ. antiq. l. 16. 13. & l. 17. 7. item apud Tertull. cont. Marcion. cap. 19. videre eſt; Cyrenium vero non niſi decennio poſt natum IESUM Syriam gubernaſſe.

4. Matthæus cap. XXVII. v. 9. Ieremiæ verba quædam attribuit, quæ nuſquam apud iſtum, bene tamen apud Zachariam Prophetam repeŕiuntur cap. XI. v. 13. de pretio *triginta argenteorum*, quo Chriſtus a Iuda venditus eſt.

5. Addit petulans ille ſcribillator opuſculi (*les queſtions de Zapata*, cui & alia plura ſimilia anonyma adſcribuntur) varia abſurda & antilogias Evangeliorum, uti e. g. 1mo. ſecundum Matthæum infantem IESUM fugiſſe in Ægyptum, ſecundum ceteros Evangeliſtas perſtitiſſe in Iudæa: 2do. Luc. XXI. 32. Chriſtum apertis verbis dicere ſe venturum ſupra nubem cum poteſtate magna & maieſtate, *antequam prætereat generatio*, cui loquitur: atqui nihil iſtorum factum, ni forte in aliqua nebula, nobisque omnino inſciis: 3tio. Secundum Lucam

Lucam Chriſtum ex Bethania aſcendere in cœlum, ſecundum Matthæum autem in Galilæa, ubi diſcipuli eum ultimo vidiſſe dicuntur. 4. Multa in ſcriptis Apoſtolorum reperiri abſurda & cum Phyſica aut ſana ratione pugnantia, ut Io. XII. 24. *niſi granum frumenti cadens in terram mortuum fuerit*, nullum afferre fructum; & Matth. VIII. 12. in inferis *fore fletum & ſtridorem dentium*, & II. Cor. XII. 2. Paulum *raptum in tertium cœlum*. Prætereo alia, quæ auctor ille æque ſordidus ac blaſphemus temulento ore eructat. Ecce magnum illud operæ pretium! cuius gratia magna videlicet ingenia omnem ſuam aciem expromerent. Atque huiusmodi iam chimæris diligenti venatione occupatis, & cum oſtentatione puerili exaggeratis, veluti magno defuncti negotio, omni iam cura Evangelii & attentione magnopere expeditos ſeſe deinceps pro certo exiſtimant.

Sed *Reſponſionum* ſoliditas claritasque meridianæ luci ſuppar oſtendet magnum illud inane, quo maxima etiam ingenia ſæpe laborant; quando in religionis Myſteriis & arcanis proſcrutandis, præcipiti temeritate impugnandi aciem ſuam potius obtundere, quam pia docilitate acuendam offerre, ſeque inſtruendos DEO ſubmittere, malunt. Itaque

§. 269.

Quod ad 1. attinet: putasne veriſimile, S. Matthæum libros regum & paralipomenon, in quibus ſeries generationum lineæ regiæ poſterorum Davidis ad Babylonicam uſque captivitatem accurate deſcribitur, præ manibus non habuiſſe, ut cavere errorem omiſſionis trium illorum, ſi voluiſſet, non facillime potuiſſet? Matthæum, inquam, qui

toties in ſingulis pæne capitibus Scripturas veteris teſtamenti ipſe allegat? Fuiſſe itaque rationem aliquam, & quidem, ut veriſimile eſt, publice notam, perſpicuum eſt, cur S. Matthæus Ochoſiam, Ioam, & Amaſiam (qui reipſa intermedii inter Ioram & Azariam ſeu Oziam fuere) omiſerit? Quænam vero illa? Veriſimile eſt, tres iſtos reges, qui ob infelices pugnas (ut IV. Reg. cap. IX. cap. XII. & XIV. legere eſt) alioquin Iudæis ſubditis tam exoſi evaſere, ut coniuratione facta in eorum cœdem conſpirarint: ex tabulis publicis, quibus genealogia familiæ regiæ conſignabatur, nomine tenus eraſos fuiſſe. Id non ſine DEI conſilio factum, S. Hieronymus ad hunc S. Matthæi locum exiſtimat. Miſcuerat enim ſe Ioram Rex Iuda ſanguini impiiſſimi Achab & Iezabelis, horum filiam Athaliam ducendo in uxorem, ſeductus inde ab eadem ad idolorum cultum. Iuraverat porro DEUS, ſe omnem poſteritatem Achabi regis Iſraëlis ob impietatem deleturum III. Reg. XXI. 22.; & licet, ut ibid. cap. VIII. v. 19. habetur, *noluerit Dominus diſperdere* familiam regum *Iuda propter David ſervum ſuum, ſicut promiſerat ei, ut daret illi lucernam* (id eſt, hæredem, qui vitæ lucem pro illo continuaret) *& filiis eius cunctis diebus;* tamen memoriam & iſtorum Achabi poſterorum ex filia Athalia delere ſaltem ex annalibus ſeu Iudæorum, ſeu S. Matthæi voluit uſque ad generationem quartam, ad quam uſque computari vulgo in Scripturis unius hominis poſteritas conſuevit; ut patet Exodi XX. 5. & IV. Reg. X. 30. Quid contra iſtud habes opponere? ô incredule! coniecturam hanc eſſe potius dices, quam certam veritatem? at vel coniectura hæc, in veteri tamen regum hiſtoria ſatis fundata, apprime oſtendit, erroris tam facile accuſari antiqua monumenta, cæteroquin ſatis

tis authentica, non poſſe præciſe ob ſilentium rerum variarum nullius momenti; cuius ſilentii mille potuere ſubeſſe cauſſæ, nobis oppido ignotæ. Quod de *Iechonia*, bis a Matthæo inconſulte numerato, ex Porphyrio veteri Chriſtianorum hoſte increduli noſtri de novo obiecere, huic pridem datam a S. Hieronymo reſponſionem reponimus. Nimirum ex I. Paralip. III. v. 15. & 16. item ex IV. Reg. cap. XXIII. & 24., certiſſimum eſt, Iechoniam patrem Salathielis non filium, ſed nepotem fuiſſe Ioſiæ, eundemque patrem habuiſſe Ioakim, qui filius Ioſiæ fuit, & Eliacim antea vocabatur. Porro Ioakim Pater, & Iechonias ille filius ipſius, in hebræo textu IV. Reg. XXIV. v. 6. & 7, ambo eodem pæne nomine *Ioakim* & *Ioachin* ſcribuntur יְהוֹיָקִים & יְהוֹיָכִין, ſic ut non niſi litera Koph in Caph, ſeu k in ch, & litera mem in Nun, ſeu m in n, mutetur. Quid ergo pronius, quam ut duo nomina propria tam ſimilia deſcribendo inter ſe confunderentur, maxime cum in Syriaco Matthæi textu hæc duo nomina item non niſi unica litera Koph & Caph differrent, & per voces *Iekonias* & *Iechonias* exprimerentur. Confirmant iſtam ſententiam non nulli codices veteres græci & latini, qui ante v. 12. addunt: *Iechonias autem genuit Iechoniam.* Vides itaque, iam denuo non niſi de titivilitio litem intentari. Denique *circa inæqualitatem numeri generationum* a Matthæo & Luca poſiti cur adeo inveriſimile videatur, quod, cum familia regia, Davidis poſt captivitatem dignitate ſolii excidiſſet, principes ipſius primogeniti, ut in fortuna obſcuriore tamen familiæ ſuæ opes ac dignitatem facilius ſuſtinerent, tardius matrimonia inerint, quam ſolebant eorum minores natu fratres, atque etiam ii, qui ex linea Nathan

Digitized by Google

alterius filii Davidis deſcendebant; ne videlicet nimis multiplicatis liberis opes non ſufficerent ſplendori familiæ ſuæ conſervando; cui id honoris reſervatum pro certo ſperabant, ut Meſſias ſuo tempore ex ipſa patrem ſortiretur.

§. 270.

Ad 2dum Obiectionis caput non niſi æquioribus quibusdam oculis eſſet Theiſtæ opus, ut in eo ipſo eximium quoddam bonæ fidei Evangeliſtarum ſpecimen obſervaret, quin & documentum utile pro ſe ipſo; quod diſcuti quidem ſcripta alioquin ſumme authentica, at non ob quasvis difficultates obvias repudiari, ſine imprudentiæ ac temeritatis vitio poſſint. S. Matthæus & S. Lucas circa principium Genealogiæ IESU Chriſti perfecte inter ſe concordant. Ambo illam a Davide repetunt, cui DEUS tam ſolennibus verbis ac toties promiſerat, ex ipſius ſtirpe Meſſiam naſciturum. Secundum utrumque Evangeliſtam IESUS non eſt verus filius Ioſephi, & nihilominus ſecundum eosdem ambos eſt vere ex ſemine Davidis ortus. Ex quo evidens eſt, non niſi per Mariam matrem idipſum contingere potuiſſe, atque adeo & Mariam, iuxta atque Ioſeph, cum IESU, ex eadem tribu & familia Davidis prognatos fuiſſe. Hoc principio præſtabilito primum, quod cuique geminam in Matthæo & Luca IESU Chriſti genealogiam legenti ultro occurrere debet, profecto illud eſt, ut alteram paternam ex Ioſepho, alteram maternam eſſe ex Maria ſuſpicetur. Matthæi Genealogiam Ioſepho propriam & paternam eſſe reſpectu IESU Chriſti, ipſa verba, *Iacob genuit Ioſeph virum Mariæ*, extra dubium ponunt. Ex adverſo textus S. Lucæ cap. 3. a v. 24. clare quidem, præſertim in originali græco idiomate, exprimit, quod

texatur

texatur Genealogia Chriſti, minime vero, quod Ioſephi item genealogia eadem ſit. Sic enim Lucas de verbo ad verbum habet: & ipſe IESUS erat incipiens quaſi annorum triginta, exiſtens (ut putabatur) filius Ioſephi, Heli, Mathat, Levi, Melchi, Ianne &c. &c. ὢν (ὡς ἐνομίζετο) υἱὸς Ἰωσὴφ, τοῦ Ἡλὶ, τοῦ Ματθὰτ, τοῦ Λευὶ, τοῦ Μελχὶ, τοῦ Ἰωαννὰ &c. &c. Senſus nempe duplex eſſe poteſt, videlicet, ut intelligatur hic exprimi genealogia materna Ioſephi, ſic, ut omnium iſtorum, ſicut ipſius Ioſephi, non niſi putatitius fuiſſe filius IESUS Chriſtus dicatur, vel certe ut ſolius Ioſephi quidem dicatur filius fuiſſe putatitius, ſequentium vero Mariæ matris ſuæ progenitorum per hanc ipſam veram matrem filius verus & naturalis. Quodvis horum verum fuerit, ſublata erit omnis inter Evangeliſtas contradictio. At nec veriſimile eſt, ambos Evangeliſtas tam ſtudioſe texuiſſe paternam iuxta ac maternam Ioſephi, patris ſolum putatitii IESU, genealogiam; contra genealogiam iſtius ex matre vera prorſus neglexiſſe; & certa inſuper traditio omnium antiquorum Eccleſiæ patrum nos ſatis docet, a S. Luca maternam IESU Chriſti per Mariam Genealogiam deſcriptam eo loco fuiſſe, ſic, ut Ioſephi quidem putatitius, verus autem Heli, Mathat, Levi &c. filius dicatur. Traditioni huic adſtipulatur Protevangelium S. Iacobi, & Evangelium Nativitatis Mariæ, in quo utroque legitur Mariam matrem IESU fuiſſe filiam *Ioachim* & *Annæ*. Iam vero nomen *Ioachim*, ſive potius *Ioakim*, revera idem apud hebræos eſt atque nomen *Heli* & *Heliakim*. Sic *Ioakim* Rex Iuda vocatur *Eliakim* IV. Reg. XXIII. 34. & II. Paral. XXXVI. 4. & rurſus Iudith. IV. 11. *Eliakim* Pontifex vocatur *Ioakim*. Sicut enim Iehova, quo nomen

nomen *Ioakim* incipit in Hebraico יְהוֹיָקִים. eſt nomen DEI, ita & *El* nomen DEI eſt, quo incipit nomen Eliakim אֶלְיָקִים. Nec obſtat, duo illa Evangelia pro Apocryphis ab ipſis Chriſtianorum primævis Eccleſiis fuiſſe habita. Id enim etſi auctoritatem Apoſtolicam his monumentis detrahat, neutiquam tamen evincit, omnia, ad ipſa uſque nomina propria hominum, falſa eſſe, quæcunque in eis continentur, etiam cum aliunde ex ipſis genuinis Evangeliis conſtat, homines ipſos, e. g. parentes B. Mariæ, extitiſſe, quibus Apocrypha illa ſcripta (id eſt, Apoſtolis falſo attributa) nomina eiusmodi imponunt; etſi eadem nomina publice ubique vulgata fuiſſe id ætatis ſit neceſſe, quo documenta iſthæc, citra omne dubium antiquiſſima, quocunque demum auctore exarata ſunt.

At, *inquies*, ſi Lucas Genealogiam IESU Chriſti maternam deſcribit, cur non Ioſephi loco, patris ſolum putatitii, veram matrem Mariam, Heli filiam, Chriſtum inter & Heli, avum iſtius, interponit? *Reſpondeo*, S. Lucam conſuetudini Iudæorum, genealogias non niſi per viros texentium (etſi præcipuo quodam loco paganis ſuum Evangelium deſtinaret) quoad per præſentem ſuum ſcopum licebat, ſeſe accommodaſſe; quæ conſuetudo ferebat, ut, cum filia & hæres unica familiæ cuiusdam viro alterius familiæ nuptui traderetur, generi nomen tanquam filii in locum filiæ ſocero in genealogiæ ſerie ſubſcriberetur. Iubebat autem lex ipſa, ut filiæ intra ſuas tribus, imo & intra familias, quoad liceret, matrimonio iungerentur. Affirmant quoque auctores Eccleſiaſtici omnium anti-

antiquiſſimi, S. Irenæus l. III. cap. 18. adv. hæreſ. Tertullianus contra Iud. Auguſtinus quæſt. in iudic. q. 47. quæſt. in nov. Teſt. q. 86. l. 23. cont. Fauſt. aliique, Mariam ſuiſſe ea eadem tribu & familia cum Ioſepho. Eſtque inſuper vetus traditio in Eccleſia (teſte Euſ. l. I. hiſt. cap. 7. Hilario in Matth. I. &c. &c.) eandem fuiſſe filiam unicam & hæredem bonorum patris ſui. Ioſephus itaque matrimonio ſibi Mariam Heli filiam unicam coniungens, huic recte in Genealogiæ ordine a S. Luca ſubſtituitur. Rem prorſus ita ſe habere, exinde evidens eſt, quod idem prorſus in *Salathiele*, quod in *Ioſepho* B. Mariæ ſponſo, in utriusque Genealogiæ ſerie ſimul occurrente, obſervare ſit. Etiam *Salathiel* ſecundum Matthæum a *Iechonia* genitus eſt, & nihilominus inter avos maternos IESU Chriſti aſcendendo proximus *Neri*, ceu patri ſuo, ponitur; cuius certe alio ſenſu filius non fuit, quam quod unicam *Neri* filiam & hæredem ducendo, cum omnibus iuribus uxoris ſuæ etiam nomen filii reſpectu Neri ſoceri ſui in ſe ac ſuos liberos tranſtulerit. B. V. Maria igitur, ut vera *Heli* filia deſcendit ex *Davide* per huius filium natu maiorem *Nathan*, ſicut *S. Ioſeph* ex eodem *Davide* deſcendit per *Salomonem*. Ambæ familiæ *Nathanis* & *Salomonis*, filiorum Davidis, denuo uniuntur in perſona *Salathielis*, qui fuit filius *Iechoniæ*, ſimulque gener & hæres uſufructuarius *Neri*, ob iſtius filiam unicam acceptam in uxorem, ſive, quod idem eſt, filius *Neri* per affinitatem. *Zorobabel*, ex connubio Salathielis, hæredis iurium Salomonis, cum filia unica Neri, hærede Nathani, eſt velut punctum fixum, ubi duæ Genealogiæ ſeſe uniunt in unam ſtirpem, & a quo mox denuo ſeſe disiungunt per duos filios Zorobabelis, *Abiud* & *Reſa*, non iungendæ deinceps niſi in IESU Chriſto, Ioſephi

Ioſephi & Mariæ filio, ilius quidem putatitio, iſtius autem vero ac naturali. *Ioſephus*, ex *Abiud* filio Zorobabelis natu maiore deſcendens, omnia iura Salomonis IESU Chriſto afferebat, qui & ipſius filius verus habebatur publice, & virtute initi matrimonii publici Mariæ matris ſuæ cum Ioſepho, alios liberos non habente, erat unicus legitimus illius hæres. Non erat neceſſarium ad aſſecuranda *Meſſiæ* IESU Chriſto iura legitima Throni *Davidis* Patris ſui, ut *Zorobabel* fuerit filius filiæ unicæ *Neri*, ſicque princeps iſte ſecundum ſtemma maternum deſcenderit ex *Davide* per *Nathan* : at oportebat *Meſſiam*, qui hominem nullum pro patre erat habiturus, ſaltem ex matre *Davidis* ſanguinem recipere : oportebat item ad hoc, ut eſſet ſecundum DEI promiſſa *filius Davidis* per excellentiam, hæresque throni eius ex iure ſanguinis, oportebat, inquam, *virginem*, quæ eius *mater*, ſimulque *filia Salomonis & Davidis* futura erat, matrimonio ducere hæredem ſtirpis regiæ. Neceſſe itaque erat item, ut *Ioſeph* eſſet filius natu maior *Iacobi*, & *Maria* filia *Heli* unica; ut *Ioſeph* coniungeret in ſe ſolo iura omnia familiæ ſenioris *Zorobabelis* per *Abiud*, & ut *Maria* reciperet ſanguinem *Davidis, Salomonis*, & *Zorobabelis* per *Reſa* ; ut demum, *Ioſepho* non niſi iura ſua, non item ſanguinem in IESUM tranſmittente, *Maria* uxor illius in hunc filium ſuum unicum ſanguinem Davidis longe nobiliſſimum transfunderet. Ex quo ipſo exquiſita DEI providentia ſuper filio ſuo in terris naſcituro clariſſime relucet. Sed & utriusque Evangeliſtæ ſapientia ex hoc eadem ipſa geminæ ac diverſæ Genealogiæ diſpoſitione mirifice commendatur. Cum Ioſephi Genealogiam darent ſeorſum, ſimul atque ſeorſum Genealogiam Mariæ, per primam quidem docebant, IESUM ut filium Ioſephi, vel

putati-

putatitium tantum, eſſe hæredem iurium Salomonis & promiſſorum iſti a DEO datorum; per alteram vero, eundem IESUM etiam absque interventu Ioſephi ex Maria ſola eſſe Davidis filium. Verum quidem eſt, S. Lucam maternam IESU Chriſti originem texendo contra Iudæorum conſuetudinem egiſſe: at omnino conveniens erat, ut prorſus ita ageret, eundemque gentilibus, queis præcipue ſuum deſtinabat Evangelium, ex Davidis ſanguine ortum nihilominus oſtenderet; poſtquam non ex Ioſepho, aut ullo patre alio humano, ſed ex Spiritu ſancto per ſolam Mariam genitum affirmarat. S. Matthæus, qui ſolis ſcribebat Iudæis, conſuetudinem quoque iſtorum religioſius ſequebatur, paternam ſolum IESU Chriſti originem & ius regium demonſtrare popularibus ſuis contentus; quos & de genealogiis nationis ſuæ, & maxime ſtirpis Davidis regiæ, ſatis probe alioquin inſtructos ſupponit. Quæ ipſa fortaſſe ratio fuit, ut non ſemper enumerationem capitum omnium intermediorum accurate faceret, bona fide in re publica & ſine fraudis ſuſpicione procedens. Quodſi tamen Evangeliſtas nihilominus negligentiæ incuſare velis, qui nihil iſtorum admonendo, quæ fuſe nos modo obſervanda protulimus, in labyrinthum lectores ſuos quaſi dedita opera involvere ſtuduerint: repono tibi viciſſim, & graviſſime affirmo, nulla re magis me in Evangeliis noſtris affici ac delectari, nec alio magis indicio de ſinceritate iſtorum ſcriptorum convinci, quam hoc ipſo neglectu omnium præcautionum, & anxiarum ſollicitudinum, quibus profani hiſtorici aſſidue ſolent occupari, ut fidem apud poſteros inveniant. Animadverto ego in Evangeliis characterem quemdam ſimplicitatis, ſinceritatis, & apertæ veritatis, quo totus rapior. Videmus in ſcriptoribus profanis homines

mines magis anxios de invenienda fide, quam ſtudioſos in rebus ipſis & factis enarrandis. Ex adverſo in Hiſtoriis Evangelicis ſcriptores obſervare eſt, factis enumerandis unice intentos, de quorum fide ita ipſis perſuaſum eſt, ut ſupponere videantur, eadem a nemine uno ignorari poſſe.

§. 271.

Ad 3tium obiectionis caput tranſeamus, quo temporis male computati error circa IESU Chriſti nativitatem alterutri ex duobus Evangeliis, Matthæi, vel Lucæ, impingitur. Textus græcus hunc chronologiæ nodum commode reſolvet. Sic autem habet apud S. Lucam cap. III. v. 2. αὐτὴ ἡ ἀπογραφὴ πρώτη ἐγένετο ἡγεμονεύοντος τῆς Συρίας Κυρηνίου. Hæc ita vertit auctor vulgatæ: *hæc deſcriptio prima facta eſt a præſide Syriæ Cyrenio.* At inprimis græcum textum non dicere, factam eſſe deſcriptionem ab ipſo Cyrenio, luce ipſa clarius eſt: ad ſummum enim vertendum erat, factam eſſe Præſide Cyrenio, ſive, *cum eſſet Præſes Cyrenius.* Sed neque hæc verſio genuina foret, exigeretque inverſo vocum ordine ſcriptum ab Evangeliſta fuiſſe, αὐτὴ πρώτη ἀπογραφὴ ἐγένετο &c. Vertendum igitur potius: *hæc deſcriptio prius facta eſt, quam præſes Syriæ eſſet Cyrenius.* Quo loquendi modo propoſitum erat Evangeliſtæ eam primam deſcriptionem diſtinguere ab altera magis recente, & cuius fama celebrior facta fuerat ſub præfectura Cyrenii per rebellionem populi Iudaici, Iuda Galilæo duce ſeſe eidem opponentis. Vide Act. V. 47. & Ioſ. Antiq. l. 18. c. 1. Expoſitionis iſtius veritas pluribus exemplis, ac ſimilibus loquendi modis eodem ſenſu adhibitis, ex novi teſtamenti Scriptura probari poteſt. Sic Ioan. I. 30. cum dicitur: *hic eſt, de quo dixi, poſt me venit vir, qui ante me factus eſt; quia prior*

prior me erat; verba iſthæc ultima Vulgatæ, *quia prior me erat,* ſimili græca phraſi, ut illa Luc. III. 2, exprimuntur; ὅτι πρῶτός μου ἦν; quæ verba ſecundum literam latine item ſonarent: *quia primus quam ego fuit;* reipſa autem idem ſunt ac, *priusquam ego.* Et rurſum Ioan. XV. 18. cum dicitur: *ſi mundus vos odit, ſcitote; quia me priorem vobis odio habuit*, græca dictio habet, ὅτι ἐμὲ πρῶτον ὑμῶν μεμίσηκεν, id eſt, *me primum veſtrum*, ſive, *primum quam vos, odio habuit.* Similis quoque uſus græcæ vocis πρῶτος apud ipſum S. Lucam XVII. 25. occurrit, ubi item pro notando *priori tempore* ſumitur. *Primum autem oportet illum* (filium hominis) *multa pati;* id eſt, *prius oportet* &c. πρῶτον δὲ δεῖ αὐτὸν πολλὰ παθεῖν &c. Quodſi tamen omnino velis verba illa græci textus ſumenda eo ſenſu, ut *Præſide Syriæ ipſo Cyrenio* facta illa deſcriptio dicatur; cum Petavio noſtro dicam (Ration. Temp. lib. 4. cap. 2.) fieri potuiſſe, ut Cyrenio gemina vice cenſus per Syriam & Iudæam inſtituendi provincia ab Auguſto Cæſare demandata fuerit, primum quidem præſide ordinario Syriæ Sentio Saturnino, ſic tamen ut tanquam ad ſpeciale & extra ordinem imperatum munus exequendi cenſus eodem tempore Cyrenius Syriæ & Iudææ præficeretur, ſalva in ceteris Saturnini præfectura; altera vero vice, poſt decem annos videlicet idem Cyrenius Syriæ etiam præfectura ordinaria præfuerit. Hoc caſu vere S. Lucas dicere potuit, primam illam naſcente Chriſto deſcriptionem Iudææ præſide Syriæ Cyrenio (videlicet quantum ad ineundum cenſum) factam eſſe; & vere quoque Tertullianus ſecundum Ioſephum Iudæum dixit, id Sentio Saturnino Syriæ præſidente contigiſſe. Ex quo obſcuritatem quidem ſuper hac re in veterum documentis obſervare, at nul-

lo pacto falſi convincere Evangeliſtas noſtros licebit.

§. 272.

Ad 4tum caput, quo S. Matthæo obiicitur, quod vaticinium Ieremiæ tribuat, quod non niſi apud Zachariam XI. 13. reperitur: vide, an non prudentiſſimis argumentis coniectura S. Hieronymi nitatur, credentis, *Ieremiæ* nomen non niſi errore librariorum hoc loco irrepſiſſe. Sunt autem iſta: 1. Quia Matthæus nuſpiam alias ſolet exprimere nomina Prophetarum, quos citat. 2. Quia textus Syriacus, & non nulli etiam codices veteres latini teſte S. Auguſtino, nomen Ieremiæ non habent; quorum poſteriorum unum adhuc dum videre eſt Romæ in Bibliotheca RR. PP. Eremitarum S. Auguſtini. Quodſi hæc tibi coniectura non plene ſatisfacit, reſpondebunt alii cum Origene, Tertulliano, Euſebio, id vaticinium olim in ipſo quoque Ieremia extitiſſe; ſicut & S. Hieronymus in uno apocrypho exemplari ſe ipſum legiſſe teſtatur; at intercidiſſe poſtea, vel a Iudæis eraſum fuiſſe. Imo potuit idem in alio quovis Ieremiæ libro, Evangeliſtæ bene noto, contineri; quin tamen iſte ad noſtras manus pervenerit.

§. 273.

5to. Sed Zapatæ illius nugivenduli dicteriis quid reſpondebimus demum? Quod *ad primum:* ſolus Matthæus & Lucas de infantia IESU Chriſti ſcripſere. Matthæus poſt Chriſti Nativitatem narrat adorationem Magorum cap. II, & v. 13. poſt horum ſeceſſionem mox ſubdit: *qui cum receſſiſſent, ecce! Angelus Domini apparuit in ſomnis Ioſeph, dicens: ſurge, & accipe puerum & matrem eius, & fuge in Ægyptum.* Ex adverſo Lucas cap. II. poſtquam adora-

adorationem paſtorum ad præſepe Chriſti venientium deſcripſit, nulla de Magis facta mentione, mox v. 22. ſubiicit: *& poſtquam impleti ſunt dies purgationis eius ſecundum legem Moyſi, tulerunt illum in Ieruſalem, ut ſiſterent eum Domino.* Finita autem purificationis Mariæ hiſtoria pergit ibid. v. 39. *Et ut perſecerunt omnia ſecundum legem Domini, reverſi ſunt in Galilæam in civitatem ſuam Nazareth. Puer autem creſcebat, & confortabatur, plenus ſapientia, & gratia DEI erat in illo.* Mox vero tranſit ad narranda ea, quæ cum IESU adoleſcente iam duodenni deinceps evenere. Ex his iam larvatus ille Zapata grave ſuum ſcilicet argumentum format, IESUS infans a Matthæo in Ægyptum ducitur, a ceteris Evangeliſtis a ſua Nativitate in Iudæa ſemper perſiſtere deſcribitur. Ubi vero, mi bone! ubi Lucas dicit, IESUM poſt ſuam in templo Ieroſolymæ oblationem, ac regreſſum in Nazareth ſemper ibidem uſque ad annum ætatis duodecimum perſtitiſſe? Cur ſalvis Matthæi verbis a reditu Magorum duci in Ieruſalem non potuit, ut ſiſteretur Domino, indeque redire in Galilæam & in civitatem Nazareth, atque ex hac demum Angelo monente, ut Matthæus cap. II. v. 13. refert, fugere in Ægyptum? At, inquis, reverſus ex Ægypto Ioſephus adhuc volebat perſiſtere in Bethlehem Iuda, niſi audiſſet; *quia Archelaus* (Herodis filius) *regnaret in Iudæa:* ergo veriſimile non eſt, ea deſerta iam prius in Nazareth habitationem tranſtuliſſe. *Audiens* (Ioſephus) *quod Archelaus regnaret in Iudæa pro Herode patre ſuo, timuit illo ire: & admonitus in ſomnis, ſeceſſit in partes Galilææ.* Hæc Matthæi verba ſunt cap. II. v. 22. Verum edic, an voluntas eundi poſt reditum ex Ægypto in Iudæam eadem omnino eſt, ac habitandi ibidem? Nunquid plures cauſſæ eſſe poterant ſanctæ

Digitized by Google

ſamiliæ eundi illuc; e. g. adorandi in templo, viſitandi cognatos &c.; & tamen conſtitutum habere poterant, pergendi in Nazareth, ex quo fugam initio capeſſiverant? Nonne id ipſum conſilium viſendi cognatos, vel templum, impellente metu, & monente DEO dimittere potuere? Atque hæc ſententia eſt eximiorum iuxta ac antiquorum interpretum, qui in Scripturas commentati ſunt. Vide Cornel. a Lapide in hunc Matthæi locum. Quodſi tamen prima illa Matthæi verba, dicentis poſt diſceſſum Magorum, (cap. II. v. 13. *qui cum receſſiſſent* &c.) conſecutam eſſe fugam in Ægyptum, maxime ſi, cum verſu 22do componantur, tibi cum S. Auguſtino nimis certo innuere videantur, ex Iudæa, & ex ipſo oppido Bethlehem, adornatam a Ioſepho fugam eſſe in Ægyptum: quid obſtat ſequi aliorum æque veriſimilem ſententiam, ſtatuentium, non niſi poſt reditum ex Ægypto ſuſceptam a Maria in templo Ieroſolymæ purgationem (quam S. Lucas cap. II. a v. 22. refert) ibidemque *audito* (ut Matthæus dicit) *quod Archelaus regnaret in Iudæa pro Herode patre ſuo, timuiſſe* Ioſephum, redire in Bethlehem Iuda; etſi ſecus omnino id conſtitutum animo habuerit. Cum enim iam ante ex occaſione cenſus venerit in Bethlehem, declaraturus, ſe & Mariam coniugem duo eſſe capita familiæ, ac hæredes patrimonii Davidis & Salomonis, atque inſuper IESUS ibidem natus fuerit: veriſimile eſt, non inde diſceſſurum fuiſſe Ioſephum, niſi DEI mandato ob Herodis furias inde aufugere compulſus eſſet. Nihil ergo conſentaneum magis ipſius propoſito, quam reducere IESUM poſt fugam in urbem Davidis patris ſui; poſtquam purgationis matris eius legem Ieroſolymis prius impleviſſent; quam differre eo uſque, interveniente fugæ mandato divino, coacti fuerant.

Digitized by Google

ſuerant. At intellecto periculo habitationis in Iudæa conſuluit videlicet pius Ioſeph per preces DEUM; an eo inſuperhabito redeundum in urbem David? demumque admonitus in ſomnis ſeceſſit in partes Galilææ; quæ exemta tunc ab Herodis filii Archelai poteſtate erat. Quid huic ſententiæ oppones, ut oſtentatam Evangeliorum inter ſe evincas pugnam? An legem Moiſis Levit. XII. 6.? At illa amplius non iubet, quam ut niſi *expletis* quadraginta a partu *diebus purgationis ſuæ mulier* puerpera *non tangat omne ſanctum, nec* ante *ingrediatur ſanctuarium* (ibid. v. 4.) tum vero offerat pro ſua prole conſueta munera. Nec veriſimile eſt, omnes ex tota Iudæa ac Galilæa mulieres lege obligatas fuiſſe, ut mox die quadrageſimo a partu ſeſe in templo ſiſterent; cuius contrarium in Anna matre Samuelis, vel maxime religioſa, I. Reg. I. 22. diſcimus, quæ non niſi ablactata prole cum hac aſcendiſſe in templum legitur. Acceſſerat in familia Ioſephi ratio ſpecialis mandatum fugæ divinitus acceptum. Neque S. Lucas aliud dicit cap. II. v. 22. niſi, *poſtquam impleti ſunt dies purgationis*, parentes IESU *tuliſſe eum in Ieruſalem:* non dicit, *mox ut impleti ſunt;* ſed volens innuere, IESUM ab incunabulis impleviſſe omnem legem Moiſis, duo dicit; *primo* illum a parentibus allatum in templum, *deinde* non niſi poſt impletos purgationis dies id factum: quorum primum ſine præfixione temporis iubebat lex, alterum vetabat.

Quod *ad alterum.* Verba illa IESU Chriſti Luc. XXI. 32.: *non præteribit generatio hæc, donec omnia fiant*, veriſſimum luculentumque vaticinium complectuntur; quamquam longe ab eo ſenſu abſint, quem ſpurius ille Theologiæ Doctor eis affingit. Prædicit enim ibidem Chriſtus (ut ex con-

ſenſu Matthæi XXIV, & Marci XIII. ſupra §. 215. oſtenſum iam eſt) quæ in fine mundi paulo ante ſui adventum pro iudicando mundo univerſo eventura ſint, ſimulque graphice affirmat, inſuperhabita ſervitute & diſperſione generali gentem Iudaicam, etſi ſine regno & republica, tamen ad extremum uſque mundi finem perduraturam. Certe *generationem* ſæpe idem eſſe ac *gentem*, vel *genus* quoddam *hominum*, ex innumeris Evangeliorum locis patet, e. g. Matth. XLI. 42, & XI. 16. & XII. 39. Luc. I. 48. &c. &c. Eodem ſenſu vox hæc occurrit Sapient. IV. 1. & Pſ. LXXVII. 8. Non ergo Evangeliſta fallit; ſed Zapata noſter probe ſciens volensque mentiri videtur.

Quod *ad tertium*. Falſum eſt, dicere Matthæum uſpiam, in Galilæa Chriſtum aſcendiſſe in cœlum. Ais, ſecundum Matthæum ultimum diſcipulis apparuiſſe IESUM in Galilæa? Ubi vero, amabo, Matthæus ait, hanc, quam ipſe ultimo Evangelii ſui loco memorat apparitionem IESU, etiam ultimam omnium, eamque ipſam fuiſſe, qua finiente in cœlos continuo aſcendit? S. Lucas, qui poſt hanc Matthæi narrationem memorat, aſcenſionem in monte Oliveti prope Bethaniam contigiſſe, an non legerat Evangelium Matthæi? aut cur citra utilitatem ullam ſciens mendacium venderet tam palpabile?

Quod *ad quartum*. Cur ſymbolum illud vel acutiſſimum Philoſophum offendat, quo Chriſtus Dominus *grano frumenti* ſuam humanam naturam comparat? Nonne, ſicut morte corpus reſolvitur, ſic & fermentatione terræ frumenti granum reſolvi, & involucri reſolutione germen explicari oportet, ut fructum afferat? Nonne & humanitatem

Chri-

Chriſti morte pariter reſolvi oportebat, ut fructus & ſalus innumerabilium hominum ex eius incarnatione naſceretur? Sed *fletus & ſtridor dentium*, quem Matthæus infelicibus orci incolis attribuit, Philoſopho diſplicet, dubitanti, num dentes & oculi poſt exutum mortale corpus noſtris ſpiritibus ſint ſuppetituri. Sed quis vetat, iſta ſenſu etiam metaphorico intelligere, quoad ſpiritibus corpore exutis applicanda ſunt? Nota autem, ab ipſo IESU Chriſto nos edoctos eſſe, reſurrecturos nos omnes in carne propria, atque ſic etiam iunctis denuo animis & corporibus recepturos quemque pro bonis vel malis meritis congruam mercedem. Interim ſi vel tunc ardore ignis exſiccandum fletum exiſtimas, nemo Chriſtianus te hæreſis damnabit, ſi per vocem *fletus* non niſi planctum atque eiulatum intelligas. Sed de reproborum tormento igneo alibi iam locuti ſumus §. 128. Nunc *ad tertium* Pauli *cælum* reflexione unica evolemus. Aio vero, non male circumiectum terræ aërem & atmoſphæram *cælum primum*, regiones planetarum *cælum alterum*, regionem denique beatorum ipſam *cælum tertium* appellari, atque ad hoc uſque per extaſin quamdam ſe raptum Apoſtolum profiteri? Quid tu, niſi ſcommata, his opponere demum habes? An inepte ſic locutus Paulus, ſi familiari uſu ita apud Iudæos trium regionum diſcrimen deſignabatur? Aut quo tu probas argumento, familiarem hunc loquendi modum Iudæis non fuiſſe? Quid improbi demum iſtiusmodi conatus, quo minutias Evangeliorum, mi Theiſta, excutis, ut abſurdum vel unicum conquiras, velut magnum theſaurum aliquem; quid, inquam, produnt hi conatus, niſi quod magno exoptes opere a religionis tam tuis affectionibus adverſæ vinculis temet expedire, nec tamen poſſis uſquam omni tuo inge-

nio niſi inaniſſimas argutias illius ſolidiſſimis rationibus opponere? Fatebor ultro, plures multo locos intellectu difficiles in Evangeliis & ceteris Scripturis Apoſtolicis præterea reperiri, qui explicatione pro vulgo hominum minus doctorum opus habeant: at auſim ſponſionem quamcunque facere ſi vel unicum oſtendere Theiſta poſſit, qui aut ſcriptoris Evangelici malam fidem, aut Evangeliorum ſecum ipſis oppoſitionem mutuam evincat. Sola autem obſcuritas dictorum in monumentis tam antiquis hinc inde ſeſe legentibus offundens eorum evidentiæ tam apertæ officere nequaquam poteſt. Conſtat enim documenta illa, ex quibus ab ævo in ævum profanæ hiſtoriæ ſeries contexitur, quam apud ſapientes omnes auctoritate indubitata polleant; tametſi & ipſa nodis inſolubilibus perpetuo implicentur, multumque inſuper ab ea ingenua indole veritatis abſint, cuius characteres tam manifeſtos ac fallere neſcios Scripturæ Chriſtianæ ex omni parte oſtentant.

§. 274.

Opponunt 4to, ac vituperant ipſam ſcribendi methodum Evangeliis communem; quam dicunt carere omni ordine rerum ac temporum, ſed omnia ſine lege miſcere, ſtili expertem eſſe, & incondita quadam ſimplicitate ſapientis hominis patientiam fatigare.

Reſpondeo. Si hiſtoricam narrationem ad ſcholæ leges exactam & Livii elegantiis ornatam, aut annales ad omnem chronologiæ ſeveritatem adſtrictos, in noſtræ religionis venerandis illis monumentis requiras; non tibi negabo, nil iſtiusmodi profanæ hiſtoriæ ornatuum ipſis competere. Altiora conſilia religionis illi ſanctiſſimæ doctores fovebant

vebant animis, quam ut ad vanas eiusmodi & leviſſimas ſcholæ minutias animos adverterent; nec ad Quintiliani leges, ſed ad heroicæ virtutis regulas a Chriſto Magiſtro ſuo fuerant eruditi. Sin ſcriptionis fides quam ſinceriſſima, ſin etiam conſilium ſcribendi non minus excelſo propoſito conceptum, quam excellenti ſapientia adminiſtratum, atque executioni datum, in iſtius naturæ hiſtoria primum omnium ſpectari debeant: aio, nihil ex hoc capite in Evangeliis non modo amplius deſiderari poſſe, ſed & invictiſſimum abſolutiſſimumque veritatis characterem in omnium oculos, qui vere ſapientes ſunt, plena luce incurrere. Quisquis attento ſimul & æquo animo characterem omnemque vitam IESU Chriſti in quatuor Evangeliis noſtris expreſſam meditabitur, hominem ibi leget, qui mox inde a principio declaratus pro DEI Filio, pro Servatore mundi, pro ſalutis communis victima, pro reſtauratore, pro exemplo humano generi præſtituto, characterem iſtum deinceps conſtanter ſuſtinet ſecundum omnia attributa, & in ordine ad cuncta munia, inde ab initio ſibi impoſita, atque iſtud quidem, quin unquam, a momento conceptus in ſinu Matris Virginis uſque ad aſcenſum ad dexteram DEI Patris ſui, ſibi diſſimilis deſciſcat a ſe ipſo. Non iſtic iam magnitudini factorum, non miraculorum excellentiæ, non ſublimitati & ſanctitati doctrinæ (de quibus antehac iam oppido ſatis a me dictum) inſiſto. Illud potius affirmo in præſens, quod imago illa Hominis DEI, qui per omnia vitæ ſuæ momenta, & in diverſis adiunctis, in quibus per decurſum vitæ ſuæ, privatæ, & publicæ repræſentatur, atque ſuper cruce ipſa, in qua expirat, talis apparet, qualem miſſionis ipſius indoles expoſcebat, & vatum oracula delineaverant, hoc eſt,

Digitized by Google

homo ſingularis, homo prorſus ſublimis, homo inculpatus, nunquam non Servator, nunquam non legislator, victima, & exemplar, ſemper Homo, & tamen maior homine, ſemper DEUS, ſed talis, qualem ſe præbere debebat DEUS Homo factus pro ſalute hominum: (hæc enim prorſus idea IESU Chriſti poſt Evangeliorum lectionem in mente omnium proborum reſtat; quidquid increduli noſtri obſtrepant) hæc imago, inquam, per narrationum omnium maxime ſimplicem & uniformem expreſſa, per facta, quæ ſeſe ordine inſequuntur ſine affectatione & elogio, ſtilo omnis declamationis experte & remoto ab omni eo, quod panegyrin & apologiam ſaperet, hæc profecto eſt opus prorſus eximium, cui effingendo Evangeliſtæ pro eo, ac ſeſe ipſi depingunt, pares non erant, niſi verum & maxime vivum prototypon in eo elaborando præ oculis reipſa habuiſſent. Pone, nunquam extitiſſe Hominem DEUM, Filium DEI promiſſum & ablegatum in mundum pro gloria Patris ſui, pro inſtructione hominum, pro eorundem redemtione, pro ſtabiliendo novo DEI cultu; tum vero nec habituri eſſemus IESU Chriſti Evangelium tale, quale in præſens legimus: quod, quamprimum in fabulam transverteris, eo ipſo momento inter chimæras numerare neceſſe erit. Hem tibi vel in hac ſola reflexione, etiamſi argumenta ab auctoritate abeſſent, quæ antea congeſſimus, unam aliquem ex demonſtrationibus illis, quas morales vocant, quæ rationem bene conſtitutam prorſus convincere ſolent, nec ſolo ſuperbi ſupercilii deſpectu refutari poſſunt. Interim ut ad auctorum Evangelicorum methodum ſtilumque revertamur, fateor, nec illam dictionis puritatem apparere, quæ delectare, nec elegantiam, quæ faſcinare animos, nec ſublimitatem, quæ rapere in ſtupo-

ſtuporem ſolet; fateor, uno verbo, illos, etſi altiore ductos ſpiritu, tamen homines videri illius conditionis, qua revera nati erant. Verum debebant illi prorſus tales eſſe, ut intentionis illa apertiſſima ſinceritate ea, quam præſefert, hiſtoriæ veritati auctoritas accederet. Omnino enim concedendum mihi arbitror, ingenuam iſtam ſimplicitatem, quæ ſuum obiectum nunquam ex oculis dimittit; quæ ne momento quidem a propoſito ſuo ad extranea deflectit; quæ ne unum quidem verbum a fine alienum miſcet; quæ herois ſui indolem nuſpiam obliviſcitur, nèc transmutat, ne tum quidem, quando depreſſionum imbecilitatumque eius adiuncta omnia minutim enarrat, profecto habere aliquid, quod perſuadeat, quod rapiat, quod convincat. Unde concludo, omnem illum, qui lectis Evangeliis, non humano maius aliquid ineſſe in eis obſervarit, non acceſſiſſe ad ea legenda, niſi poſtquam incredulitatis ſive certum propoſitum, ſive magnam ſaltem inclinationem atque præiudicia, iam prius animo conceperat. Contra cuivis æquo lectori hiſtoria Evangelica iuxta elegans ac certa videbitur; elegans quidem, quia omnia eventa divina ſunt, certa, quia ſcriptores ſinceri, & privati omnis ſtudii expertes.

* Finiamus diſquiſitionem iſtam teſtimonio Critici, Theiſtæ cuicunque minime omnium ſuſpecti. Eſt is Ioannes ille Iacobus Rouſſeau, noſtro ſeculo non minus a ſtili ſui ſublimi nobilitate atque robore, quam ab ſentiendi inſaniſſima libertate, imo & agendi impetu, & morum ſingularitate, notiſſimus. Is in Emilii ſui Tom. II. Edit. Amſtelod. anno 1764. pag. 102. hanc de ſacris Scripturis Chriſtianorum confeſſionem edidit ſane memorabilem, quia non niſi ab veritatis evidentia hoſtili animo extortam. Dabo illam gallico idiomate auctoris; quia aſſecuturum me latine

tine ſcriptoris vim & ſublime robur diffido. In lectorum tamen, gallicum idioma non callentium, gratiam latinam verſionem pro meo modulo ſubnectam. Sic vero Theiſtarum hodiernorum coryphæus ille habet.

„ Je vous avoue auſſi, que la Majeſté des Ecritures m' étonne; la ſainteté de l'Evangile parle á mon cœur. Voyez les livres des Philoſophes avec toute leur pompe; qu'ils ſont petits près de celui là! Se peut-il qu' un livre, à la fois ſi ſublime & ſi ſimple, ſoit l'ouvrage des hommes? Se peut-il, que celui dont il fait l'hiſtoire ne ſoit qu' un homme lui même? Eſt ce-là le ton d' un enthuſiaſte ou d'un ambitieux ſectaire? Quelle douceur, quelle pureté dans ſe moeurs! quelle grace touchante dans ſes inſtructions! quelle elevation dans ſes diſcours! quelle préſence, de'eſprit, quelle fineſſe & quelle juſteſſe dans ſes réſponſes! quel empire ſur ſes paſſions! où eſt l'homme, où eſt le ſage, qui ſait agir, ſouffrir, & mourir ſans foibleſſe & ſans oſtentation? Quand Platon peint ſon juſte imaginaire (de la rep. dial. 1.) couvert de tout l'opprobre du crime, & digne de tous les prix de la vertu, il peint trait pour trait Ieſus-Chriſt: la reſſemblance eſt ſi frappante, que tous les peres l'ont ſentie, & quil n'eſtpas poſſibile de s'ytromper. Quels prejugés, quel aveuglment ne faut-il point avoir puor oſer comparer le fils de Sophroniſque au fils de Marie? Quelle diſtance de l'un à l'autre! - - - Oui, ſi la vie & la mort de Socrate ſont d'un ſage, la vie & la mort de Iéſus ſont d'un Dieu. Dirons-nous que l'hiſtoire de l'Evangile eſt inventée à plaiſir? Mon ami, ce n'eſt pasainſi qu'on invente, & les faits de Socrate, dont perſonne ne doute, ſont moins atteſtés que ceux de Iéſus-Chriſt. - - - Au fond, c'eſt reculer la difficulté ſans la détruire; il feroit plus inconcevable que pluſiers hommes d'accord euſſént fabriqué ce livre, qu'il ne l'eſt qu' un ſeul en ait fourni le ſujet. Jamais des auteurs Juifs n'euſſent trouvé ni ce

ton

ton, ni cette morale, & l'Evangile a des caracteres de verité ſi grands, ſi frappans, ſi parfaitement inimitables, que l'inventeur en ſeroit plus étonnant que le héros. „

„ Me quoque, fateor, Maieſtas Scripturarum in ſtuporem rapit; ſanctitas Evangelii cordi meo perorat. Philoſophorum libros cum omni pompa ſua aſpice; quam ſunt exiles in comparatione iſtius? Fierine poteſt, ut liber aliquis tam ſublimis idem ac ſimplex ſit opus hominum? Fierine poteſt, ut is, cuius hiſtoriam deſcribit, nihil homine ipſe maior ſit? Hæccine illa vox eſt enthuſiaſtæ alicuius vel ambitioſi ſectarii? Quæ manſuetudo, quæ puritas, in eius moribus! quæ gratia demulcens animos in inſtructionibus! quæ ſublimitas in diſcurſibus! quæ mentis præſentia! quæ ſubtilitas & quæ ſapientia in reſponſis! quod affectionum omnium imperium! ubi hominem illum, ubi ſapientem virum reperire eſt, qui noverit agere, pati, & mori ſine imbecillitate iuxta, atque oſtentatione? Quando Plato depingit iuſtum ſuum fictitium, opertum toto flagitii opprobrio, & dignum omnibus præmiis virtutis, ſecundum omnes lineas is IESUM Chriſtum exprimit: ſimilitudo tam eſt luculenta, ut in omnium Patrum oculos incurrerit, nec errori ullum relinquat locum. Quantis præiudiciis, quantave cæcitate occupatus ſit oportet, qui comparare auſit filium Sophroniſcæ filio Mariæ! Quantum unius ab altero diſcrimen! - - - Omnino ita eſt; ſi vitæ & mortis ratio in Socrate ſapientiam hominis loquuntur, vita & mors IESU Chriſti hunc eſſe DEUM evincunt. Sed forſan Evangelii hiſtoriam dicemus pro arbitrio confictam? Mi bone, non eſt is modus, quo res fingere ſolemus, multumque abeſt, ut facta Socratis, quæ nemo in dubium vocat, pari cum factis IESU Chriſti atteſtationum certitudine firmentur. Reapſe non eo ſolvitur, ſed convertitur duntaxat nodus, imo etiam difficilius eſt concipere, plures ex condicto homines fabricaſſe librum iſtum, quam ab uno confictum credere. Nunquam,

futu-

futurum erat, ut auctores Iudæi in iſtam dicendi rationem, aut in talia præcepta morum inciderent, inſuntque Evangelio Characteres veritatis tam vivi, tam perſpicui, tam omni imitationis arte & induſtria ſuperiores, ut maior in Poëtam inventorem, quam in heroem ipſum actorem talium, ſtupor & admiratio recideret. „ Non diffiteor Philoſophum noſtrum mox a ſapienti iſthac criſi ex Myſteriorum humana ratione altiorum horrore, quæ Evangelia proponunt, veluti in phreneſin quamdam recidere, & inveterato incredulitatis malo abripi: certum tamen ipſius tam pathetica & ſolenni confeſſione habendum omnino eſt, nec poëticæ inventionis, nec fraudulendæ ſuppoſitionis, ſuſpicionem ullam apud prudentem hominem cadere in Evangelia noſtra poſſe.

ARTICULUS II.

APOSTOLI ET EVANGELISTÆ, QUI VIVA VOCE ET SCRIPTIS EVANGELIIS AC EPISTOLIS CANONICIS DE DOCTRINA, VITA, MIRACULIS ET PROPHETIIS IESU CHRISTI TESTATI SUNT, NEC IMPOSTORES FUERE, NEC IPSI DECEPTI SUNT.

Oſtenſum eſt Artic. præc., teſtimonium ore ac ſcriptis Evangelicis Apoſtolos tuliſſe de IESU Chriſti vita, doctrina, miraculis, & prophetiis, & vero etiam fidem mox inveniſſe apud homines innumeros, Iudæos, paganos, Græcos, & Latinos in omnibus orbis tunc noti partibus; qui omnes in certas Eccleſias coniuncti & doctrinam IESU Chriſti ab Apoſtolis propoſitam recepere, & ſcripta Evangelica, ceu prorſus conſona cum inſtitutione Apoſtolica oretenus accepta, imo ceu opus ipſum

ipſum Apoſtolorum ac Evangeliſtarum manu exaratum, agnovere, quorum nominibus inſcribuntur: nec vero primitivas illas Eccleſias recipiendo Evangelia falli ullo pacto potuiſſe. Supereſt demonſtrandum, eosdem primos Chriſtianos, ab Apoſtolis edoctos, neque deceptos eſſe Apoſtolorum fraude aliqua, neque ex eo, quod ipſi Apoſtoli antea a Chriſto iam decepti fuerint. Verbo: oſtendam 1mo., *nec Apoſtolos decepiſſe fideles, teſtando de actis IESU Chriſti, ex deſtinata malitia, quod ipſi falſum eſſe probe ſciebant;* 2do, *nec ipſos deceptos eſſe ex imprudentia, cum vere ita contigiſſe omnia in Chriſto credebant ipſi, prout aliis teſtando enarrabant.* Quod ex his proxime inferemus, erit ſola *exiſtentia* vera eorum *factorum*, quæ probare intendimus, nimirum Chriſtum vere ea docuiſſe, ea patraſſe miracula, atque vaticinia edidiſſe ſecuto rite eventu prædicto, quæ nos ſupra cap. IV. & V. in argumentum proximum divinæ eius miſſionis ad religionem Chriſtianam revelandam attulimus.

§. 275.

Ut deceptio fraudulenta locum habeat, duo hæc requiruntur, primo, ut impoſtor ipſe fraudem dare intendat, deinde ut decipiendus eius aut inſcitiæ, aut cæcæ credulitatis, homo ſit, qui ſpectata fraudis indole dolum advertere par non ſit.

§. 276.

I. *Probandum* ergo *invictis rationibus* 1. *nec primos Chriſtianos tam fuiſſe aut rudes, aut credulos, ut decipi in cauſſa atteſtationis Apoſtolicæ potuerint:* 2. *nec Apoſtolos tam impios, ut decipere voluerint:* 3. *neque hos rurſum tam imperitos item ac credulos, ut a Chriſto deceptos ipſosmet fuiſſe ſuſpicari poſſimus:* 4. *multo*

multo minus IESUM Chriſtum tam impium, ut ipſe ficta pietate & ſpuriis prodigiis ac vaticiniis eis illuderet : 5. *demum ne ipſum quidem IESUM Chriſtum decipi, aut enthuſiamo ſtolido, aut fraude diabolica involvi potuiſſe.*

II. *Ex hiſce capitibus plene probatis evidens erit conſecutio, prodigia & vaticinia, a Chriſto in confirmationem doctrinæ & miſſionis ſuæ divinæ edita, vere divinitus eo fine contigiſſe, atque adeo revelationem IESU Chriſti prorſus divinam eſſe.*

§. 277.

Primi Chriſtiani nec de credulitate, nec de rudi imperitia, ſive in temere recipienda IESU Chriſti religione, ſive in recipiendo Apoſtolorum primorumque Magiſtrorum ſuorum teſtimonio, ullo pacto ſuſpecti eſſe poſſunt. Demonstratur Pars I. *circa credulitatem.* Iſtam ſuſpicionem capita ſequentia prorſus a primis Chriſtianis ſecundum omnis ſani hominis iudicium amoliri debent, videlicet 1. ratio doctrinæ, quam receperunt, 2. ratio perſonarum, qui eam prædicabant, 3. auctoritas & multitudo adverſantium eius receptioni verbo & factis, 4. ipſa multitudo hominum eam recipientium ex omni natione, conditione, ſexu, ſtatu, ætate &c. 5. heroicæ virtutes & vitæ ſanctitas, quæ in primis Chriſtianis ex recepta Chriſti religione ſunt conſecutæ, 6. Martyrum innumerabilis multitudo & conſtantia, qui ultima pro eius fide tulerunt. Singula per tranſennam meditari iuvat. *Doctrina* quænam erat, amabo, quæ primis Chriſtianis, Iudæis partim, partim paganis, recipienda proponebatur? Videlicet univerſæ hominis naturæ, ſpiritui non minus quam carni, e diametro adverſans. Iudæus religioni, quam velut certo divinam, & unicam gentis

gentis ſuæ gloriam, intimis animis imbiberant, paganus vitiorum omnium licentiæ, momento renuntiare iubebatur. Quinam autem erant illi *Magiſtri huius religionis novæ?* Homines de plebe, nulla nobilitate, nulla officii dignitate, nulla ſcientia, nullo in rempublicam merito adhuc conſpicui, pauperes, & omnium egeni, quin & a Magiſtratibus Iudaicis publico virgarum ſupplicio affecti. *Adverſarii* iſtius novæ religionis erant omnes ferme Principes & Magiſtratus ſacri & profani, Philoſophi, & omnes mundi ſapientes. His autem inſuperhabitis *quantus* fuit *numerus Chriſtianorum*, qui vel ſola Apoſtolorum ætate huic religioni ſubſcripſere? Quanta rapiditate in omnes orbis partes & regiones illa eſt propagata? Quid Apoſtolorum ætate effectum ſit, ſupra dictum eſt §. 216. De ſeculi ſecundi fine atteſtantem audi Tertullianum in Apologet. ad Provinciarum Rectores ſcripto, quos fallere in hac parte inani oſtentatione ridiculum & huius ſcriptoris characteri non ſane conveniens fuiſſet. Sic autem cap. 37. poſtquam iniuſtiſſimum inſectandi Chriſtianos modum illis rectoribus exprobraſſet, porro ſcribit: *ſi malum malo diſpungi penes non liceret; - - ſi hoſtes extraneos, non tantum vindices, occultos agere vellemus, deeſſet nobis vis numerorum, & copiarum? Externi ſumus, & veſtra omnia implevimus, urbes, inſulas, caſtella, municipia, conciliabula, caſtra ipſa, tribus, decurias, palatium, ſenatum, forum. Sola vobis relinquimus templa. - - Potuimus & inermes, nec rebelles, - - ſolius divortii invidia adverſus vos dimicaſſe. Si enim tanta vis hominum in aliquem orbis remoti ſinum abrupiſſemus a vobis; - - procul dubio expaviſſetis ad ſolitudinem veſtram, - - quaſi mortuæ urbis reliquias quæſiſſetis, quibus in ea imperaretis. Plures hoſtes quam cives vobis remanſiſſent. Nunc enim pauciores hoſtes habetis præ*

Digitized by Google

multitudine Chriſtianorum pæne omnium civium, At enim ad ſpeciem forte ſolum primi Chriſtiani, vel ad vanam oſtentationem, religionem tam arduam ſuſcepere? Quin admireris oportet, ô Theiſta, vel nolens, *heroicas* illorum *virtutes*, quas religionis ſuæ publice profitendæ, & opere ipſo exercendæ cauſſa, in ſumma & illius & iſtarum ipſarum contemtu atque ignominia media inter paganorum flagitia eos exercuiſſe legis, non in ſolis Apoſtolorum actis, ſed in Apologiis primitus pro defenſione Chriſtianorum editis, puta in Apol. I. Iuſtini Martyris, in Apologia Athenagoræ, in Tractatu de fatis a Bardeſane ſcripto, in libro II. Stromatum Clementis Alexandrini, & præcipue apud Origenem contra Celſum lib. I. & III. Audi hunc ultimum l. I. loc. cit. vel eius certe Synopſin dictorum ex Fleurio hiſt. T. II. l. 7. §. 18. quia Origenem ipſum ad manum non habeo. *Mirabilis prædicationis Evangelicæ effectus*, inquit Origenes, *eſt morum converſio. Siquis homines centum ex laſcivis caſtos, ex iniuſtis æquitatis amantes, ex DEI contemtoribus pios effeciſſet, id ſine vi aliqua divina vix fieri potuiſſe crederetur: quid igitur dicendum, quid ſentiendum de tanta Chriſtianorum multitudine; qui, poſtquam fidem amplexi ſunt, quam gentiles eſſe nequitiam putabant, ex impiis optimi, ex perverſis probiſſimi facti ſunt? quis non miretur, homines ab idololatria vix converſos continentiam perfectam, & quidem in omnibus mundi partibus ſectari?* (id ipſum Iuſtinus in Apol. I. teſtatur) *non eſt enim ſub ſole natio, ad quam fidei chriſtianæ lux non pervaſerit.* - - l. III. *Conventus Chriſtianorum mundi lumina dici poterant. Quis enim negare poſſit, peſſimos noſtræ Eccleſiæ, quorum numerus in comparatione bonorum parvus eſt, illis, ex quibus populi gentilis conventus conſtat; eſſe meliores? Eccleſia Chriſtianorum, quæ e. g. Athenis eſt, homines*

manſue-

Digitized by Google

manſuetos & pacis amantes exhibet, DEO per omnia placere cupientes; at civium Athenienſium, Chriſtum neſcientium, conventus ad ſeditiones ſunt promiſſimi, & in omni virtutum genere Chriſtianis inferiores. Eadem diverſitas Corinthi, eadem Alexandriæ. - - Quiscunque ſepoſito pravo mentis affectu rem voluerit conſiderare, non ſine maximo admirationis affectu quæret: cui hominum ad tantam mutationem orbi inferendam animus ſufficere potuerit; & intelliget, Chriſtianarum Eccleſiarum inſtitutionem opus eſſe plane divinum. Eodem modo ſi ſenatum Eccleſiarum cum uniuscuiusque civitatis profano ſenatu in comparationem vocaveris, facile diſpicies, Senatores Eccleſiaſticos viros eſſe digniſſimos, qui electo DEI gregi præſint: contra Senatores civiles nihil ordine ſuo dignum moribus præferre, nec quidquam in eis eſſe, quo ſupra civium vulgus emineant. Si inter Chriſtianorum Epiſcopos & urbium Prætores comparatio inſtituatur, Epiſcopos noſtros & presbyteros etiam tepidiſſimos, & a perfectionis Chriſtianæ culmine remotiſſimos, morum ſanctitate longiſſime Magiſtratus veſtros antecellere apparebit. Adde demum *Martyrum innumerabilem catervam*, tormentorum ultimam acerbitatem, non raro diuturnitati non mediocri coniunctam. Adde abſentiam omnis ſpei de ullo lucro præſente, aut ſolatio ad huius vitæ ſenſum atque terminum pertinente. Putasne, quisquis incredulorum de turba es, quibus ſua cutis tam mirifice cara eſt; qui fortaſſis hoc uno obice in affectata illa incredulitate firmaris tua contra veritatem pleno lumine oculis ingruentem; putas, inquam, tantum fidei obſequium, tam conſtans, tam invictum, ex cæca credulitate naſci in tanta hominum tam diverſorum copia potuiſſe; quin aut intimam mentis convictionem, aut potentius adhuc intus agentis divinæ virtutis cuiusdam robur pro ſtimulo habuerit?

Demonstratur Pars II. *circa ruditatem primorum Chriſtianorum.* Nimirum neque vulgo tam rudes fuere omnes, qui primo Apoſtolis IESUM Chriſtum prædicantibus adhæſere, neque, ſi maxime rudes fuiſſent, ob rei evidentiam in ipſos incurrentem ſenſus, tamen decipi haud facile potuiſſent. 1. Atque inprimis, an tu, homo incredule, rudis & inconditæ ſimplicitatis accuſabis omnes illos heroes Chriſtianæ virtutis & conſtantiæ, quorum ſapientiam in moribus ipſi pagani, fortitudinem in tormentis tyranni ipſi, palam obſtupuere? Aut num de plebe ſolum turma quædam imperita IESU Chriſto & eius Apoſtolis eſt adſtipulata? An rudium hominum tibi nomina ſunt Nicodemus, Ioſephus ab Arimathæa, Gamaliel, Marcus & Lucas Evangeliſtæ (qui duo nunquam ipſi IESUM, ſed Apoſtolos tantum audivere) S. Dionyſius Areopagita, S. Titus, S. Timothæus, S. Clemens Romanus, S. Ignatius Martyr, S. Polycarpus? Lege iſtorum poſteriorum Epiſtolas, lege Quadrati & Ariſtidis vel fragmenta Apologiarum, quæ ſuperſunt; lege ſcripta eorum, qui Apoſtolos proxime ſunt ſecuti, puta Iuſtini M., Irenæi, Arthenagoræ, Tatiani, Bardeſanis, Clementis Alexandrini, Origenis, Tertulliani, & vide, utrum alios ſcriptores cœleſti ſapientia uberius inſtructos tota anteriore mundi ætate inter homines (ſolis Iudæorum Prophetis exceptis) invenias. Itane vero? Omnes illi, qui tanta in cœcitate tamque inveterata omnium ceterorum gentilium ſoli guſtum habuere cœleſtis illius ſapientiæ, quæ in omni doctrina & vita IESU Chriſti, lumine ante id ætatis univerſo orbi non viſo, reſplendet; iſti, inquam, ad unum omnes fungi, bardi, ſtupidi, & obtuſæ naris homuli tibi videntur? Sed vide ſis, quos tu ſimul, & quam magnos viros eadem criſi

criſi tua & pari ſupercilio involvas. Profecto enim aut eadem ipſa ſinceritatis & veritatis Apoſtolicæ indicia, aut multo etiam minus lucida, omnibus viris illis maximis etiam deinceps ſuffecere ad parem aſſenſus firmitatem erga illorum teſtimonia exhibendam, quorum ingenti copia omni tempore Chriſti Eccleſia inter omnes gentes & in omnibus mundi provinciis abundavit. Certe ſi non minora, minime profecto maiora credendi argumenta habuere, qui poſt ſecuti ſunt Chriſtiani, quam qui primi omnium credidere. 2. Sed num denique tanto acumine erat opus ad plenam evidentiam teſtimonii Apoſtolici tota mente complectendam? An ergo de rebus tam abſtruſis, de ſubtilibus quæſtionibus, aut perplexis ænigmatis agebatur, quorum intellectio magna ingenia, multum literarum & bonarum artium apparatum, & profundas meditationes poſtulabat? Apoſtoli numero duodecim, viri boni, prudentes; & nullius doli capaces, primo Ieroſolymis IESU Chriſti reſurrectionem a mortuis atteſtantur, dicentes, illum frequenter oculis a ſe viſum, ac per dies continuos quadraginta ſecum converſatum eſſe: his quingenti omnino diſcipuli, eiusdem viſionis teſtes oculares adſtipulantur (I. Cor. XV. 6.). Summi Sacerdotes, etſi mortis Chriſti auctores, quique initio ſparſerant, furto a diſcipulis ablatum corpus illius e ſepulcro, non audent ſeſe eis opponere. Ex Iudæis in die Pentecoſtes Ieroſolymæ præſentibus ſunt innumeri, qui IESU Chriſti prodigia plurima & primi ordinis ſe quoque ipſos aſpexiſſe oculis teſtantur; alii audiviſſe ſe eundem affirmant, cum reſurrecturum ſe a mortuis palam prædiceret: Apoſtoli demum ipſi quoque novis prodigiis, publice editis, in oculos ipſos incurrentibus, teſtimonia ſua confirmant, omnium gentium linguas

 palam

palam in præſentia innumerabilis populi loquuntur; Petrus & Ioannes in aſcenſu ad templum claudum ab utero matris, omnibus Ieroſolymitis bene notum, uno verbo erigunt (Act. III.); Petrus innumeros alios infirmos ſanat (Act. V); omnes ſimul Apoſtoli vitæ ſanctimonia inſigni, heroicis virtutum exemplis, & inter adverſa admirabili conſtantia doctrinam ſumme arduam Magiſtri ſui ipſo opere exequuntur. Iam ego illud incredulos interrogo; quanta demum ſubtilitas ingenii requirebatur, ut, num id genus teſtes vera dicerent, diſpicere ſatis primi chriſtiani poſſent; An ad Apoſtolorum & IESU Chriſti ipſius prodigia dignoſcenda oculorum propriorum teſtimonium non ſufficiebat? An minus uſu ſenſuum indoctus ruſticus quam eruditus philoſophus pollet? Num ad facta publica a Chriſto edita credenda, quæ item ſub innumerabilium hominum oculis contigerant, conſentientia innumerabilium ocularium teſtium teſtimonia haud ſatis erant? Num fraus, ſiqua ſubeſſe poterat, non facillime detecta fuiſſet? Imo num etiam locum habere dolus potuit? Quid vero etiam circa prophetias, quas ex ore IESU Chriſti item Apoſtoli de interitu propinguo Ieroſolymæ & totius gentis Iudæorum publice vulgaverant? Cum eas ad amuſſim poſtea impletas ſecundum omnia adiuncta viderent; an dubitare de illarum genuina origine & divinitate poterant? Edic ergo, quid vel acutiſſimus Philoſophus ad credendum miraculum aut vaticinium iure amplius requirat; quam ut hominem, quem cœcum, claudumque, a pluribus annis quotidie oculis ſuis viderat, quem mortuum intuebatur ad tumulum iam efferri, eundem ipſum iisdem oculis videat momento ſanum, & vivum, nullo alio remedio quam pauculis verbis adhibitis? quam ut vaticinium e-

ventus

ventus omni ſuperioris hominum coniectura quis ipſe auribus excipiat, cum multis adiunctis ſingularibus affirmate editum, poſtque idem ad amuſſim & ex integro videat completum? An adeo eſt difficile dignoſcere, verene quis claudicet, cæcus, mortuus ſit? verene reſtitutos oculos, ſana membra, vitam receperit? an vere tota urbs everſa funditus? Hem! ut undequaque carioſa accuſatio illa ſit, qua increduli noſtri inconditæ cuidam ruditati primorum Chriſtianorum celerem illam lateque diffuſam Evangelii Apoſtolici propagationem tribuunt. Hem! ut non ſolum pro rudibus & indoctis, ſed pro ſtolidis etiam, pro lunaticis, pro mente motis, omnes illi primi Chriſtianæ Eccleſiæ heroes habendi ſint; ut ſaltem ſpeciem aliquam iſtiusmodi obiectio habere poſſit. Fateamur ergo, non niſi impudenti temeritate primos Chriſtianos ſeu improvidæ credulitatis, ſeu rudis imperitiæ, ob receptum tam communi ſtudio teſtimonium Apoſtolicum & ipſam IESU Chriſti fidem accuſari.

* At cur tamen, *inquiunt*, cur comparate ad eam Chriſtianorum multitudinem, qui vivis etiamnum Apoſtolis Chriſti fidem receperunt, tam pauci viri nobiles, & ſapientia ac doctrina conſpicui, eandem religionem recepere? Si tanta fuit argumentorum, quæ Apoſtoli attulere, certitudo, imo evidentia; videtur captu perdifficile, non univerſos, ſummos æque atque infimos, totis animis in eius amplexum ruituros fuiſſe. *Reſpondeo.* De Iudæis loqueris, an de paganis? De primis infra plene reſpondebo §. 288. ubi ſimilis obiectio adverſus fidem ipſi IESU Chriſto ab Apoſtolis habitam recurret. Quod ad paganos attinet: compara, quæſo, & compone Principum & ſapientum id ætatis vitæ rationem cum doctrina & religione a IESU Chriſto tradita; perpende indifferentiam illam communem animorum circa res religionis univerſas; attende vitii pu-

blicam libertatem & dominationem; ad magorum inſuper & ſacrificulorum vulgatas fraudes etiam ex parte reflecte, opinionem illam de vanitate omnis revelatæ religionis in prudentum animis vulgo apprime confirmantes; adde deſpectum Iudaicæ nationis, & quidquid ab ea veniebat, in eo de lapſu reipublicæ eorum maxime apud potentiores Romanos ætate Apoſtolorum IESU Chriſti paſſim invaleſcentem: & cauſſam iſtius rei, quam quæris, quoad *ex parte hominum* ſe habet, facile intelliges. Adiunge vero & aliam *ex parte DEI*, nec dignos tanto beneficio æſtimantis homines ex aſſe terrenos & terræ felicitatibus prorſus ebrios, & iſtud cæcitatis genus eo ſapientiſſimo conſilio permittentis; ut ex magnitudine operis in propagatione Chriſtianæ religionis æque ac ex imbecillitate inſtrumentorum, nulla humana poteſtate aut ſapientia adiutorum, imo utraque hac vel maxime obnitente tantum opus tantis ſucceſſibus molientium, DEI Omnipotens manus, ipſos animos hominum in rebus maxime arduis pari arbitrio vertens, eo magis conſpicua redderetur, nec iſtud totum eſſe hominum, ſed DEI opus, apertiſſime intelligeretur. Profecto quemadmodum Chriſtus non potentes homines ac ſapientes, ſed pauperes & rudes pro Apoſtolis elegit; etſi pari utique facilitate Caipham aliquem, vel Herodem, miraculorum & internæ vocis ſuæ potentia ad ſui ſequelam, ac Matthæum a telonio, vocare poterat: ita dignius ſua omnipotentia etiam deinceps iudicavit, per medias Regum & ſapientum mundi inſectationes & ultima opprobria, quam per iſtorum favorem, potentiam, vel ſapientiam toto orbe propagare: quia alia ſunt videlicet conſilia DEI quam hominum. Sed ne inſiſtamus pluribus præſentis §. aſſertioni ſtabiliendæ, cuius evidentia ex mox ſeqq. §§. multo apertius illuceſcet; prout ipſi obſervaturi ſumus §. ſeq. not. 1. & not. 2.

§. 278.

§. 278.

Nulla prorſus ſuſpicio fraudis deſtinato conſilio adhibitæ in IESU Chriſti Apoſtolos cadere poteſt, ſed ſine omni dolo & optima fide de IESU Chriſti doctrina, vita, miraculis, & vaticiniis verbo & ſcripto teſtimonium tuliſſe, omni evidentia, quæ in eiusmodi factis locum habet, omnino certum eſt. Demonstratur 1. illos adeo *non voluiſſe* decipere, 2. ut *nec* ullo modo *potuiſſe* videantur.

I. *Decipere non voluerunt Apoſtoli,* 1. quia non modo nulla lucri ſpe, ſed ſummo ſuo incommodo teſtimonii iſtius ferendi vices ſuſcepere: 2. quia ſumma ſimplicitate, 3. ſumma item ſapientia in eo ferendo uſi ſunt: 4. quia excellenti vitæ ſanctimonia, 5. ac demum morte in tormentis acerbiſſimis exantlata, teſtimonii ſui fidem confirmarunt. Singulis his capitibus ſuam affundere lucem, quam merentur, & quoad poſſumus, allaboremus. Primo itaque *nulla uſpiam lucri ſpes* aut ſpecies apparet, qua illecti Apoſtoli, fraude tam enormi imponere orbi voluiſſe, videri queant. Nimirum in magnis flagitiis cuiquam ex levibus indiciis imponendis ſemper illa Ciceronis quæſtio locum habet: *cui bono?* Atqui non alio quam ſolius veritatis ac DEI gloriæ impulſu moveri Apoſtoli in toto muneris ac laborum ſuorum decurſu poterant; omniaque cetera eorum mere humana emolumenta poſtulaſſent, ut a teſtimonio de IESU Chriſti fide & factis ferendo abſtinerent. Non fuit unquam heroi alicui propoſita executio conſilii nobilioris, nec magis ampli, aut magis ardui, nec ſimul maioribus animis ſuſcepta. Neque enim quid minus Apoſtolos concepiſſe animo evidens eſt, quam reliquis omnibus, quæ totum implebant orbem, ſuperſtitionibus everſis, ſolius DEI veri cul-

tum, ab ipſo eius Filio IESU Chriſto traditum & inſtitutum, ubivis locorum ſtabilire. Quid vero in huius expeditionis toto decurſu aliud expectare pro mercede poterant, quam ſummum opprobrium, atque ultimam miſeriam, cum vitæ exitu adhuc triſtiore? Poterantne aliud ſibi quisquam a Iudæis & paganis polliceri; cum illis quidem prædicarent crucis ſcandalum, id eſt, hominem illum, quem ipſi ſuſpenſum in patibulo ut malefactorem peſſimum paulo ante occiderant, pro DEO adorandum, omniaque ipſorum privilegia ad gentes incircumciſas transferenda eſſe edicerent: iſtis vero annuntiarent, niſi DEUM crucifixum colerent, atque una ſe ipſos cum omnibus ſuis vitiis crucifigentes, idolis iuxta atque vanæ ſapientiæ, ac voluptatibus renuntiarent, æternum felices reddi omnino non poſſe. Interea illi tantis animis, tanta alacritate, ad tam arduum opus ſe accingunt, tanta in eo conſtantia ad finem uſque vitæ perſeverant; queis maius nihil in ullis Romanorum heroibus licet obſervare. In perpetuis laboribus, vigiliis, itineribus, periculis, in fame, & nuditate, in ſummo rerum omnium defectu ita, ut alii in ſumma fortuna & omnibus vitæ proſperitatibus, verſantur, atque ſemper exultant. Vide Epiſtolæ Pauli ſecundæ ad Corinthios caput VI. & XI. Et quid demum ipſimet mercedis propoſitum habent, quod tantis relaturos ſe conatibus, & toleratis miſeriis, expectant? Si ipſosmet audias; præter alterius vitæ æternam gloriam in præſente aliud admodum nihil niſi graves ærumnas; quas uti ſibi a Magiſtro ſuo certiſſime prædictas affirmant, ſic & ipſi præter has aliud in hac vita nihil ſuis ſectatoribus promittunt. Iam vero ubinam tu homines iſtam inſanire inſaniam invenias, ut collata opera ad inveniendas & palam prædicandas id genus

nus

nus fabulas ſumma conſtantia conſpirent, quas pro certo ipſi habeant ſibi ultimi omnis mali infallibilem originem futuras?

Quæ vero *ſinceritas ſimplicitasque* maior vel cogitari poteſt ea, qua Apoſtoli in hoc ſuo negotio perpetuo utuntur? Haud dubie in hiſtoria Evangelica & Epiſtolis ſe ipſos graphice expreſſerunt. Quis non in corde illorum ipſo legere ſibi videtur ea, quæ literis exararunt? Tales homines annuntiantes IESU Chriſti facta quicunque coram viderit, qui auſcultarit; nonne ſinceritatem maxime germanam ſibi auſcultare ipſam videri debuit? Nulla uſpiam utuntur arte, nihil involvunt, excuſant atque exaggerant nihil, imo ne probare multis res alioquin publice notiſſimas operoſius curant. Narrant ingenue ſuos ipſorum defectus, imbecillitates, perfidias, ignorantias, & abiecti animi timores. Quin nec carnis infirmitates, & opprobria, ipſius Magiſtri ſui maiore reticent cautela; nihil ſolliciti, ne iſtius magnitudini ac gloriæ præiudicent. Famem, laſſitudinem, timorem mortis, anguſtias, fletum, imo ſudorem ſanguineum, pari ſermonis ſimplicitate iuxta ac ſecuritate, atque ſumma prodigia & maxime luculenta Divinitatis eius argumenta prædicant. Neſciunt hiſtoriam ſcribendi artem, nec rerum, nec temporum ordinem tenent: non ſe adverſus diffidentiam lectorum uſpiam muniunt; ſed res maxime inſolitas, velut omnium ore pridem traductas, ſine probatione recenſent, certi ex prodigiorum magnitudine, quæ publica fuerunt, ſufficientem fidem iis quoque accedere, quæ maxime occulte & intra privatæ familiæ parietes contigiſſe inter cetera enarrant. Hic cautelæ neglectus tantum profecto abeſt, ut fidei illorum noceat, ut potius ſummum

mum pondus addat. Ceterum quoties de IESU Magiſtro ſuo ſermonem inferunt, id ea faciunt verborum emphaſi, teneritudine, & affectus abundantia, ut de animorum devotione propria non convincant modo, ſed etiam ſimilem legentibus inſpirent.

Sinceritatem iſtam *ſumma* ſimul *ſapientia* ubique comitatur, & ab omni nimiæ ac rudis cuiusdam ſimplicitatis ſuſpicione eximit. Nova ſunt omnia in illorum doctrinis, & cum nil minus eſſe videantur quam philoſophi, tamen novæ ſuæ philoſophiæ lumine omnes Græciæ & Romæ philoſophos, qui Magiſterium ſibi præ ceteris arrogarunt, infinitis, ut ita dicam, paraſangis ſuperant. Quis enim fuit unquam ex omnibus ſapientibus, qui hos præceſſere, qui unquam ſimile quid ac tam excelſum de natura DEI, aut quid tam conſentaneum cum natura hominis, cum recta ratione, cum ſtatu hominis, cum vitæ ſocialis officiis atque neceſſitatibus proferret? Nihil laborioſius iugo, quod imponunt, nihil magis arduum præcepto abnegandi ſenſus omnes, renuntiandi plerisque ſuis affectionibus, ignoſcendi inimicis, amandi omnes homines nullo diſcrimine, & ſine exceptione. Mox tamen atque iugum iſtud ſerio ſubire velis, & inſtitutionibus iſtis conſtanter obedire, continuo tranquillior, magis ſapiens, magis contentus & felicior evadis, ſic ut iugum iſtud non tam oneret, quam allevet, non tam deprimat, quam animet, non tam fatiget, quam confortet eos, qui illud portant. Nihil certius, quam doctrinam illorum, ſi eidem vita hominum conſentiret, a quovis homine omne flagitium, & ab orbe univerſo diſcordiam, bellum, turbas, prava exempla, & cuncta mala penitus proſcripturam. Oſtende ſis, amabo,

Digitized by Google

bo, vel unicum ex ſapientiſſimis illis antiqui ævi legislatoribus, qui Apoſtolis noſtris tantum ingenio & talentis naturæ ceteris præſtitere; oſtendeſis, inquam, vel unum, qui hac in parte cum eis venire in comparationem poſſit. Omnis quoque Philoſophia aliud conſequi ad id tempus nondum poterat, quam ut unam affectionem ſacrificare alteri doceret, ſuperbiam amori voluptatis, quemadmodum in Epicureis, aut voluptatis illecebram ſuperbiæ, ut apud Stoicos. Apoſtoli noſtri contra, tam ſimplices & expertes omnium literarum, ſoli dedere hominibus præcepta, quibus & in hac vita plane ſapientes ac felices redderentur, & dignos ſe inſuper æternæ beatitudinis, a DEO præmii loco largiendæ, certiſſime eſſent effecturi.

Accedit ad hæc *vitæ ſanctimonia conſummata* prorſusque heroica in hominibus, qui omnem iuventutem ſine educatione, ſine cultu, antea transegerant. Non maiora verbis, quam exemplis, docuere. Vide, quales ſe ipſos in Actis Apoſtolicis, & maxime in Epiſtolis ſuis depinxere. Num aliud quam ſummam in DEUM religionem, & perfectiſſimum amorem ſpirant? Ut totos ſe eius voluntati atque gloriæ ſacrificant! ut amore ſalutis humanæ æſtuant! ut nihil poſt DEUM anhelant præter iſtam! ut terrenis rebus omnibus mirifice ſuperiores ſunt, iucundis æque & acerbis, ut omnis humani timoris æque ac ſpei expertes, tranquilli, ſibique ipſis & heroicæ per omnia virtuti conſtantes! ut mori æque ac vivere ad DEI nutum parati! Lege vel unum Pauli locum ad Rom. VIII. 35. *Quis nos ſeparabit a caritate DEI* &c.&c.

Demum poſt orbem Evangelii ſui non modo fama impletum, ſed obſequio ſubiectum, poſt expe-

ditionem, qua nulla ſuſcepta unquam glorioſius, nec felicius peracta, omnes teſtimonio IESU Chriſti *ſanguine & vitæ iactura* ſubſcribunt, inter ultima ſupplicia certiſſimum in cœlos triumphum adornantes.

Iam vero tu iſtam Apoſtolorum IESU Chriſti imaginem, quæſo, cum idea impoſtorum, deſtinato conſilio credulis hominibus imponentium, compone, ſi potes. Siqua tamen adhuc certa fraus locum in eis habuit, næ illos totos quantos Atheos, totos quantos ex aſtutia, ex ingenio, iuxta atque ex mero flagitio fuiſſe compoſitos, imo fraudem & flagitium ipſum totos quantos fuiſſe, neceſſe omnino erit? Aut quî fieri ſecus poterat, ut tam effrons ſimul ac nefandum conſilium, nullius lucri ſpe quam vanæ delectationis cauſſa ex felici fraudis ſucceſſu, ſuis animis conciperent? quî fieri poterat, ut eorum frons iuxta, ac ſermo, & vitæ modus omnis ſibi perpetuo, & tam diu, & in tam diverſis fortunæ caſibus conſtaret? Fierine poteſt, ut fraus ſumma & flagitium eundem continuo cum virtute vultum induat, & per omnem vitam, & quidem in pluribus ex compoſitis agentibus, ac per multa annorum luſtra, citra diſcrimen ullum conſervet ad finem uſque? Num componi ſaltem illa doctrinæ iuxta atque vitæ ipſius ſapientia cum ſtoliditate inconſulta poteſt, qua impudentiſſimum, ſi fraude egerunt, conſilium exequendum ſuſcepere? An componi hæc ipſa agendi ſtoliditas poteſt cum felicitate ſucceſſus, quem reipſa habuere? Poteratne ſtolidius quidquam cogitari, quam fraudis tam infamem telam eo ipſo loco poſt dies quinquaginta auſpicari, quo ipſe eius Magiſter ſuper patibulo illius conceptum ſimile conſilium luere debuerat. Qua fiducia ſe ipſi

iuratis

iuratis eius hoſtibus, ſummis Pontificibus, omni ſine cautela obiiciunt? qua prudentia fictis prodigiis confidunt, quæ tam parum profuiſſe Magiſtro ſunt experti? An non denique ex magnis iam factis progreſſibus fortunam ſuam ſtabiliendam ſuſcipere debuerant? cur Paulus demum pro DEO ſe tanta proteſtatione interpoſita haberi vetat? Quem enim alium tot fictorum prodigiorum ſcopum habere poterat? Hem! ut omnia pugnant inter ſe, ſi fraude egiſſe, ut contra conſentiunt & congruunt ſibi omnia in Apoſtolis noſtris, ſi non niſi ex veritatis ſtudio & probatiſſima virtute geſſiſſe omnia, ſupponas.

* Reflexionem iſthic unam aliquam liceat interponere, qua §. 277. dicta mirifice firmantur. Primi Chriſtiani, qui fidem Apoſtolis præbebant, anne poſt tanta eorum ſinceritatis & bonæ fidei indicia fraudem ſuſpicari ſalva propria conſcientia adhuc poterant? An ſine argumento ullo potius pro extremæ nequitiæ impoſtoribus habere eos condecebat, quam tam luculentam illorum ſanctimoniam, ſapientiamque, ſimplicitati maxime ingenuæ coniunctam, ſummopere admirari? Anne vaniſſima Philoſophorum id ætatis ſupercilia, an Sacrificulorum ſuperſtitiones, an magnatum ſuperbia, an ſumma vitæ licentia, quæ in omni hominum conditione & religione tunc graſſabatur, maiorem apud fidem (ſi magnopere vellent ſapere in negotio ſalutis) auctoritatem habere certioremque fidem promereri debebant? Num vero genus ſapientiæ prorſus ſingularis fuit, quod iſtis omnibus inſuperhabitis, ac ne abiectæ quidem conditionis ratione habita eorum, qui veritatem omnibus ſuis inſignem characteribus prædicabant, ac mille demum carnis propriæ obſtaculis ſuperatis, victas virtuti & veræ ſapientiæ manus darent?

II. Sed

II. *Sed neque poterant Apoſtoli decipere*, ſi voluiſſent etiam. Cur autem? 1mo. Quia non niſi facta maxime publica, & recentia, maximique momenti, atteſtabantur, in quibus facillime redargui falſitatis poterant, & redarguendos ſe re ipſa indubitato noverant. 2do. Quia prodigiis & vaticiniis fraus haud omnino ſubeſſe poterat, quibus fidem ſuis teſtimoniis æque palam & in omnium oculis in dies faciebant.

Itaque *primo* facta, quæ Apoſtoli de IESU Chriſto atteſtabantur, eiusmodi erant, ut non magis publica; magis recentia, omniumque oculos in ſe & attentionem rapientia eſſe poſſent. *Publica* erant, & coram oculis mille teſtium, non ruri ſed in præcipuis civitatibus Iudææ, non intra obſcuras domos, ſed in foro, in templo, in locis publicis patrata. *Recentia* erant; quia non niſi ſeptem hebdomades inter IESU Chriſti mortem & inter primam Apoſtolorum prædicationem publicam interfuere. *Non longe erant petita*, ſed in ipſa urbe Solyma, & Iudæa, omnia contigerant, ibidem nimirum; ubi primum ab Apoſtolis nuntiabantur. *Facta erant ſingularia* & maximi ad communem ſalutem momenti, ſive *ſecundum naturam ſuam* ſpectarentur, ſive *ſecundum finem*, cuius cauſſa fuiſſe patrata dicebantur. Prodigia omnem naturæ modum excedentia de Chriſto affirmabantur, quæ in teſtimonium Divinitatis ſuæ, atque, quod is verus eſſet Meſſias, a DEO ipſorum patribus promiſſus, & a natione tota per tot ſecula tam ardentibus votis expectatus, ab ipſomet patrata fuerint: quorum tamen non aliam a gente ſua, quam mortis iuxta acerbæ & infamis mercedem is retulerit. *Num vero auctor ipſe talium ignotus eſſe Iudæis poterat;* aut ſi fuit, num talis deſcribi pruden-

ter

ter poterat, qualem reipſa Apoſtoli in omnibus Iudææ oppidis depingunt? An Iudæi Samariæ, Syriæ, Macedoniæ, Aſiæ totius, Ieroſolymis haud præſentes fuerant in illo Paſchate, ſub quod IESUS crucifixus fuerat? An nihil de tantis prodigiis debuerant audire? Atqui tamen Apoſtoli mox ab eius cæde palam in media Ieroſolyma, ac tum per totam Iudæam, Aſiam, & Europam, illa prædicant. Fruſtra Pontifices & Magiſtratus illis ſilentium imponunt de factis memorandis, quæ ipſimet non audent inficiari. Fundant Apoſtoli in ipſis Ieroſolymis Eccleſiam, idem Antiochiæ, Epheſi, Corinthi &c. &c. faciunt. *Nemo unus falſi illos arguit.* Carceres quidem eis a ſummis Sacerdotibus & virgarum publica ſupplicia intentantur, niſi ſileant; at fraudis criminatio nuſpiam auditur. Ipſi hoſtes IESU Chriſti, tum Iudæi, populares eius & coætanei, tum pagani fama conſentiente publica convicti, uti *Celſus (in diſcurſu de veritate* anno 125. edito contra Iudæos & Chriſtianos) & Hierocles anno 303. (vide Euſebium in libro contra Hieroclem) & Iulianus ipſe apoſtata circa ann. 363. (vide S. Cyrillum in l. I. contra Iulian. & S. Auguſtinum libro de vera religione) etſi magiæ, non divinæ virtuti, Chriſti miracula ex invidia attribuerent; tamen negandi eadem conſilium concipere ne mente quidem audebant: adeo conteſtata publica omnium conſenſione fuerant. Tantam vero *mentiendi libertatem plenamque impunitatem an ſperare etiam Apoſtoli noſtri poterant?* Num ſummorum Pontificum ipſiusque populi Iudaici parum intererat, famæ publicæ occurrere de tantorum prodigiorum auctore a ſe nefarie & per ſummum ſcelus (ſi vera dicerent Apoſtoli) occiſo? Cur ergo nihil uſpiam ad eos fraudis convincendos movent? cur dolum fateri publice, tormentis ſaltem

ad eam confeſſionem extorquendam expeditis, ne unum quidem illorum urgent acrius? Sed nimirum fruſtra ſe pugnare contra homines ſentiebant, altiore virtute munitos.

Signis nempe (*ſecundo*) Apoſtoli fidem ſui teſtimonii ubique locorum firmabant, quæ & ipſa in oculos incurrebant innumerabilis hominum multitudinis, nec minus naturæ leges quam Magiſtri prodigia ſuperabant, quæ ipſi atteſtabantur. Num forte primi Chriſtiani ſuis haud ipſi oculis ac ſenſibus fidere, quæque hauriebant oculis, & manibus palpabant, inficiari, aut ſaltem in dubium vocare debebant? Aut ſi Apoſtoli aſtuti, ſi impii eſſe potuere, etiam imponere ſenſibus innumerabilium hominum potuere? Palam ipſimet inde ab initio profitebantur, promiſſam ſibi a IESU Chriſto in cœlos aſcendente parem virtutem miracula patrandi; atque iſtud probationis genus præcipuum erat, ad quod ipſi iuxta ac ille perpetuo provocabant. An valde erat difficile germanam eorum fidem hac in parte explorare? An magno ingenio erat opus, nec ſenſus etiam idiotæ cuiusque ſufficiebant, ut diſcerneretur, verene illi cæcis viſum, claudis membrorum uſum, vitam mortuis reſtituerent? Ægri innumeri ſanitate integra momento, ſine alio remedio, ſolo IESU invocato nomine, donati, num ſat certi haud erant divinæ virtutis teſtes, illorum teſtimonio mirifice ſuffragantis? *Demum de vaticiniis* quid dicam; queis tanquam a Magiſtro ſuo editis, vicinum Solymæ interitum, genti integræ Iudaicæ infelicem ſervitutem ac diſperſionem, palam prædicebant, quin & ſcriptis publice editis per totum orbem nuntiabant? An, cum hæc ipſa ad amuſſim paulo poſt impleta is ipſe orbis intellexit, an, inquam,

&

& hic ſubeſſe fraudem adhuc prudens aliquis inducere poterat in animum? Vide dicta §. 255. Recte itaque ab initio huius §. aſſeruimus; nihil eſſe evidentius, quam Apoſtolos in ferendo ſuo teſtimonio ab omni fraudis ſuſpicione quam longiſſime abſuiſſe.

* Vide ſis iam rurſus, utrum tam certis non bonæ ſolum fidei, ſed germaniſſimæ veritatis, indiciis ſuam prudenter abiudicare fidem primi Chriſtiani potuiſſent. Vide, an ad ſolam Pontificum ſuorum in concepto adverſus IESUM odio obſtinationem potius, quam ad factorum publicam evidentiam, novis ſignis ſenſuum evidentia probatis prorſus per Apoſtolos evictam, reflectere debebant; qui ex Iudæis primo converſi fuerant. Vide ſis, an cum paganis Philoſophis Apoſtolorum æque ac IESU Chriſti prodigia & vaticinia magiæ potius, aut idoli cuiusdam Chriſto amici arcano Numini, tribuere, quam unius veri DEI virtutem in Chriſto & eius diſcipulis pariter operantis, atque miſſionem utrorumvis divinam ea ratione comprobantis, fateri eos oportuerat, qui IESU Chriſti fidem primi ex paganis recepere.

§. 279.

Dices vero: 1. etiam impoſtores quosque peſſimos ſubinde virtutis ſpeciem exterius præferendo dolos aſtute tegere ſolere. 2. Etiam falſas religiones ſuos habere Martyres, nec vulgo tanta obſtinatione veritatem a prudentibus, quam ſuperſtitiones abſurdiſſimas a rudibus defendi. 3. Non abeſſe ab Apoſtolis gravem ſuſpicionem, quod Magiſtri corpus nocte abſtulerint e ſepulcro. Saltem multum ipſorum interfuiſſe, ut redivivus ille palam crederetur: eo quod & ipſi ſecus a ſimili ruina parum erant abfuturi. 4. Mirum ſane videri,

IESUM redivivum non niſi occulte & paucis ſolum diſcipulis ſe videndum præbuiſſe. 5. Denique, ut apti teſtes eſſe Apoſtoli potuerint, ſi de factis vulgaribus ageretur: attamen cum prodigiis maxime inſolentibus & natura tota altioribus res eſſet, illorum teſtimonii nullam a viris ſapientibus haberi debuiſſe rationem.

§. 280.

Reſponſio. Hem totum illud, quod incredulitas exotica opponere Apoſtolorum fidei habebat! Ad 1. Quæro primum, an nullum tamen ſanæ rationi diſcrimen ſupereſt, ex quo virtutis ſimulationem a ſincero eius cultu denique diſcernere nullo non tempore adhuc liceat, maxime cum diu, cum inter multos, fraudis aut virtutis negotium continuatur? Quæro deinde: an citra omnem etiam rationem peſſimæ omnium fraudis arguere etiam eos licet, pro quibus omnia virtutis argumenta quæque validiſſima aperte faciunt? Quæro tertio: an ad prodigia ipſa ſenſibus ſubiecta, an ad vaticinia primi ordinis, fraus humana ſe extendit? An gratis omnino, & damno ſuo ultro quæſito, improbiſſimus eſſe mortalium quisquam eligit?

§. 281.

Ad 2. Cum pro errore extrema quæque ſupplicia homines animo obſtinato ſuſtinent, vel tunc etiam obſtinatio iſta argumentum eſt, ſincere illos id genus errori, & minime ex ſimulatione tantum atque ficte, adſtipulari; ſtultumque foret ſimulationis eos accuſare, qui mortem volentes ſubeunt pro doctrina, quam profitentur. Errare quidem illi ſentiendo potuere; at non ideo, ſimulaſſe illos ſolum aſſenſum eiusmodi doctrinæ, ul-

lo

lo pacto veriſimile eſt. Conſtantia ergo Apoſtolorum, qua ad mortem uſque inter ultima ſupplicia exantlatam teſtimonio ſuo inſtitere, certiſſimum quoque ſinceritatis illorum indicium eſt. Et quoniam, ipſosmet *eſſe deceptos* in rebus, quas ipſis ſenſibus prorſus debebant habere certiſſime exploratas, ne ſuſpicio quidem poterat incidere, *ſinceritate* illorum per Martyrium comprobata, nullum iam dubium de ipſa teſtimonii *veritate* ſupereſſe poterat. An exempla eorum obiicies, qui facta certiſſima inficiandi cauſſa mortem tormenta inter obiere; uti malefactores conſuevere, qui crimina, quæſtioni licet atrociſſimæ ſubiecti, confiteri tamen renuunt. At iſti nempe omnes atque ſinguli unius ſubterfugiendæ mortis, aut maioris ſupplicii devitandi, ſpe unice aguntur. Apoſtoli ex adverſo non alio magis remedio vitam, quin & perſecutorum gratiam aſſecurare ſibi poterant, quam fraudis, ſiquam dederant, confeſſione. Imo Principes Sacerdotum aliud ab ipſis non exigebant, quam ſilentium: quod ubi ſervaſſent, ab omni ſeſe malo erant liberaturi.

§. 282.

Ad 3. Næ obeſæ naris illum eſſe hominem oportet, qui in animum inducat, aut diſcipulos tam meticuloſos, ut ad primum periculum aufugerent a Magiſtro ſuo, tantum repente animi ſumſiſſe ſibi, ut militum cuſtodia inſuperhabita furtum tam audax molirentur, in quo aut certo certius eſſent deprehendendi ipſi, vel ſi evaderent, non aliud certe quam inſectationem iuſtiſſimam lucraturi; aut milites incurioſos fuiſſe eventus vaticinii, quo ſurrecturum ſe a mortuis IESUS prædixerat, ut in utramque aurem ſterterent; aut denique diſcipulos grandem lapidem, quo munitum

 ſepul-

ſepulcrum fuerat, tam ſine omni ſtrepitu amolitos eſſe, cadaver quoque viri tam dextre abſtraxiſſe, quin ſomnum alicuius militis turbarent. Nihil ergo uſquam veriſimile fingi poteſt de illo facto, niſi quod S. Matthæus de illo narrat cap. ult.; videlicet ex terræ motu facto perterritos cuſtodes ſepulcri aufugiſſe; tumque pudore ignaviæ & metu ſupplicii adactos ultro accepiſſe conſilium a Pontificibus Iudaicis ſuggeſtum, ſpe ſimul impunitatis & argenti oblatione eos allectantibus, ut dicerent, ſe dormientibus per diſcipulos furto ablatum eſſe corpus Chriſti. Oppido quidem ridicula & effrons hæc erat dormientium atteſtatio: ſed quis denique alius effugio locus ſuper, ſi vere reſurrexiſſe Chriſtum fateri nollent. Interim vide, ut ex ipſo agendi modo hinc quidem fraus, illinc ſinceritas ſe ipſas prodant. Diſcipuli iſti, quos furti calumnia ipſi ſummi Iudæorum Magiſtratus onerant, omnis ſecuri periculi Ieroſolymam mox ab Aſcenſione Domini conveniunt; die Pentecoſtes in publico foro, & in Templo, illius reſurrectionem atteſtantur. Comprehenduntur, male habentur, minæ graves eis, & pœnæ intentantur, ſi porro de reſurrectione illa ſui Magiſtri loquantur palam. At num quis peractæ illius fraudis eis accuſationem impingit? an teſtes milites quis adducit, a quibus convincantur? An ſaltem ut impoſtoros coram plebe traducuntur? Nulla vel mentio de hoc auditur. Prodigiorum ab ipſiſmet publice patratorum magnitudo atque evidentia Magiſtratus ipſi potius in conſternationem ultimam aguntur. Adducuntur ad tribunal publicum Iudæorum Magiſtratuum; repetunt coram eo liberis verbis reſurrectionis teſtimonium (Act. IV. & V.); prohibiti minis, ne quid ultra de hoc loquantur, palam edicunt, ſe tacere non poſſe, oportere obediri

diri magis DEO quam hominibus, ad ſigna & prodigia appellant publice in veritatis teſtimonium edita. Gamaliel denique conſilium ſuggerit principibus Magiſtratus: DEO relinquendum rei totius exitum: ſi ex DEO ſit, fore, ut impediri nullo conatu poſſit; ſin minus, dolum ultro diſcuſſum iri. Aſſenſi huic conſilio Principes, cæſos Apoſtolos denique ipſi dimittunt. Hicne agendi modus hinc quidem diſcipulis furti reis, illinc Pontificibus huius veritatem bene ſibi perſuaſam habentibus conveniebat? Lege item caput XXIV. XXV. & XXVI. Actorum, ubi Paulum Apoſtolum una ex parte a Iudæis coram Felice, & Feſto, Prætoribus Romanis, quidem ſeditionis & hæreſis, non autem participem fraudis Apoſtolorum de reſurrectione Magiſtri ſui, accuſatum invenies, etſi tota illa quæſtio Iudæos inter & Paulum *de reſurrectione* eſſet (Act. XXV. v. 19.) ex altera vero parte ipſius innocentiam ab ipſo Iudæorum rege Agrippa comprobatam (Act. XXVI. 27.). Agrippa pæne fieri ipſe Chriſtianus optat; & credin' tu, impoſturam de ablato corpore illi veriſimilem viſam, imo vel auditam fuiſſe? Demum ſopita iam calumniæ iſtius fama, Apoſtoli eorumque diſcipuli rerum omnium actorum, atque inter alia etiam impactæ ſibi huius calumniæ, publicam narrationem ſcripto edunt, quin aut ipſi fidei ſuæ inde iacturam metuant, aut Iudæorum principes quid uſpiam opponant. Age iam! & qua ex parte impoſturæ conſcientia ſe magis ex omni agendi modo prodant, prudenti iudicio decerne.

§. 283.

Ad 4. At cur ſolis diſcipulis, & nemini alteri redivivus a morte Magiſter illorum viſendum ſe præbuit? *Viſus eſt quingentis fratribus ſimul* teſte

S. Paulo I. Cor. XV. 6. An hoc non ſufficiebat? Quibus præbere ſe viſendum ergo debebat adhuc? An ſummis Pontificibus? At num per ipſam militum de terræ motu & reſurrectione teſtantium fidem non eis conſtabat de veritate plus, quam erat ſatis? Obſtinantibus ad hæc animos quæ ulterior gratia debebatur? An ipſorum auctoritate opus habebat Dominus ad reſurrectionis ſuæ veritatem ceteris comprobandam? Videlicet eadem ſuperbia hic leges Theiſta præſcribit DEO in ſuis gratiis diſpenſandis, qua exigit, ut ſui quoque in gratiam nova DEUS repetat prodigia, ut fidem ab ipſo denique extorqueat. At noverit ille, iſtud eſſe DEI perpetuum ac familiare conſilium, ut cunctis ſine diſcrimine ſufficientia ad noſcendam veritatem & ſalutem inveniendam media, ſalva libertate, offerat; quibus qui fideliter utuntur, eis beneficia etiam maiora præparat; qui contra abutuntur, his illa demum ipſa quoque velut indignis ſubtrahit.

§. 284.

Ad 5. Cur, edic, de reſurrectione IESU Chriſti ac ceteris eius prodigiis apti eſſe teſtes Apoſtoli minus eſſe poterant, quam de factis aliis in ſenſus omnes, atque ipſos oculos, pari modo incurrentibus? An facta ipſa impoſſibilia ſunt, quæ atteſtabantur? At hoc Philoſophus citra peritiæ ſuæ præiudicium non dicet. Saltem philoſophia ſana docet, æque ſupra naturam eſſe, ut plures ſimul homines minime inſani per plures continuo dies alium quemdam vivum hominem videre, audire, tangere, & cum eo conveſci ſibi videantur; quin tamen reipſa eum videant, audiant, tangant, eique conveſcantur. Num vero DEO indignum erat, ut altiore ea facta virtute patraret? Atqui illa ipſa,

DEI

DEI & potentiam, & ſapientiam, & pietatem magnopere omnia extollebant, hoc ipſo, quod ad ſanctiſſimam omnium religionem, ad cultum DEI ſumme eximium, comprobandum facerent, quem Chriſtus docuit? Num deinde ſenſuum acumen non ſufficiebat Chriſti Apoſtolis, ut factorum talium veritatem ſatis accurata certitudine explorarent? Ain' vero, tam eſſe difficile, ut quis ſenſu exploratum pro certo habeat, hominem nunc eſſe mortuum, nunc eundem denuo redivivum? De quonam ex his duobus dubitare poterant Apoſtoli; quod Chriſtus in cruce expiraſſet? an quod poſt rurſum viveret? Non de primo utique. At num magis de altero? Nimisne creduli in hac parte ipſimet fortaſſis fuere? Nunquid fatentur, quantum initio vel ſuis ipſi oculis diffiderent? Poſtquam vero iterum atque iterum viderunt, poſtquam palparunt manibus, poſtquam non de nocte, ſed interdiu, non ſinguli, ſed undecim vulgo ſimul iuncti, non ſemel, ſed per dies omnino continuos quadraginta, redivivo eidem collocuti, cum eo pranſi etiam ſunt; an incerti adhuc de reſurrectionis veritate eſſe poterant? an diffidere adhuc oculis & cunctis ſimul ſenſibus debebant? Demum an deprehendere haud poterant primi Chriſtiani, num phantaſia multum Apoſtoli laborarent? Nonne ſapientia illorum ex dictis factisque omnibus elucebat? Anne vero propriis etiam ſenſibus diffidere tenebantur, propria Apoſtolorum prodigia ſpectantes? Fateamur potius, citra inſaniam fidem abiudicare ſinceriſſimis Apoſtolorum teſtimoniis primos Chriſtianos neutiquam potuiſſe. Sed hoc ipſo ab omni eos imperitæ credulitatis vitio, cum laude etiam eximiæ ipſorum ſapientiæ, abſolvamus.

§. 285.

Ex dictis §§. 287. & ſeqq. corollaria iſthæc omni cum evidentia fluunt. I. *Apoſtoli & diſcipuli IESU Chriſti, quemadmodum ſumma fide & ſinceritate de doctrina & factis IESU Chriſti teſtimonium tulere; ſic & ipſi vere & certiſſima fide eadem credidere.* Sine fide enim propria ſinceritas illa in teſtando conſtare nullo pacto potuiſſet.

§. 286.

II. *Nec ipſi Apoſtoli quoque ullo pacto ſuſpecti eſſe poſſunt, quod IESU Chriſti factis, quæ atteſtantur, fidem adhibuerint vel ex ſimplici credulitate, vel ex imperitia iudicandi de illorum veritate, tam parum videlicet quam primi Chriſtiani ab ipſis converſi.* Eadem enim omnia, quæ pro primis Chriſtianis ab iſthac ſuſpicione prorſus abſolvendis pugnare §. 277. oſtendimus, prorſus de Apoſtolis ipſi IESU Chriſto credentibus, ſicut & de omnibus iſtius diſcipulis valent, qui ob facta eius a ſemet oculis viſa, & ob ſermones eius propriis auribus exceptos, crediderunt. Nam *quod ad credulitatem:* 1. ratio *doctrinæ*, cui Apoſtoli adſtipulabantur, 2. ratio *perſonæ*, hoc eſt, IESU Magiſtri pauperis & nulla ceteroquin dignitate aut potentia conſpicui (ſi miraculorum ipſam famam & conſecutam ex ea auctoritatem excipias), 3. *auctoritas adverſantium* omnium principum nationis, æque Apoſtolos a lucri ſtudio abſolvunt, quo ad iuſto pronius credendum Chriſto moverentur. 4. *Multitudo Chriſto in vita adhærentium*, eumque ubique inſequentium, miracula palam probantium, eundem extollentium, ſpectata proportione non minor erat, quam primorum Chriſtianorum Apoſtolis prædicantibus adhærentium, 5. Mutatio Apoſtolorum & progreſ-

ſus in *virtute heroica* omnis generis, ex fide in Chriſtum poſt huius mortem conſecutus, 6. *Martyrium* denique ab eisdem cum innumeris præviis adverſis non ſine ingenti gaudio toleratum, æque probant, Apoſtolorum credulitatem non cæco ab impetu exortam, ſed altiore fundatam virtute, & plena mentis convictione firmatam fuiſſe. Quod vero *ad rudis imperitiæ Apoſtolorum* ſuſpicionem amoliendam pertinet, rurſus æque evidens eſt, 1mo. nec adeo rudes, ſed ſublimi potius ſapientia in omnium quantumvis literarum ignoratione conſpicuos fuiſſe, ut ex omnibus ipſorum ſcriptis, dictis, factis, & maxime ex doctrina longe apertiſſime elucet: 2do. nec vero, utcunque cetera imperiti fuerint, tamen ob rerum evidentiam ipſis oculis ſenſibilem, ac in omnes incurrentem ſenſus, decipi omnino potuiſſe. *Adde tamen* peculiarem illam ſenſus intimi convictionem, quæ in Apoſtolis, ſuo quoque arbitrio ſimilia prorſus cum Chriſto prodigia operantibus, deceptionem prorſus impoſſibilem reddebat. Quippe ſciebant illi utique, an vera ipſi, an ficta tantum prodigia patrarent: niſi poſt ipſam mortem IESU Chriſti continuatam per multos annos ab iſto fraudem maxime inauditam extrema ſimul ſtultitia ſuſpicari velis; de quo ſtatim.

* Corollarii iſtius evidentiam ut intimius præſentiſcas, adverte, Apoſtolos miraculorum Chriſti, quæ in Evangeliis atteſtantur, ut plurimum non modo oculatos teſtes, ſed quandoque etiam inſtrumenta fuiſſe, vaticiniaque eius & auribus ſuis ab eo excepiſſe, cum ea ederet, & antequam implerentur, credentibus ſibi Iudæis & paganis propalaſſe, & poſtea reipſa impleta vidiſſe. Excepere itaque Apoſtoli propriis auribus *Chriſti prædictiones* illas de futuræ paſſionis & mortis ſuæ adiunctis, quemadmodum

dum & de ipſa reſurrectione, de ſecutura brevi poſt everſione urbis ac templi Ieroſolymæ, ac diſperſioue gentis Iudaicæ, ſic tamen, ut in medio nationum, inter quas diſperſa miſeram ſervitutem perpetuo ſervitura eſſet, nunquam tamen aut interiret, aut cum illis miſceretur. Conſignarunt iſta literis Matthæus, Marcus, & Ioannes, diu ante, quam complerentur (§. 255.). Certe Apoſtoli ſermone publico fidelibus vulgarunt, ſic ut iſti poſt primam Ieroſolymæ obſeſſionem a Ceſtio Gallo Syriæ Adminiſtratore ſuſceptam, ac rurſus ſolutam, veluti ad datum per IESUM Chriſtum interitus eius proxime inſtantis indicium, omnes ad unum ex infelici urbe aufugerent in parvam civitatem Pellam, prope deſertum in Syriæ finibus poſitam; ut S. Epiphanius (hær. 7, Nazar. item hær. 29, & de pond. 30.) narrat; cuius & indicium apud Ioſephum lib. II. de Bello Iud. cap. 40. ſatis apertum legere eſt. Quidquid vero de hoc ſit; Apoſtoli ſaltem de veritate vaticiniorum iſtorum IESU Chriſti debuere eſſe intime convicti: ceteri vero Chriſtiani, maxime poſteriorum ſeculorum de ultima ſaltem parte vaticinii illius non minus convicti ſunt: cum omni fide hiſtorica certum ſit, ſaltem ante octogeſimum primi Eccleſiæ Chriſtianæ ſeculi annum tria Evangelia priora conſcripta iam fuiſſe, ſimulque iuxta certum ſit, Iudæos nulla adhibita induſtria aut urbem cum templo poſtea rurſum ædificare, aut colligi in unam gentem potuiſſe; etſi ad id Iulianus Apoſtata Imperator omnibus eos auxiliis adiuviſſet; nec vero etiam ad hunc diem cum ceteris nationibus quibus ſerviunt, miſceri aut voluiſſe, aut potuiſſe. Quod vero *miracula Chriſti* attinet, eadem ab illo publice, præſente ut plurimum integra populi multitudine, & ipſis diſcipulis quidem vulgo proxime adſtantibus, ſubinde etiam petentibus, patrata eſſe, nulla alia arte, ſed ſolius ut plurimum vocis imperio adhibito, ipſimet oculis adſpexere. Lazarum quatriduanum (ut de aliis taceam) iam fœtentem, mortuum, imo ſepultum iam, ipſi

ipſi viderunt, obſecerunt, attrectarunt; eundemque ipſum nullo intervallo mox ad unam Magiſtri vocem prodire redivivum adſpexere, ac poſt etiam adhuc diu eidem convixere. Nec ſoli ipſi rei iſtius, ſicut & aliorum prodigiorum, fuere teſtes; affuere etiam plurimi ex Iudæis Chriſti hoſtibus internecinis, nec mutire ſeu tunc, ſeu poſt unquam, vel verbo auſi contra iſtius evidentiam facti. De prodigio quinque, ac rurſus ſeptem panum, de tempeſtate maris momento ſedata, aliisque ſimilia fere dici poſſent. 3. Audierant vero etiam Apoſtoli Magiſtrum ſuum palam hæc ipſa prodigia in divinitatis ac divinæ miſſionis ſuæ teſtimonium allegantem, ut Ioan. X. 37. *ſi non facio opera Patris mei, nolite credere mihi. Si autem facio, & ſi mihi non vultis credere, operibus credite.* Et ibid. v. 24. Iudæis illum circumdantibus, & urgentibus; *quo uſque animam noſtram tollis? Si tu es Chriſtus, dic nobis palam: reſpondit IESUS: loquor vobis, & non creditis: opera, quæ ego facio in nomine Patris mei, hæc teſtimonium perhibent de me.* Sed & ſibi ipſis promiſſam miracula ſimilia patrandi virtutem ab eo hunc ipſum in finem audierant, ut veritas teſtimonii ipſorum, & fidei credentium in eum, divinitatis veluti ſigillo hoc confirmaretur. *Signa,* inquit Marci ult. v. 17., *ſigna eos, qui crediderint, hæc ſequentur: in meo nomine dæmonia eiicient, linguis loquentur novis &c.* Hoc promiſſo freti dum Apoſtoli reipſa die Pentecoſtes mox ab aſcenſu IESU Chriſti edere revera hoc ipſo fine ſigna iſta incipiunt; cum linguis omnium gentium rudes ac plebeii iſti homines loquuntur (Act. II.); cum claudum ab utero matris verbo unico membrorum uſu donant (Act. III.); cum mortuos & ipſi ſuſcitant (Act. IX. 36.): age, ſi iam potes, dubita, utrum illi non ſumma convicti eſſe evidentia debebant, ſe nec a Magiſtro deceptos fuiſſe, nec omnino decipi abſolute potuiſſe.

§. 287.

§. 287.

III. *Multo etiam minus in IESUM Chriſtum ipſummet vel leviſſima fraudis aut datæ, aut acceptæ, ſuſpicio cadere poteſt.* Quidquid enim pro ſinceritate, pro prudentia, pro ſapientia, pro ſanctimonia, pro miraculorum, & vaticiniorum veritate, & excellentia, ex parte Apoſtolorum pugnat; id emphaſi immenſum adhuc fortiore pro Magiſtro militat: cum diſcipuli omnia a Magiſtro ſeſe accepiſſe toto ſui teſtimonii robore & auctoritate abſolutiſſime affirmarint, & ad illius firmandam pleniſſimam vereque divinam auctoritatem ſua omnia ordinarint. Si itaque Apoſtolos decipere non voluiſſe evidens eſt (§. 278.) quia ſine lucri ſpe & potius ſummo ſuo temporali incommodo, quia mirabili ſimplicitate cum eximia ſapientia coniuncta, quia excellenti vitæ ſanctitate, ac demum morte ipſa propoſiti ac teſtimonii ſui ſinceritatem abunde comprobarunt: multo ex his omnibus capitibus evidentius eſt, IESUM Chriſtum Magiſtrum illorum *ex deſtinata malitia fraudem non dediſſe.* Quippe *nec* ipſe *commodi quid* uſquam in terris aut quæſivit, aut admiſit, nec diſcipulis ſuis præter æternam mercedem ac DEI gloriam aliud illicium ad ſequendum ſe propoſuit; quin acerba potius omnia pro omni vitæ tempore eadem infallibilis præſcientiæ profeſſione eſt vaticinatus; qua futuras res alias prædixit. *Simplicitas* ex eius dictis & factis omnibus multo nobilior quam in diſcipulis elucet; attamen ab omnibus illis nævis imperitiæ & imperfectionum erat nunquam non remota, quarum acceſſui diſcipuli educationis vitio ſaltem aliquanto tempore patuere. Quæ unquam viſa fuit tam nobilis coniunctio modeſtiſſimæ ſimplicitatis in conditione ſtatus, victus, veſtitus, alloquii, in ſelectu amicorum, in fuga honorum, & familiaritatis favoriſque

riſque magnatum, cum Magiſtri & legislatoris officio, cum divinæ miſſionis & originis profeſſione, cum altiſſima *ſapientia* in doctrinis, in dandis præceptis omni hominum conditioni, ſtatui, ætati, atque ſexui conſentaneis; qualem in IESU Chriſto vel ipſius hoſtes ſunt admirati, & admirantur hodiedum. *Sanctitas vitæ* nonne ita fulgebat in omni eius vitæ decurſu iuxta atque in ipſa morte, ut nec Plato ipſe in Sapiente ſuo imaginario conſummatæ virtutis imaginem utcunque ei ſimilem ſciverit adumbrare. *Moritur* ille demum ſuper confeſſione divinitatis ſuæ, ſed morte eiusmodi, qualem nullus heroum, quotquot fuere, niſi in ipſius ſchola formatus, potuit imitari. Denique *univerſo conſilio*, quod IESUS Chriſtus ut totius vitæ & omnium laborum ſuorum ſcopum propoſitum habebat, poteratne quid excellentius cogitari? poteratne aliud eſſe maius ac luculentius & ſummæ eius in univerſos homines beneficentiæ, & ſinceriſſimi affectus, indicium? Quod hoc erat denique? Non aliud, niſi populum Iudaicum docere novum DEI cultum, magis internum ac ſpiritualem, dedocere eundem nimis ſuperſtitioſam illam fiduciam, quam in ſuis cruentis ſacrificiis & legalibus obſervantiis cum interioris cultus animi neglectu reponebat, atque ab immodico temporalium bonorum amore ac deſiderio ad maius ſtudium cœleſtium transferre. Attamen neutiquam hos intra fines IESU Chriſti propoſitum ſe continebat. Gentes quoque omnes ceteras ex idololatriæ tenebris ad veri unius DEI cultum adducere, tollere diſcrimen, quod inter ipſas & Iudæos tamdiu duraverat, atque ex omnibus unum DEI electum populum formare intendebat; cui ipſe communis auctor ſalutis & virtutum omnium exemplar deinceps perpetuo futurus eſſet. Quæ vero in hunc

finem

finem *media* adhibuit? Præter exemplum ſuum non aliud ullum, niſi prodigia & facta omnibus naturæ legibus ſuperiora. *Num vero*, quod voluiſſe eum ne ſuſpicari quidem licet, *decipere ſaltem potuit?* Si cuncta, quæ de Apoſtolis circa hoc caput iam allata a nobis ſunt, Chriſto Magiſtro applices; ſenties profecto, multo potentius pro hoc valere ad repugnantiam iſtam evincendam. *Publice* ſemper & locutus eſt, & egit; *facta* ipſa, & *prodigia* omni exceptione maiora, in ſenſus innumerabilis multitudinis, in oculos doctorum hominum iuxta ac indoctorum, hoſtium æque ac amicorum, incurrebant; aberat ab eis omne artificium & ſtudioſa præparatio; repente oblatos ægros, non unum vel alterum, ſed ingenti numero, ab omni morborum genere, ſolo vocis imperio, ſanabat &c. Edebat facta iſta, publice ſe *Meſſiam a DEO miſſum profitens*, ut attentionem ex finis momento ac curioſitatem omnium irritaret. Addit *vaticinia* inexpectata, inſolitis veſtita adiunctis, nulla tunc coniectura a quocunque acuto homine divinandis, & unice a libero hominum arbitrio pendentibus. *Nemo* unus vel ex hoſtibus eius, vel ex Magiſtratibus, qui morti eum adiudicarunt, *auſus eſt* vel *negare* illa prodigia, vel genuina & ſincera eſſe eadem inficiari. Fuere autem & prodigia illa & vaticinia omnibus naturæ viribus altiora (§§. 193. 194.) & præciſe pro doctrinæ divina auctoritate comprobanda ab eo edita (§. 195.). Adſtipulabantur veritati miraculorum eius & vaticiniorum characteres omnes veritatis §. 183. & ſeqq. §. 205. aſſignati (§. 237.) abſque ullo fraudis diabolicæ vel humanæ intervenientis vel leviſſimo indicio (§. 182.): atque adeo (per dicta citatis locis) impoſſibile eſt ipſum decipere voluiſſe. Sed *neque ullo etiam pacto decipi ipſe potuit*, ſive phantaſiæ pro-

priæ inani ludibrio, ſeu artificio humano, ſive diaboli præſtigiis. *Non ludibrio phantaſiæ:* vel enim iſtius imaginatione deceptus eſſet *ſolum in doctrina* ſua concinnanda, vel *in ipſis etiam prodigiis & vaticiniis* edendis? Non prius: quia nec prodigiorum virtus tam excellens phantaſiam conſecuta mox fuiſſet, & alioquin extrema ſtultitia eſſet vel ſomniare, ſublimem illam ac iuxta ſapientiſſime ordinatam IESU Chriſti doctrinam non niſi corruptæ phantaſiæ delirio inventam fuiſſe. Non poſterius: quia, utut ipſe miraculorum fictione phantaſtica fuiſſet deceptus, non ideo mox aliorum hominum imaginandi vim ita generali vitio infeciſſet, ut cæci ſe videre, claudi ambulare, mortui reſurgere falſo crediddiſſent, & falſo etiam id ipſum de eis creditum ab aliis ſanis hominibus fuiſſet. *Non occulto humano artificio, nec dæmonis præſtigiis:* recurrit enim idem biceps argumentum, vel deceptio utraque, humana, & diabolica, ſolam doctrinam ſalvis veris miraculis affeciſſet? Et falſa doctrina veris prodigiis, DEI nomine editis, cum ſeductione gentis integræ fuiſſet confirmata. Vel fraus humana, aut diabolica, ſimul ad doctrinam Chriſti pervertendam, & fictitia miracula pro veris oſtentanda valuiſſet? & talis fraus per dicta §. 183. & ſeqq. permitti a DEO nullatenus potuerat.

§. 288.

Opponunt Imo, rem compertam eſſe, Iudæos omni tempore ſuperſtitioni & fanaticæ credulitati ex aſſe deditos fuiſſe: non itaque mirum, ſi fidem apud homines tam imbecillæ mentis Chriſti & diſcipulorum eius miracula quædam fictitia invenere. Adde, ipſos Apoſtolos, & univerſe omnem primorum Chriſtianorum turmam, non niſi de infima plebe homines fuiſſe, & vix aliquos magis

acutos ſectatores Chriſtum & Apoſtolos numeraſſe.

Reſponſ. Incredulitatem Theiſtis propriam veram eſſe ingenii imbecillitatem, pridem probavimus §. 138. Iudæos inde a IESU Chriſti ætate mox omnem in ſuperſtitionem prono lapſu præcipitatos fuiſſe, vel ſola excidii Ieroſolymæ hiſtoria, & nugæ illæ innumerabiles ſatis evincunt, quas ad explicanda Scripturæ propriæ vaticinia de Meſſiæ adventu poſtmodum excogitarunt, ut vim eorum, qua in Chriſtum omnia collimant, utcunque eluderent, ac devitarent. At num omni tempore propria Iudaicæ nationi imbecillitas iſta fuit? Quæ gens ad IESU Chriſti ætatem uſque leges ſapientiores, quæ hominum natio ideas magis æquas & præciſas de virtutis & honeſtatis univerſæ rationibus habebat? quæ magis diſtincta, magis illuſtria, & ſublimia de Divinitate ſenſa fovit? Ergone ad tribunal ſanæ rationis populus iſte, in ſalutis rebus tam præclare inſtitutus, miſerabilior apparebit Ægyptiis illis, inſenſatis plantarum & animalium adoratoribus? Græcis, & Romanis, idololatriæ abominandæ tenebris, & licentiæ, nullo honeſto numine frænatæ, flagitiis immerſis? Siccine ergo tunc maxime Iudæi acute ſapiebant ſcilicet, cum alienigenarum gentium idola ſequi, & ſimili phreneſi infrunitis affectionibus beſtiarum more fræna laxare cœperunt? Contra quamdiu legi ſuæ tot prodigiis firmatæ ac DEO ſuo fideles omni proſperitate & rerum abundantia conſtanter fruebantur, tum videlicet imbecilles, & fanatici facti continuo deſipiebant? Quo autem tempore demum, qua epocha natæ in Iudæis ſunt fanaticorum ſectæ illæ, Phariſæorum, Sadducæorum, Eſſeniorum? Nonne inde a commercio cum Græcis Aſiæ

Aſiæ imperio potitis eveniſſe hoc compertum eſt? Nonne Phariſæi Zenonem, & Stoicos ceteros, duces ſecuti, ſuperba auſteritate gloriantes, corrupta lege vanas innumeras obſervantias induxere? Nonne Sadducæi, veri Epicuræi, & omnis moleſtæ veritatis inimici, quæ hominem voluptati infræni deditum inquietare poſſet, providentiam, immortalitatem animorum, præmia & ſupplicia alterius vitæ, &, quod ex his conſequitur, honeſti & inhoneſti diſcrimen omne ſecundum Philoſophorum ethnicorum id ætatis impiam diſciplinam abnegarunt? Vere itaque miſerabilis illa natio ſub IESU Chriſti adventum erat, ſed eo unice ex capite, quod invaleſcente iam ſuperſtitione inter ipſius principes, Magiſtratus, atque doctores inprimis, horum auctoritate ſeduci ſe paſſa fuerit, quo minus Chriſtum tam manifeſtis indiciis ſibi pro Meſſia oſtentatum ſequeretur. At nempe ex Theiſtæ iudicio illi ipſi Sacerdotum principes, illi Scribæ, & Phariſæi, qui Chriſto repudiato, paucis poſt annis obſtinatione ultima, latrociniis, perfidiiſque omnis generis, urbem & gentem ſuam in ſupremam ruinam præcipitarunt, hi, inquam, acuto ſagacique iudicio homines, Apoſtoli ex adverſo, diſcipulique IESU Chriſti, Nicodemi, Ioſephi ab Arimathæa, Gamalieles, Pauli, Timothei, imbecilles, creduli, ac ſuperſtitioſi homines fuere; eo quod Chriſtum ſecuti ſint, qui ſolus ſe verum ſalutis auctorem genti ſuæ miraculis omni exceptione maioribus in ipſorum oculis probaverat.

Quos vero auctores denique Theiſta habet imbecillitatis iſtiusmodi univerſæ Iudæorum genti imputandæ? Manethonem quemdam Ægypti hiſtoriæ ſcriptorem, Appionem grammaticum, imo etiam Horatium, Iuvenalem, Martialem, Tacitum,

 Plutar-

Plutarchum; qui omnes una voce ineptiſſimæ ſuperſtitionis Iudæorum gentem univerſe arguunt, atque idcirco communi ſibilo explodunt. Atqui omnium iſtorum communis ita criminandi ratio fuit conſtans & inviolabilis religio Iudæorum, qua vulgo ſacris ſuis atque legibus adhærentes, ab omnium gentium aliarum commercio & ſuperſtitionibus hac ipſa de cauſſa conſtanter abhorrebant. Manetho certe ille Ægyptius, & Appion græcus, imperitiſſimi ſcriptores, a Ioſepho in libris contra Appionem convicti mendaciorum & imperitiæ abunde ſunt. Poëtæ illi Romani, Satyræ intenti, luſum, acumen & verborum elegantiam magis quam veritatem hiſtoricam cordi habuere. Tacitus, & Plutarchus, ſapientes cetera hiſtorici, tam male Iudaicarum rerum periti fuere, ut legi nequeant, quin ipſorum ignorantiæ & præiudiciis neceſſe ſit indolere. Verbo: imbecillia ingenia, & ſuperſtitioni dedita, Iudæis defuiſſe, nemo affirmet: at minus hæc inter ipſos in decurſu veterum eius ætatum frequentia quam apud alias nationes extitiſſe, multo vero minime exinde imbecillitatis totam Iudæorum nationem univerſe argui poſſe, quod fidem miraculis in ſuæ gentis hiſtoria conſignatis & IESU Chriſti eiusque Apoſtolorum doctrinæ adhibuerint, iſtud utrumque modis omnibus aſſevero.

§. 289.

Alterum caput quod attinet, diſcipulorum videlicet IESU Chriſti ac primorum Chriſtianorum univerſe ruditatem, §§. 277. & 286. abunde id iam refutatum eſt. Apoſtolos rudes de plebe homines fuiſſe, minime negamus; at ne ruditatis nomine intelligas velim credulitatem nimis facilem, obtuſum ingenium, iudicium imbecille. His enim

præ-

præiudiciis omnibus amoliendis ſola Epiſtolarum Apoſtolicarum lectio, & magnitudo operis abunde ſufficit, quod in converſione mundi feliciſſime ſuſceperunt, & effectui dederunt. Contra artium politicarum & ſcientiarum imperitia, quæ inerat Apoſtolis, eorum fidem iuxta ac divinam miſſionem mirifice commendat. Sophocles, cum maniæ quædam ſuſpicio in illum cecidiſſet, purgaturus ſe ab hoc præiudicio Tragœdiam compoſuit, ac ſuis Iudicibus prælegit. Legat, quisquis bonæ ac rectæ mentis homo eſt, legat veteris ac novi teſtamenti Scripturas, atque iudicet, num eo nomine imbecilles atque creduli, nimis haberi Iudæi ac primi Chriſtiani poſſint, quod illi legibus & miraculis Moſaicis, hi prodigiis Apoſtolicis fidem adhibuerint: iudicet quoque, an imbecilles homines Apoſtoli & Evangeliſtæ fuerint, qui talia ſcripſerunt. An de rebus valde abſtruſis agebatur, cum facta illa omnibus naturæ legibus contraria in Chriſto Apoſtoli, in Apoſtolis primi Chriſtiani intuerentur? An contra Myſteriis tam ſublimibus fingendis rudes illi piſcatores ſufficiebant; qualia ii primis ſuis Aſſeclis credenda proponebant? Quocunque ſe vertat Theiſta, aram inter & ſaxum comprehenſus hæret, ipſeque inſanit, ſi vel in Apoſtolis, vel in primis Chriſtianis, fanatiſmum ut originem rerum ab eis geſtarum mente concipere poſſe ſibi videatur. Meliore iure nos illos ex Iudæis fanatiſmi accuſamus, qui cum miracula IESU Chriſti nimis quam comperta negare non poſſent, inter alias fabulas, nomen DEI Iehova ex templo ſuffuratum eſſe finxere, atque iſtius ope ſigna illa edidiſſe, DEO videlicet furis impoſturæ largiter patrocinante.

§. 290.

Opponunt II. Si tam manifeſta, tam aperta ſimul ac numeroſa fuiſſent IESU Chriſti, ac Apoſtolorum eius prodigia, fieri haud aliter potuiſſet, quam ut omnis Iudæorum natio verum in eo Meſſiam ex tam lucidis characteribus agnoviſſet, eidemque conſentiente ſtudio adhæſiſſet. Atqui nemo fere ex principibus Iudæorum, aut literatis, ſecutus eſt ſive IESUM, ſive Apoſtolos ipſius. Idem obiici quoque ex parte gentilium, & Romanorum præcipue, poteſt. Etſi enim Romæ quoque brevi Chriſtianorum ſecta multos aſſeclas numerarit, nemo tamen fere ex ſapientioribus & nobilioribus Romanis eidem ſe iunxit; imo nemo ex illis fuit, qui non ut novum ſuperſtitionis genus eam cum deſpectu abhorruit. Quapropter recte & prudenter concludi poſſe videtur, non niſi inanibus dolis & præſtigiis rudi vulgo primum illuſum fuiſſe, ac tum denique creſcente deluſorum numero ſectæ quoque illius auctoritatem ea ſumſiſſe incrementa, ut aliis etiam acutioribus deinceps eius ſpecies illuderet.

Reſponſ. Hoc argumento æque probabo, virtutem omnem ac honeſtatem non niſi bellum phantaſma ac figmentum eſſe, vitium contra ſummo iure ab hominibus in animos admitti. Quodſi enim tam aperta virtutis ſunt iura, tam iuſta officia; quidni omnes eam homines iunctis ſtudiis deſerto vitio ſequuntur? Nimirum ardua ad ſuperos omnis eſt via, præceps contra deſcenſus averni. Iudæorum pertinaciæ communem cauſſam §. 230. not. indicavimus. De cetero arduum ex toto reſpectu omnium erat iter, quod IESUS ad cœlum monſtravit, multoque magis mirandum eſt, quod tot habuerit ſectatores, quam quod plures illum ſequi

ſequi omnino noluerint. Iudæorum principes, Sacerdotes, atque literati, minime certe religionis impulſu a ſectanda doctrina IESU Chriſti abſterrebantur; quippe quæ vaticiniis Scripturæ ſuæ, cuius notitia erant optime imbuti, tam eximie ſecundum omnes ſuos characteres congruebat: at contra pronum erat, ut ex multis aliis titulis ab ea plurimum omnes abhorrerent, ſummi quidem Sacerdotes, ne honorificis officis & pinguibus templi reditibus deſtituerentur; principes magiſtratus, ne innovatione religionis reipublicæ tranquillitas, & Romanorum animi politicis ſuſpicionibus, turbarentur; literati demum, ne ipſorum doctrinis & ſuperſtitionibus deſpectis omnis magiſterii auctoritas ab ipſis ad unum IESUM Chriſtum transmigraret. Quo denique cuiusque animus voluptati, ambitioni, & ſuperbiæ erat devinctus magis; hoc item magis a ſevera morum doctrina novi iſtius Magiſtri debebat neceſſitate quadam abhorrere. Fatendum plane, omnia hæc vincula multo debilius commune Iudæorum vulgus, quam magnates eorum, a ſequela IESU Chriſti retraxiſſe: at neutiquam tamen illorum vis omnino etiam a plebe aberat. Ex adverſo plebs iſta religionis ſemel inſitæ, & quidem extremo ſtudio pro more iſtius gentis cultæ, reverentia longe magis, quam eius principes, abſterrebatur. Præterea horum auctoritas valere plurimum apud ipſam debebat; quod maxime in ipſa morte IESU Chriſti a Pilato expetenda patuit. Sed quantum denique obſtaculum in plebis eſſe animis debebat ignominioſa mors illa, quam is in totius nationis conſpectu conſentiente omnium ordinum iudicio & execratione in patibulo obierat? Quam certis indiciis, quam teſtimoniis irrefragabilibus, quam præſentibus & omni exceptione maioribus pro-

 digiis

digiis opus fuerit Apoſtolis IESU Chriſti, ut tanta præiudicia, Magiſtri ſui honori prorſus adverſantia, ex vulgi iſtorum tam tenacis animo eriperent, & converterent in ſecundiora?

Quod Romanos attinet, ac ceteros gentiles, aliud non oportet, quam ut quis illorum extremam in idololatria pertinaciam, infrœni vitæ licentiæ iunctam, ſatis perſpectam habeat. Quam illi obſtinate contra omnem fidem prœmiorum & ſuppliciorum alterius venturæ vitæ præventi fuerint, apud Ciceronem de Nat. Deor. lib. 2. Tuſc. 2. & apud Iuvenalem Sat. 2. leges. Lege ſis item, quæ ſupra §. 40. not. 1. de paganorum, & nominatim de Romana vitæ, & theatri præſertim publici, licentia, de impuriſſimorum Numinum cultu &c. tetigimus. Quis veritati tam rigidæ, qualem prædicavit Chriſtus, & eius aſſeclæ profitebantur, acceſſus ad tales animos? Maxime dum illa a Iudæorum gente proficiſceretur primum, quam ultimo pridem deſpectui habebant. Quid igitur aliud futurum erat, quam ut ne examinata quidem novæ doctrinæ indole, inſtar tot aliarum ſectarum, quotidie in Philoſophorum ambitioſorum cerebris naſcentium, primo eam deſpicerent, tum vero ut imperii legibus, & receptæ ſuperſtitioni non modo utcunque adverſam, ſed recta iſtius everſioni & ex profeſſo imminentem, ultimis etiam ſuppliciis & remediis expeditis, perſequerentur, ex toto imperio proſcriberent. Sic reipſa eveniſſe ipſa Cæſarum adverſus Chriſtianos edicta, omnes iudicum adverſus martyres noſtros ſententiæ, indicta cauſſa illos ob ſolum Chriſti nomen condemnantes, Plinii ad Traianum Epiſtola, huius reſponſa, Iuſtini, Athenagoræ, Tertulliani Apologiæ, querelis adverſus tam iniquum & cunctis ipſo-

rum

rum Romanorum legibus ceteris contrarium cum chriſtianis procedendi modum refertæ, nos abunde edocent. Anne igitur mirum cuiquam adhuc videri poteſt, tempore & patientia opus fuiſſe, donec errores tam inveterati, quos omne pravarum affectionum genus, & omnium Magiſtratuum poteſtas publica & auctoritas firmabat, ex hominum tam omni ex parte excæcatorum animis eriperentur, ac veritas clara in luce demum poſſet collocari? Ex adverſo nonne prorſus heroes totidem, & ſapientiæ prodigia, æſtimari omnes ex primis Chriſtianis ab gentiliſmo converſi debent, qui tot obſtaculis ſuperatis, ſolius germanæ virtutis & æternorum bonorum amore ducti, tanta reliquerint bona, tot tantaque ſuſtinuerint mala? Viden, ut propriis omnibus argumentis continuo Theiſta vapulet; quamprimum iſta attentiore paulo reflexione animi ponderantur.

§. *Confirmatur teſtimonium Apoſtolicum teſtimoniis profanis.*

§. 291.

Opponunt ergo III. partim ſilentium, partim adverſantia teſtimonia profanorum ſcriptorum; a quibus Chriſti & primorum Chriſtianorum nomen, tot licet prodigiis, ut nos volumus, illuſtre, vel profunda ignorantia & oblivione involvitur, vel gravi vituperio male notatur. Atque inprimis *Philo Iudæus*, ſcriptis plurimis celeber, eodem tempore Alexandriæ degebat, quo IESUS Chriſtus eiusque Apoſtoli in Iudæa floruere. At nullam tamen prorſus in tot ſuis ſcriptis mentionem uſquam de IESU Chriſto, de eius miraculis, & doctrina iniicit; etſi Alexandria Iudæis undique

 turge-

turgeret, Ieroſolymæ continuo commercio devinctis. 2. *Ioſephus* item *Iudæus*, ab gentis ſuæ hiſtoria egregie conſcripta celeberrimus, Apoſtolis IESU Chriſti coætaneus, & concivis eorundem, tametſi nec Magiſtri, nec diſcipulorum facta tam ſingularia ignorare ullo pacto potuiſſe videatur, tamen ne nomen quidem novi iſtius Meſſiæ, aut ſectæ ipſius, multo minus miracula, comperta habuit. Narrat ille quidem minutim plurima de cunctis ſectis, ante ſuam ætatem exortis, uti & de impoſtoribus variis novas adhuc molientibus: attamen de Chriſtianis & illorum Magiſtro altum ſilet. Aut ignoravit itaque omnino IESUM Chriſtum, aut mentione ſingulari alia indignum habens, cum turba impoſtorum cetera ipſum commiſcuit, a quibus ſua ætate in Palæſtina ſeductum ſæpius fuiſſe Iudæorum populum generatim innuit. Ita quidem omnino Ioſephus. Nam locus ille in lib. XVIII. c. 4. lacinia eſt a Chriſtianis tertii ſeculi impudenti dolo aſſuta veſti alienæ; quemadmodum & paucula illa verba lib. XX. c. 8. narrationi de Iacobo IESU Chriſti diſcipulo Ieroſolymis occiſo ſubiuncta, *frater IESU, qui Chriſtus dictus eſt.* Agnoverunt dolum hunc pridem optimi quique critici ex ipſis Chriſtianis; per ſeque abſurdum cogitatu eſt de Phariſæo ſectæ ſuæ ſtudioſiſſimo, qualem Ioſephus ſemper ſe profeſſus eſt; quod repente veluti ſolennem encomiaſten, ac veluti Evangeliſtam IESU Chriſti agat, dicens: *fuit autem eisdem temporibus IESUS, ſapiens vir; ſi tamen virum eum nominare fas eſt. Erat enim mirabilium operum effector, & doctor hominum eorum, qui libenter, quæ vera ſunt, audiunt. Et multos quidem Iudæorum, multos etiam ex gentibus ſibi adiunxit. Chriſtus hic erat: quem, accuſatum a gentis noſtræ principibus, Pilatus cum addixiſſet cruci, nihilominus non deſtiterunt eum*

eum diligere, qui ab initio cœperant. Apparuit enim eis tertia die vivus, ita, ut divinitus de eo vates hoc & alia multa miranda prædixerunt: & uſque in hodiernum Chriſtianorum genus ab hoc denominatum non deficit. Locus iſte totum interrumpit contextum, nec uſquam ſive antecedentibus, ſeu conſequentibus aliquo nexu quadrat. Præterea amplius duobus ſeculis idem Apologiſtis omnibus Chriſtianorum erat oppido ignotus, cunctisque primis Patribus. Certe Ioſephus, etſi de Ioanne Baptiſta tanquam viro ſancto *& vero Propheta* honorificentiſſimo inferat mentionem (lib. XVIII. c. 7.), tamen in vita Herodis, quam ibidem deſcribit, ne verbo quidem meminit cædis infantium Bethlemiticorum, nec magorum Chriſtum natum adorantium; quæ tamen facta tam publica & ſingularia nec ignorari a viro eiusmodi poterant, nec reticeri ab hiſtorico tam accurato debebant. Neminem ergo mirari ſubeat, ſi teſtimonia tantum domeſtica ſolorum diſcipulorum IESU Chriſti in tanto extraneorum ſilentio ſuſpecta habeantur. Adde 3tio. Tacitum, Suetonium, hiſtoricos Romanos laudatiſſimos, Plinium quoque iuniorem, Traiani cæſaris contemporaneos, leviter iniecta de Chriſtianis aliquid memorandi occaſione, non niſi nigris eam ſectam coloribus deſcribere. *Tacitus* eam velut exitialem ſuperſtitionem, Chriſtianosque ipſos tanquam ob flagitia inviſos, & de odio humani generis convictos, damnat. *Plinius* in Ep. ad Traianum item fidem Chriſtianorum ceu pravam & immodicam ſuperſtitionem notat, eorumque in tuenda religione ſua pervicaciam inflexibilem ſupplicio dignam iudicat. *Suetonius* demum Chriſtianos genus hominum ſuperſtitionis novæ ac maleficæ appellat, eoque nomine ſuppliciis iuſte affectos fuiſſe ait in vit. Neron. c. 16. Alias Iudæos impul-

impulſore Chriſto tumultuaſſe refert in vita Tiber. c. 25.

§. 292.

Reſponſ. Silentium ergo adverſariorum, contra quos e diametro Apoſtoli IESU Chriſti & Evangeliſtæ cauſſam Magiſtri ſui publice ſcriptis & libera prædicatione defenderunt, contra quos facta publica, totius nationis alicuius oculis expoſita allegarunt, facillime, ſi fallerent, fraudis convincendi; ſilentium, inquam, adverſariorum in tali cauſſa magnum aptumque argumentum tibi videtur contra teſtes eiusmodi, qui ſanguine ſuo æque promti erant teſtimoniis ſuis, atque calamo ſubſcribere? Ego vero libere & omni confidentia aio, ipſum hoc ſilentium ſufficere, ut cauſſam ſcriptores Evangelii Chriſtiani pleniſſime eviciſſe cenſendi ſint. Hæc prima & decretoria ad præſens argumentum reſponſio eſto.

De Philone non eſt, quod angamur multis. Nihil ille ſcripſit, niſi ad tempora antiqua, & veteres Iudaicæ nationis mores ſpectans; hiſtoriam ſui temporis, ſi legationem ad Caium Cæſarem Caligulam, quam ipſe pro popularibus ſuis obiit, excipias, ne attigit quidem. Itaque ſi a chriſtiana religione alienior fuit, tunc contra ipſam exerendi calamum quidem cauſſam habuit; ſin minus, non eſt, cur ſcribendi laborem ſibi pro ea ſumeret. Silentium ergo ipſius favet magis, quam nocet rei Chriſtianæ. De Therapeutis ſcribens Philo multis poſt Euſebium, Chriſtianos coloribus pulcerrimis depingere eſt viſus: quod verum, an falſum ſit, parum equidem moror.

§. 293.

§. 293.

Ioſephi maior ad præſens propoſitum auctoritas eſſe videtur; quippe qui res geſtas ſub & poſt ætatem IESU Chriſti ex profeſſo literis conſignavit. Porro omnia perſonæ ſcribentis adiuncta in Ioſepho mentionem aliquam de IESU Chriſto exigebant. Nullus enim eorum, qui eius ætate pro Meſſia ſe falſo iactaverant, aut maiore celebritate id fecit, aut plures aſſeclas habuit, ne latius ſui nominis famam protulit, nec dignitate maiore, quam IESUS Chriſtus. Nihil ergo omnino de IESU Chriſto Ioſephus dixerit, ac ne in malam partem quidem? Et Ioannem tamen Baptiſtam graphicis ille verbis commendet; quem Evangeliſtæ omnes IESU Chriſti præcurſorem publicis ubique ſcriptis, teſtemque, quod IESUS verus Meſſias eſſet, iactabant? Et Iacobi tamen in cædem, ab Anano ſummo ſacerdote & furente populo procuratam, quique Chriſtianorum ducem Ieroſolymis egerat, cauſſam malorum is affirmate refundat; quæ paulo poſt Ieroſolymæos tam graviter preſſere? Profecto ſi nihil admodum de IESU Chriſto revera Ioſephus ſcripſit, ut adverſarii volunt, profecto non ex odio, non ex averſione animi adverſus illum calamum abſtinuerit neceſſe eſt, ſed ex reverentia, ſed ex ambiguitate quadam animi, eo quod ipſe vacillaret dubius, laude illum extolleret magis, an deprimendum quæreret. Hoc certiſſimum, illius criminatione non minus apud Romanos Cæſares, quibus adulari Ioſephus ſemper erat ſolitus, quam apud populares ſuos, eximiam initurum gratiam fuiſſe. Hem! ut nihil admodum lucrantur adverſarii, ſi totum eis concedatur, quod evincere criſibus ſuis maxime præpoſteris in hac cauſſa tantopere conantur.

At

Digitized by Google

At enim num compertum adeo eſt, fraude ſuppoſitum Ioſepho fuiſſe locum illum lib. XVIII. c. 4.? Nemo id ante ſeculum decimum ſextum vel ſuſpicatus eſſe legitur, quo primi omnium Hubertus Giſanius, & Lucas Oſiander, eius loci fidem conati ſunt elevare: quos quidem mox alii plures, a critica emunctiore nomen ſibi quoddam venaturi, ſecuti ſunt, uti Salmaſius, Blondellus, Tanaquillus Faber, & alii; quorum coniecturas quoque cum pompa aliqua profert in nova Bibliotheca ſua Elias Dupinius. At his pleno ore contradicunt ſapientiſſimi quique, qui inter Criticos opinione publica excellunt Picus Mirandulanus, Sixtus Senenſis, Bellarminus, Poſſevinus, Huetius, Voſſius, Uſſerius, aliique innumeri; quorum catalogum collegit Carolus Daubuz lib. I. eruditi operis de hoc argumento editi. Vide etiam Boſſuetum in exercit. in hoc Ioſephi teſtimonium. Nituntur iſti ſecundum principem ſanæ critices regulam auctoritate & fide Manuſcriptorum omnium antiquiſſimorum, tam Græcorum, quam latinorum; quin vel unum antiquius diſſentire a ceteris adhuc oſtenſum ſit. Primus omnium id Ioſephi teſtimonium allegat Euſebius lib. III. Demonſtr. Evang. cap. 5. & lib. I. hiſt. c. 10. lectum a ſe in codice Ieroſolymitano, Euſebius, inquam, qui data opera vetuſtos omnes libros perlegit, & Bibliothecas omnes, reſtituta per Conſtantinum Eccleſiæ Chriſtianæ pace perluſtravit. Extat idem in Manuſcripto omnium antiquiſſimo Bibliothecæ Palatinæ; in eo, quod in Bibliotheca Cæſarea aſſervatur, quodque olim Conſtantinopoli comparavit Augerius Busbequius; in duobus Bibliothecæ Mediceæ, quæ ſedulo examine verſarunt doctiſſimi viri Iſaac Voſſius, & Emericus Bigotius; in eo, quod legit S. Hieronymus, quodque aliud fuit ab

Euſebia-

Euſebiano, ut demonſtrat Carolus Daubuz; in eo, quod habuit Iſidorus Peluſiota, ſcriptor græcus, circa annum 412. clarus (lib. IV. Epiſt. 125.); & quod Sozomenus (hiſt. lib. I. c. 1.) legit; in illo, quod latinum reddidit M. Aurel. Caſſiodorus, de cuius diligentia, cautela, & criſi exquiſita in antiquiſſimis & melioris notæ exemplaribus conquirendis ſatis conſtat ex eius libro inſtit. Divin. cap. 8. & ex Præfatione dicti operis p. 138. col. 2.; quibus demum omnes poſt ſecuti ſcriptores uſque ad novellos illos ſeculi decimi ſexti hypercriticos ſine diſcrimine ſunt adſtipulati. Adverſariorum itaque eſt gravibus argumentis evincere factum hoc, quo interpolatum a Chriſtianis Ioſephum tam fidenter aſſerunt. Quisnam vero inprimis, in quem tam dextræ fraudis ſuſpicio cadere poſſe videatur? In Chriſtianos tertii ſeculi, inquiunt, imo in ipſum Euſebium, qui primus iſtius loci Ioſepho affricti auctoritate in rem ſuam uti voluit. Itane vero Chriſtiani ſeculo tertio degentes fraudis eiusmodi copiam tam facilem medias inter atrociſſimas perſecutiones habuere, quæ illa maxime ætate furebant. Ipſis ſcilicet libera in omnia Ioſephinæ hiſtoriæ exemplaria poteſtas, ipſis facilis ad omnes bibliothecas acceſſus fuit. Præterea nemo paganus, nemo Iudæus, Ioſephi hiſtoriam ante admiſſam iſtam fraudem legerit, aut mutationem adverterit. Ioſephi libri in omnium erant manibus, ab omnibus lecti, excuſſi, Iudæis, Gentilibus, Chriſtianis, apprime noti. Et quo demum motivo, quo emolumento moveri ad tam ſubleſtam fraudem veteres illi Chriſtiani poterant ad Ioſephi opus corrumpendum? An eius atteſtatione fors opus illis erat ad fidem miraculis IESU Chriſti conciliandam? Quis hæc id ætatis ſive Iudæus, ſive paganus, inficiari uſpiam eſt auditus? aut quo pacto

pacto inficiari quis ea potuiſſet eo tempore, quo in dies ſimilia Chriſti nomine invocato Chriſtiani ubique locorum patrare conſueverant? Quid porro iis faciemus, qui cum Taxaquillo Fabro ipſum Euſebium doli huius, quem ſomniant, architectum fuiſſe pro imperio edicunt. Itane vero? An tam ſublectæ fidei vir ille fuerit omni ævo celeberrimus, ut poſt candorem & ſinceritatem tot ſeculis probatam, poſt reiecta ab ipſomet plurima ſcripta Apocrypha, quæ ad auctoritatem Chriſti miraculis conciliandam facere non minus poterant, in falſi fraudisque crimen tandem veniret, & fides adhuc illibata ab ingrata poſteritate, citra vel minimam iuſtæ ſuſpicionis ſpeciem, in dubium vocetur? Itane inſipiens, atque improvidus fuerit vir ille longe prudentiſſimus, ut in Evangelicæ demonſtrationis opere, in quo rei chriſtianæ cauſſam ſolidius quam ullus ante ipſum præcipue adverſus Iudæos agendam ſuſcipit; ut, inquam, fictitio Ioſephi teſtimonio allegato omnem auctoritatem fidemqne ſuam tam præſenti periculo exponeret? Aut num famæ ſuæ atque cauſſæ chriſtianæ univerſe conſulere peius potuiſſet, quam fraudulenta huiusmodi ſuppoſitione; quam inſpectis Ioſephi libris & obviis exemplaribus revincere cuique facillimum fuiſſet. Apage tales ſuſpiciunculas nulla probabilitate nixas, viris ingenuis & eruditis exoſas, ex æquo ineptas, & malitioſas! Aut edic certe rationes graves ac ſolide fundata argumenta, quibus ad fraudem iſtiusmodi tam putidam laudatiſſimo ceteroquin ſcriptori impingendam moveare.

Aiunt primo, videri Ioſephum hoc loco IESUM Chriſtum pro vero DEO & Meſſia agnoſcere. Id enim verba illa innuere videntur lib. XVIII.

XVIII. c. 4. ὁ Χριστὸς οὗτος ἦν, *Chriſtus ipſe erat*; item εἴγε ἄνδρα αὐτὸν λέγειν χρὴ, *ſi tamen virum illum oportet dicere.* Iam vero incredibile eſt, homini Chriſtianæ religionis inimico, de ſecta Phariſæorum, tam ſingularem Chriſti commendationem excidiſſe. Præterea in lib. VI. c. 31. de bello Iudaico is ipſe Ioſephus in Veſpaſianum Imperatorem ea confert, quæ Prophetæ de Meſſia Iudæis prædixerant: qua ergo ratione potuit poſt alium Meſſiam in Antiquitatum libris prædicare?

Reſp. Ioſephus Antiquitatum libros, ut ipſe in fine libri XXmi affirmat, ſcripſit anno Domitiani decimo tertio, Chriſti circiter nonageſimo tertio, ætatis ſuæ anno quinquageſimo ſexto, id eſt, eo tempore, quo Flavio Veſpaſiano & Tito Cæſaribus defunctis Domitianus, Titi frater, bonis omnibus Romæ exoſus, imperabat, non nullique ex ipſa Flaviorum gente, ut Flavius Clemens conſul Romanus, Domitiani conſobrinus, eiusque uxor Flavia Domitilla eiusdem Imperatoris cognata (apud Dionem lib. 67.) iam ad Chriſtianam fidem converſi fuerant: eo item tempore ſcripſit Ioſephus, quo, poſtquam antea ultima gentis ſuæ odia in obſidione Ieroſolymæ iam paſſus fuerat (ut in vita eius propria manu conſcripta & in libris de bello Iudaico iterato legere eſt) ſub Romanorum tutela & præſidio ſecurus a ſuis popularibus iam omni Palæſtina eiectis, & per orbem diſperſis, vivebat: ſcripſit denique, & dedicavit Epaphrodito; quem ipſum hominem Chriſtianum, Neronis nempe libertum illum & S. Petri diſcipulum fuiſſe, monumenta aliqua produnt. Præterea Ioſephus (ut ex lib. X. antiq. cap. ult. aperte patet) ſaltem poſt ruinam gentis ſuæ magis ſapere doctus, & in Scripturis hebraicis verſatiſſimus, probe agnoverat, cla-

dem illam ultimam genti ſuæ vi Prophetiæ Danielis eo ipſo tempore a Romanis eveniſſe, nec adeo ſaltem eſſe omnino immunis a dubio iſto potuit, an non IESUS Chriſtus ille verus Meſſias reipſa fuerit; cuius indigna cæde ex Danielis eodem vaticinio Ieroſolymæ excidium accitum eſſet. Cum itaque omnes boni hiſtorici partes ab eo IESU Chriſti mentionem aliquam exigerent; cum res ipſas notiſſimas a Chriſto actas, & ab innumeris iam publice celebratas, ob ſolam privatam alienæ religionis ſuæ cauſſam omnino taceri non oporteret; cum alioquin iam Ioannis Baptiſtæ, & Iacobi Ieroſolymæi meminiſſet; profecto his omnibus ſpectatis tacere omnino Ioſephus nequaquam de IESU Chriſto potuit. At, inquis, num hominem ſecta Phariſæum tanta omnino de IESU atteſtatum eſſe, veriſimile ſaltem eſt? Si modo dubitavit, eventis ipſis motus, quorum teſtis intererat; ſi ad Epaphroditum hominem Chriſtianum ſcripſit; ſi converſis ad Chriſtum ex Flaviorum gente, ut videtur, non ignotus fuit; potuit profecto veriſimillime cuncta his ipſis verbis ſcribere, ut hodie in ipſo legimus. Certe vel ſolæ voces illæ lib. Antiq. XX. c. 8. queis Iacobum Ieroſolymitanum vocat *fratrem IESU, qui dicitur Chriſtus*, ὁ λεγόμενος Χριστὸς, omnem vim totius textus, qui lib. VIII. c. 4. extat, iam in ſe complectitur. Atqui voces iſtæ lib. XX. c. 8. quæ Iacobi characterem omnem determinant, certo ſuppoſitæ Ioſephi contextui non ſunt. Reſcinde ſis enim voces illas a narratione mortis S. Iacobi; quid reſtabit? ſolum Iacobi nomen. Quis iam eſt Iacobus iſte? Quæ ipſius conditio? Quæ familia? Quæ cædis cauſſa? Ioſephus, ille Titus Livius Græcorum, omnia lectoris coniecturæ relinquit. Adde contra ſolas voces illas, *frater IESU, qui dicitur Chriſtus*, & mox hiſto-

ricum

ricum obſervo; video Iacobum tali inſignitum charactere, qui nullum relinquit dubium; frater eſt eius hominis, qui iuxta notus eſt iis, qui illum pro Chriſto habent, atque illis, qui eidem hoc nomen abiudicant. Imo vero, *inquis*, lib. XVIII. c. 4. Ioſephus non iam dicit, IESUM *dictum* eſſe Chriſtum, ſed *fuiſſe;* Χριςὸς ὗτος ἦν, *Chriſtus hic erat;* imo DEUM fuiſſe innuit; *ſi tamen virum oportet dicere.* Atqui hoc plus nimio eſt pro Ioſepho. *Reſp.* Quid vetat hæc cum S. Hieronymo (de Script. Eccl. in Ioſeph. c. 13. p. 7.) interpretari. *hic credebatur eſſe Chriſtus*, vel, *hic habebatur Chriſtus?* Certe nec græca expreſſio repugnat, & Ioſephus ipſe altero loco, nempe ubi de Iacobo fratre IESU loquitur, hac phraſi mentem ſuam poſtea lib. XX. c. 8. reipſa explicat dicens: ὁ λεγόμενος Χριςὸς. *qui dicitur Chriſtus.* Hoc ipſo ſenſu Pilatus cruci inſcripſit: ὗτος ἐςιν Ἰησῦς βασιλεὺς τῶν Ἰεδαίων: *ipſe eſt Rex Iudæorum;* non ſua videlicet, ſed aliorum ex ſententia loquens, perinde ac ſi diceret: *iſte haberi voluit rex Iudæorum.* Sed nec inveriſimilis eſt Cl. Moynii ſuſpicio in Not. ad var. ſacr. p. 931. exiſtimantis, Ioſephum etiam hoc loco (l. XVIII. c. 4.) uti illo altero (LXX. c. 8.) revera ſcripſiſſe Χριςὸς ὗτος λέγεται, vel Χριςὸς ὗτος ἦν λεγόμενος, *Chriſtus ipſe dicebatur*, vel, *Chriſtus ipſe erat dictus;* exinde vero Chriſtianum aliquem ſcribam, exiſtimantem, minus dici, quam par eſt, vel omiſiſſe vocem λεγόμενος: vel voci λέγεται ſubſtituiſſe vocem ἦν, aut ſaltem in margine appoſuiſſe verba Χριςὸς ὗτος ἦν, deinde deſcribentibus amanuenſibus exulaſſe textum, & gloſſam marginalem illius locum occupaſſe. Auget ſuſpicionem hanc *primo*, quod illa verba in Ioſephi teſtimonio, prout apud Cedrenum extat (Edit. Pariſ. p. 196.), deſiderentur: *Deinde* quod Origenes affirmate dicat, Ioſephum noluiſſe

credere in IESUM Chriſtum ut Meſſiam (comment. in Matth. & in lib. I. contra Celſum), mirumque eſſe, quod cum deſcriberet urbis Solymæ excidium, huius cauſſam tribuerit cædi Iacobi potius quam IESU Chriſti. Id quod omnino probat, Origenem non legiſſe in Ioſepho verba hæc: Χριςὸς ὗτος ἦν, *Chriſtus hic erat.* Sunt, qui ex his locis Origenis evincere volunt, Originem totum teſtimonium Ioſephi lib. XVIII. c. 4. ignoraſſe, atque adeo hoc poſt illum primum ſuppoſitum textui fuiſſe. At textum Originis legiſſe ſat erit, ut præcipitata nimis concluſio hæc refutetur; quem tamen Tanaquillus Faber (Diatr. anno 1655. edita p. 2. 33. &c.) male vertit latine: καὶ τὸ θαυμαςὸν ἐςιν, ὅτι τὸν Ιησῦν ἡμῶν ὐ καταδεξάμενος ἐῖναι Χριςὸν, ὖδεν ἧττον Ιακώβῳ δικαιοσύνην ἐμαρτύρησε τοσαύτην. Λέγει δὲ ὅτι καὶ ὁ λαος ταῦτα ἐνόμιζε διὰ τὸν Ἰάκωβον πεπονθέναι. h. e. *Atque illud mirandum eſt, quod IESUM noſtrum noluerit fateri eſſe Chriſtum, & tamen Iacobo atteſtatus ſit tantam iuſtitiam fuiſſe. Ait enim, quod & populus iſta putabat ſe propter Iacobum fuiſſe perpeſſum.* Profecto ſi utroque loco, nempe tam lib. XVIII. c. 4. quam lib. XX. c. 8. verba de IESU pro Chriſto habito memorantia Ioſepho aliena manu ſuppoſita ſunt, dicere Origenes non potuit, Ioſephum fateri noluiſſe, IESUM fuiſſe Meſſiam: contra ſi vere dixit Ioſephus lib. XX. c. 8. Ιησῦς ὁ λεγόμενος Χριςὸς, *IESUS, qui dicitur Chriſtus;* tunc Origenis animadverſio omnino appoſita eſt: ſed & ſalvo iſto loco lib. XX. c. 8. iam nulla ratio eſt; quo minus Ioſephus totum locum libri XVIII. c. 4. ſcribere veriſimillime potuerit; modo verba illa, Χριςὸς ὗτος ἦν, *Chriſtus hic erat,* reducas ad hæc: Χριςὸς ὗτος ἦν λεγόμενος, *hic Chriſtus erat dictus.* Confirmat allatam Origenis explicationem ſimilis ſententia Theodoreti; quem itidem

dem in ſuas partes adverſarii invitum trahere adnituntur. Sic autem is in Comment. in Danielem habet: Ἰώσηππος ὁ ἑβραῖος τὸ μεν χριστιανικὸν ὐ δεξάμενος κήρυγμα, τὴν δὲ ἀλήθειαν κρύπτειν ὐκ ἀνεχόμενος. *Ioſephus hebræus Chriſtianam capere noluit profeſſionem; & tamen veritatem occultare non potuit.*

Aiunt 2do. magis frivole, teſtimonium illud lib. XVIII. c. 4. ſine ullo nexu inſertûm nec antecedentibus, nec conſequentibus cohærere: ſtylum in eo obſervari a ſcribendi ratione Ioſepho familiari prorſus alienum: denique in non nullis exemplaribus, ac nominatim in perantiquo manuſcripto Mediceo, quod ex græco in Hebraicum translatum eſt, illud non reperiri.

Reſp. Ioſephus eo capite narrat, quæ Pilato Præſide memorabiliora contigerint; nec, ſi tollas hoc de Chriſto teſtimonium, maior inter ea, quæ illud antecedunt, & quæ id conſequuntur, connexio exoritur. Etſi ergo facta tria, quæ ibi narrat (nempe cædes plurium Iudæorum, ex occaſione alicuius ſeditionis facta Ieroſolymæ, acta mirabilia a IESU Chriſti, & Iudæi ex urbe Roma iuſſu Tiberii expulſi) ratione ſui connexione careant, tamen quod ratione temporis coniuncta fuerant, non poterat ab his teſtimonium de IESU ſeparari, nec alio commodiore loco collocari. Stilum quod attinet, aliis idioma græcum æque callentibus nihil omnino a Ioſepho diſſentire videtur. Tam verba enim, quam phraſis, & tota conſtructio, talia ſunt, qualia etiam alibi apud Ioſephum occurrunt; ut de ſingulis oſtendere in promtu eſſet, ſi operæ pretium ferret. Adverſantia exemplaria fruſtra opponunt; cum nulla proferre unquam potuerint, quorum certa fides, aut quæ cum iis,

 quæ

Digitized by Google

quæ ſupra citavimus, venire in comparationem poſſint. Mediceum illud eo ipſo, quod hebraice verſum fuerit, Iudæi interpretis, vel amanuenſis, fraudem præſefert. Nec vanam hanc eſſe ſuſpicionem, certa documenta evincunt. Audiamus, quid apud Caveum (in vita Ioſephi Iudæi) Gyraldus Cambrenſis libro de Inſtitutione Principis, apud Cl. Galæum inveniendo, & nondum edito, tradat. *Robertus* (*Canutus* dictus; qui claruit circa an. 1170. de quo vide Baleum cent. 3. cap. 4. p. 213.) *Prior S. Fridiſwidæ apud Oxoniam, hebraice doctus, in duobus exemplaribus Ioſephi hebraice ſcriptis invenit teſtimonium de Chriſto, in aliis nuper eraſum. Quod & Iudæis Oxoniæ degentibus oſtenſum fuit.* In Bibliotheca quoque vaticana (teſte oculato Cardinale Baronio ad ann. Chriſti. 34.) extant membranæ pervetuſtæ cuiusdam codicis Ioſephini, ex græco in hebraicum translati, ubi liquet, teſtimonium illud cultello abraſum fuiſſe. Certum quoque eſt, in hodiernis Ioſephi exemplaribus, quæ extant, multa deeſſe, quæ ex eodem ab Origine, Euſebio, & S. Hieronymo citata ſunt. Galæus eruditiſſimus (apud Cave loc. cit.) monuit, fragmenta bene longa græce manuſcripta apud ſe ſervari, quæ in vulgatis Ioſephi ſcriptis fruſtra quæſieris. Plura quoque profert Iſaacus Voſſius, & ex eo Cl. Ittigius, Theologus Lipſienſis, in Prolegomenis, quæ nuperæ editioni Ioſephinæ præmiſit. Notandum denique & illud, Iudæos, cum Ioſephum allegant, ſolum Gorionidem vulgo intelligere, & Flavium Ioſephum prope penitus ignorare. Iuvat vero Gorionidem iſtum, telis omnium eruditorum toties confoſſum, penitius noſcendum dare. Fuit nempe inter Iudæos aliquis, qui, dum nugas ſuas pro genuino Flavii Ioſephi opere apud populares ſuos venditare voluerit, ſtolide halluci-

natus,

natus, Gorionis ſe filium pro filio Matthiæ dixit. Is Gallicæ gentis ex agro Turonenſi fuiſſe, & poſt annum Chriſti ſexcenteſimum ſcripſiſſe Scaligero (in Trihær. Elench. c. 4. 5.) videtur; cui fere per omnia conſentit Voſſius (de hiſtor. Gr. l. 2. c. 8.). Scripſit hebraice compendium quaſi quoddam Flavii Ioſephi hiſtoriarum, Acta 70. Interpretum, geſta Machabæorum, & excidii Ieroſolymitani narrationem complectens, quod ex latino Rufini excerpſit. Inſulſus iſte & inficetus ſcriptor inſcitiam ſuam & impoſturam fere ubique prodit: ex quo tamen ſolo, quæcunque de Machabæis & de excidio Ieroſolymitano habent, Iudæi ſcriptores excipiunt. Fuſiſſime de eo agit Cl. Uſſerius Bibl. Theol. MSS. pag. 116. &c. Primi illum edidere Iudæi Conſtantinopoli hebraice: inde Sebaſt. Münſterus hebraico-latine cum notis Wormatiæ 1529. & Baſileæ 1541, omiſſis tamen plerisque putidioribus fabulis.

Aiunt 3tio. locum illum Ioſephi lib. XVIII. c. 4. ignoraſſe omnes Patres chriſtianos & Apologiarum ſcriptores, qui primis duobus a Chriſto ſeculis vixere: Iuſtinum Martyrem in Dialogo Polemico cum Tryphone Iudæo nuſpiam perappoſitum eiusmodi Ioſephi Iudæi adverſus Iudæum teſtimonium urgere: Clementem Alexandrinum, qui plura ex Ioſepho in Chriſtianæ fidei præſidium adducat, nil tamen de hoc loco memorare. Origenem quoque obiiciunt, mirantem, ut ſupra dictum, ex una parte Ioſephi de Iacobo teſtimonium lib. XX. c. 8. & ex altera parte pervicaciam in IESU Chriſto pro Meſſia adoptando. Denique urgent maxime ſilentium Photii, qui, cum omnia, quæ Ioſephus ſcripſit, recenſeat, de loco illo tam inſigni ne verbum quidem.

Reſp. Cauſſæ ſæpe tacendi ſunt centum, vix una loquendi; nec argumentum hoc negativum ullius roboris eſt in factis hiſtoricis refutandis. Primis nimirum ſeculis nunquam erat quæſtio hæc controverſa, an Chriſtus miracula patrarit; multo minus eam Iudæi, ac ne gentiles quidem vulgo negabant. Unde nec Patres in hoc facto probando & teſtimoniis pro eo conquirendis uſquam multum ſollicite verſabantur. Contra unice in eo elaborabant, ut ex indole miraculorum, ex vaticiniis Prophetarum, & ſanctitate doctrinæ IESU Chriſti eius divinam miſſionem probarent. In Apologiis adverſus gentiles parum Ioſephi hominis Iudæi auctoritate id temporis profeciſſent, quo Iudæi omnes toti Romano orbi contemtiſſimi erant. Hinc *S. Iuſtinus* Martyr in duabus Apologiis quidem ad Acta Pilati, ad Sibyllina carmina, & ad veteres Iudæorum Prophetas appellat; at non teſtes recentes ex Iudæis invocat, ne Apoſtolos quidem. Sed neque in Dialogo contra Triphonem ipſum Iudæum ullo teſtimonio profano allegato urget adverſarium, ſed ad ſola oracula Prophetarum provocat. Et vero IESU Chriſti miracula non inficiatum fuiſſe Tryphonem, ex toto Dialogo patet. Similes negligendi teſtimonii Ioſephini cauſſæ haud dubie etiam *Clementi Alexandrino* & *Tertulliano* fuere. Quamquam Clementis plura opera periere; in quibus forte & illud legere fuiſſet. *Origenem* potius legiſſe teſtimonium illud oportere, ex dictis paulo ante ſat apertum videtur. Sed *Photius*, inquiunt, illud ignorare qui potuit? An vero ignoravit prorſus? Imo codice CCXXXVIII. iisdem, quibus Ioſephus, verbis de Chriſto loquitur; quamquam nomen Ioſephi ibidem non memoret. Sed ibidem & de Iacobo eadem addit ſine Ioſephi mentione, quæ tamen nemo

alius

alius præter Ioſephum de iſto tradidit, ſcilicet, populi ſententiam fuiſſe, ob ipſius cædem Ieroſolymæ excidium eveniſſe. Quemadmodum ergo ex Ioſepho exſcripſit, quæ habet de Iacobo, ita ex eodem ſcriptore de Chriſto illud teſtimonium excerpſit; ut collatis verbis eruditi critici demonſtrarunt. Et qua demum ratione ignorare hunc Ioſephi locum Photius potuerat, quem ſine omni dubio in Euſebio demonſtr. Evang. lib. III. c. 5. & hiſt. lib. I. c. 10. in Sozomeno l. I. c. 1. in Nicephoro Calliſto l. I. c. 34. in Zonara lib. I. c. 4. aliisque græcis ſe antiquioribus non ſemel legerat. *Reponunt*, Photium haud ignoraſſe quidem locum illum, ſed pro ſuppoſititio habuiſſe. Probant exinde, quod Cod. XLVIII. Ioſepho librum *de Univerſo* hoc inprimis nomine abiudicet, quod in iſto de æterna Verbi generatione ſermo ſit. *Reſpondeo:* omnino, recte Photius in hoc iudicavit; quia nec ipſe nobiſcum credidit, IESUM Chriſtum idcirco a Ioſepho pro vero DEI filio & Meſſia agnitum fuiſſe; etſi teſtimonium de ipſius miraculis & doctrina id ipſum prorſus tulerit, quod illi vindicamus. Certe Chriſti Divinitatem obſcuriſſime & ambigue ſolum innuit Ioſephus illis verbis; *ſi tamen virum illum oportet dicere.* Ecce tibi! de Ioſephi atteſtatione ſatis multa, & plura fortaſſis, quam opus reipſa erat ad obiectionem ſilentii ipſius amoliendam; quod vel ipſum ſatis cauſſæ noſtræ abunde, patrocinaretur.

Supereſt, ut Ioſephi ſilentio circa hiſtoriam Magorum, ortum ſtellæ novæ, & cædem infantum ab Horode factam reſpondeamus. *Ain'?* Ioſephus tacet. At loquitur Matthæus; loquuntur omnes Iudæi & gentiles, qui Matthæi Evangelium pro vero receperunt; narrat ortum ſtellæ & adora-

Digitized by Google

tionem Magorum ſatis diffuſa oratione Chalcidius in Comment. in Timæum Platonis, a ſe latine editum (quem quidem aliqui volunt Archidiaconum fuiſſe Carthaginenſem ; ſed optimi Critici pro homine mere philoſopho , non Chriſtiano habent ; cum nullum hiſtoricum indicium chriſtianæ religionis circa ipſum extet: floruit circa annum Chriſti 330.). Macrobius (in Saturnal. l. 2. c. 4.) de occiſis ab Herode infantibus teſtatur. Auctor iſte paganus, qui ſub finem quarti ſeculi ſcripſit, inter alia ab Auguſto Cæſare acute dicta refert, hunc Principem, cum audiſſet, ab Herode in Syria occidi iuſſos eſſe infantes bimatu inferiores, eiusque proprium filium hac cruenta ſorte involutum fuiſſe, exclamaſſe : *mallem Herodis porcus eſſe quam filius.* Nimirum Herodes ferme eodem tempore vitam Antipatro filio rapuerat, quo Bethlemiticos infantes necari iuſſit; & quoniam uterque nuntius ſimul Romam appulit, iſtiusmodi Auguſti dicto, quod Macrobius refert, anſam dedit. Ipſe Iulianus hiſtoriam iſtam ſtellæ & adventus Magorum non diffitetur, ſed ad cauſſas naturales ſtellæ ortum accommodare ſtudet. Ceterum utut ſingularis & inſuetis veſtita adiunctis tota illa Magorum hiſtoria videatur ; nihilominus facta omnia tam ſunt publica, tam connexa cum negotiis ſtatus & regni Herodis, ut nec fingere, Matthæum voluiſſe, nec ſine probro publica & omnium reclamatione omnino potuiſſe, evidens omnino eſt. Non igitur ad fraudis ſuſpicionem illa vel minimum quid valet, ſed ad ſingularis providentiæ divinæ, pro Meſſiæ gloria iuxta & protectione mire vigilantis , commendationem.

§. 294.

§. 294.

Sed auctoritati Taciti, & Suetonii, Romanorum hiſtoricorum, imo & Plinio iuniori quid opponemus? Sufficit profecto dicere, eos tempore vixiſſe, quo ſecundum Domitiani legem publice ſancitam Chriſtianæ religionis profeſſio pro Maieſtatis crimine habebatur; cuius legis tenori vel Traianus ipſe nimio plus, quam tanti Imperatoris ceteris laudibus convenerat, inhæſit. Cavebant inde videlicet ſedulo ſcriptores illi, ne abſonam ab aula & curia Senatus linguam proderent. Imo ne mentionem quidem primi duo de Chriſtianis inieciſſent, niſi ſermo forte in Neronis vita incidiſſet. Et vero ſatis ſuam de Chriſtiana religione univerſe imperitiam *Suetonius* prodit. *Imperator Claudius*, inquit, *Iudæos Roma expulit, qui a Chreſto ſtimulati continuos movebant tumultus.* Quot verba, tot offenſæ in rei veritatem. Non diſtinguit auctor iſte Chriſtianos a Iudæis: tumultuum nomine compellat diſputationes in Synagogis ortas, quæ regimen politicum nihil uſpiam turbabant. Loquiter perinde, ac ſi Chriſtus Romæ præſens Iudæos concitaſſet; ipſum iſtius nomen pervertit, *Chreſtum* appellans, pro more temporum illorum, quo id nomen non ab unctione, ſed a bonitate derivatum credebant Ethnici, unctionis regum iuxta ac ſacerdotum inſueti. Ubi ſupplicia a Nerone Chriſtianis illata refert, hos inſtar turmæ hominum, *novo ſuperſtitionum & maleficiorum generi* addictorum, exhibet. Hoccine erat bene Chriſtianos noſcere? *Tacitus* ipſe, profundi ille iudicii hiſtoricus, a ſe ipſo deſciſcere hic (lib. V. hiſt.) videtur. Chriſtianos incenſæ urbis crimine pronuntiat immunes, quod Nero ipſis temere impegerat; at ſimul tam durum ſe eiſdem præbet, ut affirmet, aliunde illos ſatis reos fuiſſe, ut eis parci neutiquam

quam oporteret. Rationem porro iſtius hanc unam affert, quod ſectæ iſtius novitas advecta ex oriente eſſet eo tempore, quo quæcunque ibi erant peſſima, inde Romam appellerent. Nonne tam præceps & immoderatum iudicium, citra ſufficiens argumentum tanta ſimul ſævitia prolatum, ſe ipſum evertit, ſummamque notat negligentiam in certiore rerum notitia conquirenda, unaque animum præiudiciis nimiopere præventum, & veritatis incapacem. Sed nec mirum hoc nimis iam videri in Tacito debet; poſtquam is ſerio ex relatione Iudæorum in Monte Ida oriundorum narrat, illos in ſacratiſſimo templi ſui loco aſini cuiusdam effigiem conſecraſſe. Sic Romæ ea omnia nimirum curabantur id ætatis, quæ ad reipublicæ negotia non ſpectabant, nec rationi temporum congruebant. *Plinium* quod attinet; ex eius ad Traianum Cæſarem Epiſtola aliud non patet, quam ſumma Romanorum iniuſtitia & crudelitas, qua cum Chriſtianis agere ſolebant. *Erga eos,* inquit, *qui hoc nomine ad me delati ſunt, hanc agendi rationem tenui. Interrogavi, an eſſent Chriſtiani. Cum ſe eſſe faterentur, altera, & tertia vice eandem quæſtionem movi cum ultimi ſupplicii intentatione: & duci perſeverantes iuſſi; nec enim mihi videbatur dubium, quidquid id eſſet, quod faterentur, ſaltem pertinaciam & obſtinationem inflexibilem impunitam eſſe non debere.* Fatetur deinde ſe, poſtquam etiam *mulieres* quasdam, *Chriſtianorum mancipia, tormentis ſubieciſſet, præter ſuperſtitionem,* ut ait, *inauditam & pervicaciſſimam, nihil detexiſſe.* Hæc indicia ipſi Traiano, quem optima naturæ indoles a ſævitia Neronis & Domitiani alieniorem fecerat, tam inſufficientia viſa ſunt, ut, deinceps *in Chriſtianos inquirendum non eſſe, ſi autem denuntiarentur, & convincerentur, puniendos eſſe,* reſcriberet. Quod quam indignum, apud Tertullianum

lianum Apol. cap. 2. abunde oſtenſum leges. Profecto a tam ſævis Chriſtianorum hoſtibus ſummi beneficii loco maius quid expectari non poteſt, quam ut ne ſævitiæ ſuæ excuſandæ cauſſa falſa ſaltem crimina Chriſtianis imputarent, minime vero, ut ſincerum virtuti illorum teſtimonium ferrent, quam ne examinandi quidem attentius ſpatium ac laborem ſibi unquam ſumere volebant.

§. 295.

Addamus his, quæ nihilominus etiam *EX PROFANIS SCRIPTORIBUS DE IESU CHRISTI PUBLICA MIRACULORUM FIDE* ſuppetunt, *teſtimonia*, imo & quæ ipſi eius iurati inimici, vel inviti, de illo edixere.

I. *Acta Pilati*, ab hoc ad Cæſarem Tiberium miſſa, etſi enim nullum illorum exemplum authenticum fortaſſis unquam in manus Chriſtianorum pervenerit, vel certe temporum primorum iniquitate & ſimplicitate brevi corrupta fuerint, tamen & reipſa Romam a Pilato miſſa fuiſſe, & graviſſimum de IESU Chriſti miraculis teſtimonium tuliſſe, tam certum eſt, ut citra humanæ totius fidei hiſtoricæ iniuriam ex mente magni Petavii (in Animadverſ. in Epiphan. p. 187.) negari non poſſit. Appellant enim in ipſis Apologiis ſuis, ad Cæſares Romanos & Prætores miſſis ac directis, S. Iuſtinus Martyr, & Tertullianus, & provocant ad ipſas tabulas publicas & Archiva Romæ extantia, auctores certe graviſſimi, quibus tanta temeritas & audacia, imo tanta impudentia, ſine novo graviſſimo impudentiæ genere affingi nequit, ut tale quid auderent, niſi certi de rei veritate extitiſſent. Narrat præterea Tertullianus ſumma confidentia cap. 5. Apologet., *Tiberium*, illis actis permotum,

motum, *retuliſſe ad Senatum de Chriſto Deorum numero inſerendo; Senatum vero ideo reſpuiſſe, quod nollet DEUM, qui alteri quam ſibi cultus originem deberet: Tiberium nihilominus in ſententia perſtitiſſe, ac graviſſimas Chriſtianorum hoſtibus pœnas intentaſſe.* Verum eſt, multis argumentis Acta hæc a ſummis criticis fuiſſe impetita; at quæ omnia prorſus aliud non probant, quam nunquam fortaſſe genuinum actorum iſtorum exemplum in illorum Patrum manus perveniſſe, qui eadem in ſuis ſcriptis miſſa fuiſſe a Pilato affirmant. Sed nec Iuſtinus, nec Tertullianus, vidiſſe ſe illa oculis affirmant; etſi ſynopſin illorum Tertullianus, prout vel audierat, vel mente divinabat ſolum, in ſuo Apologetico l. cit. recenſeat. Vide abunde explicatam hanc controverſiam paſſim decantatam apud Cl. Calmetum in peculiari de hoc argumento Diſſertatione. Id certe negari non poteſt, vel ſilentium, quo publicæ Apologiſtarum Chriſtianorum ad Acta iſta appellationes a Romano Senatu excipiebantur, ſatis ſuperque præſenti cauſſæ noſtræ patrocinari.

II. *Celſus* paganus de Epicuri grege Philoſophus *in diſcurſu de veritate*, quem contra Iudæos ſimul & Chriſtianos circa annum Chriſti 125. Hadriano Imperatore edidit, ipſe Chriſti miracula minime inficiatur, ſed certo edita ſupponit, arti magicæ tribuens, quam Chriſtum apud Ægyptios (infantilis exilii illius tempore videlicet) didiciſſe audacter mentitur. Quadratus, Athenienſis Epiſcopus, in Apologia contra hunc Chriſtiani nominis iuratum hoſtem ſub idem tempus edita, & ipſi Hadriano Cæſari oblata, parum de facto probando ſollicitus, quod negari a nemine probe noverat, ex indole ſolum miraculorum a Chriſto editorum oſtendit, magiæ ea tribui, non poſſe. *Ope-*

ra

ra Salvatoris noſtri, inquit, *ſemper erant permanentia; quia vera erant* (dum ſcilicet præſtigiarum fallaciæ non niſi ad tempus oculis illudunt); *a morbis ſanati, & a morte reſuſcitati, non ſolum ſani & reſuſcitati videbantur, ſed tales etiam permanſerunt, nec ſolum tanto tempore, quanto Salvator in terris vixit, ſed etiam multo poſt, quam aſſumtus fuit, tempore, ita, ut quidam eorum ad noſtra uſque tempora perduraverint.* Vide Euſeb. hiſt. l. IV. c. 3. & in Chron. an. 127. & Origenem contra Celſum lib. II.

III. *Phlegon* Hadriani Imperatoris libertus, qui ad annum uſque Chriſti 137, ſeu uſque ad obitum Hadriani opus ſuum perduxit, affirmabat (lib. Annal. 13. & 14. Chron. apud Origenem lib. II. contra Celſum) *nullum hominem præciſius, nec maiore ſecuritate futura prædixiſſe quam Chriſtum, nec ullius prædictionibus tam accurate reſpondiſſe eventum.* Simile quid de S. Petro Apoſtolo idem affirmat. Idem Phlegon lib. 13. Olymp. (& qui eum ſequitur, Thallus Syriacæ hiſtoriæ ſcriptor lib. 3.) tenebras & Eclipſin illam refert, quæ in ipſa hora mortis IESU Chriſti evenit. Verba Phlegontis ſic ex Græco vertit S. Hieronymus. *Quarto autem anno CCII. Olympiadis magna & excellens inter omnes, quæ ante eam acciderant, defectio ſolis facta. Dies hora ſexta ita in tenebroſam noctem verſus, ut ſtellæ in cælo viſæ ſint, terræque motus in Bithynia Nicææ urbis multas ædes ſubverterit.* Addit Africanus, *narrare Phlegontem, ſolis eclypſin* illam *imperante Tiberio Cæſare in plenilunio contigiſſe:* id quod teſtimonium apud Georgium Syncellum in Chronographia, & apud Ioannem Philoponum lib. II. de mundi creatione, legere eſt; quorum hic ſub ſexti, ille ſub octavi ſeculi finem inter Græcos floruit. Et vero primi Chriſtiani (Tertull. apol. 21. Orig. contra Celſ. l. II.

l. II. & tract. 35. in Matth. Euſeb. in Chron. Iulius Africanus ibid.) qui de hac Eclipſi ſemper tanquam de prodigio Romanis locuti ſunt, quod non ſolum in profanis ſcriptoribus, ſed ipſis in publicis tabulis Romæ adnotatum extaret, reipſa eam naturæ viribus altiore virtute contigiſſe oſtenderunt. Extant propria Phlegontis illa hac de re verba ab Africano & aliis ſcriptoribus citata eo tempore, quo illius liber æque ac hiſtoria Syriaca Thalli in omnium manibus adhucdum verſabantur; & annus quartus 202dæ Olympiadis, in Plegontis Annalibus adnotatus, prorſus ipſiſſimus eſt annus mortis IESU Chriſti, ſcilicet quartus prædicationis eius, & ultimæ hebdomadis Danielis.

IV. *Lampridius* vir ethnicus de Alexandro Severo Imperatore in iſtius vita refert, eum *matutinis horis in larario ſuo* cum Abrahamo & Orpheo Chriſtum ut animam quamdam ſanctiorem veneratum eſſe: *templum* quoque *Chriſto facere voluiſſe, eumque inter DEOS recipere, quod & Hadrianum feratur cogitaſſe. - - ſed prohibitum fuiſſe* (Severum) *ab iis, qui conſulentes ſacra, repererint, omnes Chriſtianos futuros, ſi id optato eveniſſet, & templa reliqua deſerenda.* Obiit Severus anno Chriſti 235.

V. *Hierocles* quidam modica Cariæ civitate natus, urbis poſtea Alexandriæ Præfectus, & duriſſimæ in Chriſtianos perſecutionis Diocletiano Imperatori auctor, circa annum Chriſti 303. adverſus religionem chriſtianam librum ſcripſit, cui titulus φιλαλήθης; ſed nec ipſe Chriſti miracula negavit ullo pacto, quin potius his ſimilia eſſe dixit, quæ Græci de viris quibusdam illuſtribus narrarent, & qualia inprimis non longe abhinc Apollonius Thianæus itidem patraſſet. En tibi verba eius

Digitized by Google

ius ſane memoratu digna! *non tamen ideo DEUM eſſe credimus, qui tanta fecit, ſed hominem, cuius cœptis Dii faverunt: dum interim Chriſtiani propter pauca miracula IESUM DEUM eſſe dicant.* Vide Euſebium in libro contra hunc ipſum Hieroclem ſcripto.

VI. Demum *Porphyrius*, & *Iulianus Apoſtata*, ambo iurati Chriſtianorum hoſtes, nihilominus (ille quidem lib. IV. de Abſtin. hic vero apud S. Cyrill. lib. V. & VI. contra Iulian. & apud S. Auguſtinum lib. de vera religione) nec Chriſti, nec SS. Apoſtolorum Petri & Pauli miracula unquam negare auſi fuere, ſed aſſeruere, eos omnium, quotquot fuere, hominum Magiæ peritiſſimos fuiſſe, Chriſtumque libro de Magia edito Apoſtolos ſtudioſe in arte iſta inſtruxiſſe. Iidem, quoties exempla prædictionum vere talium dare volebant; nunquam non ex Iudæis petere ſolebant. Aliud Iuliani teſtimonium in hanc rem vide ſub finem Art. Imi. §. 256. Præterea Porphyrius (apud Euſ. lib. V. Præp. Evang.) aiebat, nullam a Diis gentilibus medelam morbis & malis hominum exhiberi, ex quo IESUS coli cœptus eſſet, & ob æſculapium ab illo profligatum iam morbos paganos inter graſſari.

VII. Adde, vel ipſos Iudæos Chriſti miracula in Thalmudicis ſuis ſcriptis (Parte IV. lib. VI. Abod. Elilim c. 1.) fateri, atque exinde putidam illam fabulam de nomine DEI *Iehova* e templo per Chriſtum furtim ſublato manaſſe; cuius ope ſcilicet ea prodigia patravit. In ipſo libro Thalmudico Avoda Zara, & in Midraſch Coheleth, aliisque veterum Hebræorum libris affirmatur, vim veneni per nomen IESU extinctam eſſe, pro eo, ac IESUS ipſe prædixiſſet. Magum tamen fuiſſe

Digitized by Google

cauſſantur apud Arnobium lib. I., ſed non alio argumento, quam pravæ ſuæ arbitrio voluntatis.

* Verum leves adhuc velitationes iſtæ videri poſſunt, cum argutiis comparatæ, quas Philoſophorum noſtri ævi ingenium effudit. His quoque reſpondere inſuper Chriſtiana cum manſuetudine oportet.

§. 296.

Aiunt ergo porro, nullum omnino teſtimonium humanum vel ſatis aptum, vel ſufficiens eſſe poteſt divinis actionibus, qualis eſt operatio mirabilium, rite atteſtandis. *Probant* 1mo. Si DEUS eo uſque ſemel ſe demittat, ut loqui mihi abiecto homini velit, & aſſenſus fidei homagium ſuæ veracitati præſtandum a me exigere; quippenî ipſe mihi, cum hoc æque facile ipſi accidat, ſine intermedio interprete ac nuntio loquatur? Nimis incerta hominum fides. Securior certe a seductione futurus eſſem. Cur organa intermedia tam ſuſpecta adhibere DEO placuerit? Tuto ſaltem ſupponere poſſum, non obligari me a DEO ad credendum, quod is non mihi, ſed aliis ſolum ante ſesqui mille annos locutus eſt. Siquid enim DEUS fieri ab homine aliquo velit, vulgo ei non per alium, ſed per ſe ipſum, ope rationis naturalis ſignificare conſuevit. Ita Theiſta ille Genevenſis Ioannes Iacobus Rouſſeau fucata pietate incredulitatem ſuam excuſat.

Reſp. Quis es tu, miſer Philoſophe! ut modum DEO præſcribas, quo ſua ipſum tibi intimare iuſſa oporteat? An ergo principi tuo præſcribes, ut, ſiquid fieri a te velit, ipſe præſens te adeat, tibique coram loquatur; quin uti internuntio tecum, aut legato, ipſi permiſſum ſit, ſi obediri ſibi ac iuſſis

iuſſis ſuis a te velit? An ſaltem tantus tibi ipſe videris, ut dignum te præſente DEI alloquio iudices? Rectene inobedientiam tuam ſummo principi excuſabis, quod ipſe in perſona ſuum tibi imperium nuntiatum non venerit? 2. Quid vero? ſi DEUS non ſingulare cum quovis homine ſingillatim, ſed commune cum omnibus hominibus, in unam religionis ſocietatem coniunctis, pactum inire, ſi ipſos inter ſe homines novo unius religionis fœdere inter ſe ſociatos habere voluerit; an ad ſingulos, num vero ad omnes univerſe dirigere vocem oportuit? Qua autem id alia ratione fieri poterat ad omnes omnium ætatum, gentium, atque locorum homines, niſi legatis quibusdam ac internuntiis conſtitutis, qui ad poſteros, deinceps victuros in mundo, ipſius voluntatis ſummam transmitterent? Quodſi ad id genus fœdus cum poſteris conſtituendum tranſactio cum iſtorum parentibus ſuffecerit; quippenî & ſimilis tranſactio cum paucioribus quibusdam veluti internuntiis ſufficiat; qui ex una quadam gente ſelecti, & ſufficienti divino charactere muniti, DEI iuſſa & oblatas ab eo fœderis conditiones ad gentes alias transferrent? Vides itaque, fruſtra, nec minore protervia quam imprudentia leges Numinis ſupremi ſapientiæ a te præſcribi. Aut quid aliud univerſum Chriſtianæ religionis inſtitutum eſt, quam fœdus quoddam a DEO cum univerſo humano genere circa modum ſupernaturalis & altioris beatitatis ei conferendæ certis ſub conditionibus initum, & ad mundi finem uſque duraturum, primum quidem Adamo, communi omnium parente, deinde vero IESU Chriſto, eiusque Apoſtolis internuntiis? Hæc profecto idea eſt, quam tum ipſe IESUS Chriſtus, tum Apoſtoli nobis depingunt: *hic eſt ſanguis meus novi teſtamenti.* Matth.

Digitized by Google

XXVI. 28. *hic calix novum teſtamentum eſt in meo ſanguine.* II. Cor. XI. 25. *qui* (DEUS) *& idoneos nos fecit miniſtros novi teſtamenti.* II. Cor. III. 6. *melioris teſtamenti ſponſor factus eſt IESUS.* Hebr. VII. 27. Ad id ergo unum caput omnis hæc quæſtio reducitur; an divinæ legationis ſuæ characteres his internuntiis ſufficientes communicarit. Quod ſi ita omnino ſit; licebitne homini eorum operam internuntiam pro arbitrio reſpuere? 3tio. Demum nonne ipſa miraculi certitudo ex eo acquiri debet, quod naturæ legibus conſtanti & uniformi omnium hominum noſcatur experientiæ adverſari? Nonne vis eius, ac divinæ ſignificatus virtutis, omnis in quadam raritate inſolita, & vulgaris naturæ curſus minime vulgari interruptione conſiſtit? Pone ergo miracula quotidie reſpectu ſingulorum hominum ad faciendam illis divinæ locutionis ad ipſos ſingillatim directæ fidem, in omnibus mundi provinciis, in omni ætate, ac temporum ſerie, ſine numero multiplicari: & qua deinceps ratione curſum & leges naturæ ab operatione DEI prodigioſa diſcernes? Apage, ſapientia humana! nunquam non enim in ſtultitiam minime vulgarem verteris, quoties DEI ſapientiæ conſilia aut corrigere, aut argutiis tuis laceſſere præſumis.

At ſecurior, *inquis*, eſſem ab errore, ſi DEUS mihi ipſe loqui (miraculis videlicet) dignaretur. *Reſp.* Tranſmittam hoc quidem utcunque (iam enim alias monui §. 170., ſummum moralis certitudinis gradum, qui Apoſtolorum teſtimoniis profecto competit, certitudini phyſicæ, quæ ex proprio miraculorum aſpectu & experientia apud te exſurgeret, æquivalere) at quî probas moralem eamque ſummam certitudinem ad imponendam tibi

tibi credendi DEO obligationem non item ſufficere? Aut quî probas demum, ſuſpecta merito a te illa organa a te haberi, quæ veritatis characteribus tam illuſtribus ipſa ſumma Veritas inſignivit. Hoc unum proba, iure de diſcipulorum IESU Chriſti aut veri notitia, aut fidelitate teſtimonii, te dubitare, & tum demum dices aliquid, quod iuſtæ excuſationi ſerviat. Quid tum, quod DEUS hodie, vel heri, vel ante ſeſqui mille annos, nec tibi in perſona, ſed aliis iuſſa ſua aperuerit; ſi tamen eadem pertinere quam apertiſſime ad te ſingillatim voluerit, & velle ſe luce clarius & moraliter certo ſignificarit? Quodſi omnem alium veritatis Magiſtrum, quam DEUM detrectare univerſe liceat; recte ergo rudibus & barbaris hominibus iuris naturæ dogmata, etiam a ratione naturali præſcripta, omittemus explicare: recte filii parentum inſtitutionem & Magiſtrorum recuſabunt: etſi propria ipſorum ratio, aut ætas, intelligendis honeſtatis regulis non ſufficiat. Recte enim utrique ad immediatum DEI magiſterium provocabunt.

§. 297.

Probant 2. Teſtimonia humana pro conteſtandis quidem cum morali certitudine factis hominum, aut tempore, aut loco, a nobis remotis, ſervire poſſunt; imo debent: eo quod alia probari via iſthæc non poſſint. Inſuper, quod his aliquis fide ſua non adſtipuletur, æternis ignibus non addicitur. Aſt DEI facta auctoritate & teſtimonio hominum probari, non ſane conveniens eſt. Certe multo graviores iſta atteſtationes, quam facta naturalia, prorſus requirere videntur. Et quis divinabit præciſe, quot teſtibus ſit opus, ut quis eadem credere ſub pœnæ æternæ commina-

tione obligetur. Ita rurſum Theiſta notus Genevenſis.

Reſp. Primo confundis aliqua, mi bone! quod Philoſophum male decet. Utique non atteſtari decet homines veracitatem DEI, per facta quædam, ſeu ſigna externa, loquentis; ſed DEUM potius decet atteſtari, dicta hominum eſſe vera. At nec quid his contrarium Chriſtianorum vel unus ſomniat. Contra quidnam in hoc abſurdi, ut homines teſtentur, DEUM egiſſe hoc vel illud, vel locutum ſimpliciter eſſe? Quamquam ne iſtud quidem *credere* ſimpliciter iuberis, quod DEUS *locutus* fuerit; ſed ſolum facta quædam ſenſibilia in confirmationem dogmatis cuiusdam edita ſimpliciter fuiſſe. Facta porro illa DEUM habuiſſe reipſa auctorem, iſtud iam non ut credas præciſe, a te exigitur, ſed ratione ipſa luculenta conſequi ex factorum indole demonſtratur. Iam vero quidnî oculati, cunctisque ſenſibus probe inſtructi homines, bene magno numero collecti, coramque præſentes, apti teſtes eſſe poſſint de factis editis eiusmodi, quæ natura ſua in ſenſus omnes neceſſario incurrunt, ita, ut ſaltem edita eſſe ſimpliciter, certo teſtimonio conteſtari queant? Nunquid enim mortui reſuſcitatio, cæci illuſtratio, ægri depoſiti ſanatio repentina, nunquid, inquam, ſingula iſthæc facta IESU Chriſti vere & prorſus, ut quæque alia, ſenſibilia fuere? & quidem facta publica, & in oculis ipſorum eius internecinorum hoſtium patrata? Nunquid certitudinem de iſtis vere phyſicam Apoſtoli iuxta atque hoſtes IESU Chriſti habuere? Quippenî ergo Apoſtoli morali ſaltem cum certitudine eadem atteſtari potuerint? Maxime cum nec hoſtes illi vocare in dubium, aut falſi arguere, ipſorum teſtimonium publicum

blicum ſint auſi? Nunquid ſenſuum indoles alia eſt, cum de vita hominis ante mortui æſtimant, quam cum viventem antea aſpexere? Aut num ad reſurrectionem mortui conteſtandam amplius requiritur, quam ut duo hæc facta ſenſibilia ſint rite explorata, mors præcedens videlicet, deinde vita iterum reſtituta? Quæris: quot ad facta tam prodigioſa ſatis atteſtanda requirantur teſtes, ut gravis credendi obligatio oriatur? Aio, præciſe tot, nec plures, quam quot ad vulgare quodvis factum ſenſibile cum ſumma morali certitudine atteſtandum ſufficiunt, & requiruntur. Cum enim ambo iuxta ſenſibilia ſint, a ſingulis teſtibus pari cum phyſica certitudine, ex ſimili ſenſuum experientia, diſcuntur. Ergo ſi pari item fide atteſtatio utrorumvis per æqualem numerum teſtium fiat, æquali item nobis certitudine innoteſcunt. Quodſi ſemel moraliter ſumme certi de illorum exiſtentia ſimus, æque certi de DEI locutione, atque hoc ipſo æque certi de noſtra credendi obligatione erimus. Obligatio iſthæc cum ſine gravi DEI contemtu violari non queat; mirum videri non debet, quod graves æternæ pœnæ huius obligationis transgreſſioni intententur. Aut num longe minor certitudo ſufficiet ad quorumvis aliorum humanæ vitæ officiorum perfectas obligationes (§. 22.) nobis imponendas; & non ſufficiet certitudo ſine comparatione maior de actu facta ad nos locutione DEI & impoſito credendi præcepto, ad obſtringendum nos gravi & proxima obligatione ad indubitatam dictis ipſius DEI habendam fidem?

§. 298.

Probant 3. Atteſtatio omnis de prodigiis præſertim, tanto fit incertior, quo per plures te-

ſtes intermedios pertranſit. At quanta teſtium ſeries nos inter & Apoſtolos intercedit?

Reſp. Diſtinguendum eſt. Atteſtatio, ſucceſſione incerta multorum teſtium non conſentientium inter ſe facta, utique amittit fidem; & ſic habet notum illud: *fama creſcit eundo.* At ubi plures ſunt, imo innumeræ, eæque certæ & ordinatæ ſeries, ac ſucceſſiones, teſtium nominatorum, eorumque omnium præclari nominis, notitiæ, & fidei; quos omnes non temere, ſed mature perpenſis rebus, ac veluti de re ſumma & capitali, graviſſime conteſtatos eſſe, imo pro ſinceritate teſtimonii ſui ultima quæque pati paratos fuiſſe, ac ſæpe reipſa perpeſſos eſſe, conſtat: enimvero talium quodcunque intermediorum teſtium conſenſus adeo non hebetat vim ac certitudinem primi & immediati teſtimonii oculatorum teſtium quorumdam; ut potius id ipſum ſummopere confirmet, ceu primitus cum ſumma ſolennitate, fide, & energia ab iſtis editum; quippe ſine quo tantum in ſuccedentium teſtium animis non valuiſſet. Atqui talis eſt ratio teſtium intermediorum de accepto per Apoſtolos ſolenni teſtimonio miraculorum IESU Chriſti atteſtantium. Non confuſam teſtium ignotorum, aut nullius nominis, turbam adducimus, ſed innumeras prope ſeries ſuccedentium ſibi continuo in tot Eccleſiarum, ab ipſis iam Apoſtolis fundatarum, gubernatione ſummorum in ſacris Pontificum & Paſtorum, ſemper in aſſerendo Apoſtolici teſtimonii tenore tum inter ſe, tum cum ſubiectis ſibi ſubditis, conſentientium. Aut quænam de facto præterito haberi unquam poteſt moralis in ſummo gradu certitudo, ſi hæc non ſit? Quamnam aliam teſtium rationem minus fallere in hoc mundo experti unquam ſumus,

quam

quam quæ huic eſt ſimillima. Aut nullam igitur de factis præteritis certam fidem eſſe poſſe tenendum eſt; quod oppido inſanum; vel hunc Chriſtianorum teſtium perpetuum conſenſum ſummam omnium mereri, prorſus oportet confiteri.

§. 299.

Probant 4, & omnibus ſpuriæ eloquentiæ nervis extollunt conteſtationem quorumdam falſorum miraculorum, atque inter iſta David Hume audet omnino ipſis Chriſti miraculis ratione gravitatis conſentientium teſtimoniorum præferre ſpuria illa prodigia, ad tumbam Archidiaconi illius celeberrimi Pariſienſis, *Paris* dicti, Ianſenianæ ſectæ artibus patratorum. Hæc etſi falſa ipſe Humius pronuntiet, tamen inde concludit, ex eo ipſo maxime patere, nullum ſufficere uſquam humanum teſtimonium poſſe miraculis ſat certo atteſtandis. D. Ioannes Iacobus Rouſſeau ait, a catholicis hoc uno nomine reiecta *Pariſii* miracula fuiſſe, quod doctrina Ianſeniana, in cuius argumentum unice videbantur edita, abſurda aperte eſſet: atqui ſibi iuxta abſurda Myſteriorum Chriſtianæ religionis dogmata videri, pro quibus confirmandis IESU Chriſti edita fuiſſe miracula ſpargeretur. Addit iſte hiſtoriam Vampiriorum, qua nullam aliam melius conteſtatam ſe legiſſe affirmat. Nullam teſtium deſideratam ſpeciem, examina verbo tenus a iudicibus excepta, ſcribarum, Chyrurgorum, Medicorum, Parochorum, Magiſtratuum, teſtimonia affuiſſe, & probationes numeris omnibus abſolutas. Inſuperhabitis his omnibus neminem hodie illis habere fidem.

Reſp. Quanti conatus hoſtium IESU Chriſti! ſed & quam pueriles! Norunt illi probe, nemi-

Digitized by Google

nem hodie prudentum eſſe, qui non certas habeat Ianſenianæ ſectæ in illis miraculis edendis & divulgandis impoſturas plane impias. Norunt a ſapientibus univerſe illa Vampiriorum ſomnia deliriis adſcribi, nec ex cunctis conteſtationibus aliud demum evinci ipſorum Medicorum decretorio iudicio potuiſſe, quam communem phantaſiæ morbum in Hungaria tunc temporis graſſatum eſſe. Et tamen audent iſta cum IESU Chriſti prodigiorum atteſtationibus comparare, quos omnis ætatis atque locorum ſapientes, etiam ex eius iuratis hoſtibus pro conteſtatiſſimis ita credidere, ut aliud opponere non haberent, quam ut Magiæ ac arti diabolicæ tribuerent. Suffecerit ergo paucis animadverſionibus argutiæ iſtius puerile obtundere acumen. Itaque 1mo. prodigia ad tumbam celebris Archidiaconi facta in Cœmeterio S. Medardi conteſtata ſunt a Parochis viginti duobus ſectæ Ianſenianæ addictis, in cuius ſectæ favorem illa miracula patrata dicebantur. Cauſſa primo examinata, & in ſectæ favorem iudicata eſt in tribunali Archiepiſcopi Pariſienſis de Noailles, quem conſtat male ab illius ſectæ contribulibus deceptum eſſe, cumque illi diu impenſe faviſſet, poſtea ſolenniter eidem paulo ante mortem renuntiaſſe. 2. Primum omnium illorum prodigiorum in virgine nobili, *le Franc* dicta, patratum, falſi convictum evidenter eſt coram conſtitutis iudicibus per teſtium omnino quadraginta unanimes atteſtationes; etſi non minus ab illis Parochis Ianſenianis affirmate conteſtatum fuiſſet. 3. Eodem tempore, quo favente Noaillio Pariſii miraculorum creſcebat fama, Senonenſis Archiepiſcopus, citra dubium priori & doctrina & fidei integritate non inferior, viginti duo miracula eiusmodi, ſtudioſe examinata, publico iudicio

ut

ut falſa, & dolis plena condemnavit. Iam tu teſtes eiusmodi, doli toties convictos, cum Apoſtolis IESU Chriſti eiusdemque diſcipulis compone; teſtes, quorum nulla hodie memoria ſupereſt, & de quorum impiis fraudibus, nemo eſt, qui dubitet, niſi ipſe de ipſorum ſecta ſit. Ipſe ego teſtem aliquando oculatum prodigiorum memoratorum audivi, hominem exterum de gente ſinceriſſima Helvetorum, virum prudentem, nec ſane Moliniſtarum impenſius ſtudioſum; qui pravi exempli & inſolentiſſimæ impietatis ſe horrore motum teſtabatur; cum inſanientium ad Pariſii tumbam tot hominum phreneticas convulſiones & agitationes corporum coram præſens adſpiceret; quibus ſimulationem ſubeſſe meram, nihil admodum dubitabat. Verbo: etſi fatendum ſit, nullis dolis, nullis fallaciis Ianſenianos peperciſſe in miraculorum illorum fide promovenda; tamen certum eſt, concluſo ſemel auctoritate publica cœmeterio illo, eadem mox ceſſaſſe, nec effectum ullum honeſtum habuiſſe, nec apud prudentiſſimos quosque, etiam qui de ſecta illa ceteroquin erant, fidem ullam, ſed riſum tantum & indignationem retuliſſe.

Quod Vampiriorum celebrem hiſtoriam attinet; nego prorſus, atteſtationes tam certas præciſasque, nego probationes iuridicas tam plenas fuiſſe, atque D. Rouſſeau nimis liberaliter prætendit; eoquod poſt exactas magis perveſtigationes factis primo affirmatis fides ſua neutiquam conſtiterit. Qua ipſa de cauſſa res tota a ſapientibus criticis eſt contemta. Sed etſi conteſtationes quamcunque aptæ ſuppeterent; quid denique probarent? Nempe morbum cerebri graſſatum eſſe in una provincia quadam magnis caloribus ſæpe æſtuante;

ſtuante; a metu promotum eundem morbum, quo plures correpti videbantur ſibi videre mortuos de nocte ad ſe redeuntes, ad ſanguinem ex ipſorum venis eſugendum: cuius deinde morbi ſequela fuerit lenta macies, & conſecuta inde mors ipſa denique. Iam vero quid in his omnibus, quod vires naturæ magnopere excedat? Et tam miſerabili ex argumento ſibi tantopere acutus Philoſophus applaudat, ut cum IESU Chriſti miraculis iſtorumqne atteſtatione inaniſſima ſomnia auſit comparare? Si doctrinæ chriſtianæ Myſteria abſurda illi Genevenſi Philoſopho videantur, prodat ergo apertas contradictiones, queis illa ſcatere affirmat. Satis demum exculti & ipſi bona Logica ſumus, ut, idem non poſſe ſimul eſſe & non eſſe, demum iuxta atque ille intelligamus.

* **D. Hume hac occaſione etiam miraculum Cæſarauguſtanum ſimilibus animadverſionibus exaggerat. Sed ſimile quadrare reſponſum, per ſe patet.**

§. 300.

Probant 5to. Etiamſi nobis Europæis utcunque ſufficerent illa humana teſtimonia, quæ pro Chriſti miraculis, ceu divinæ locutionis argumento afferuntur; an tamen ſufficerent illa quoque pro populis alterius orbis hemiſphærii? An ferox barbarus ex Canada, infit D. Rouſſeau, cui recens aliquis Apoſtolus Evangelium perſuadere cupit, ad tranſmittendum oceanum obligabitur, ut de teſtimoniorum fide, quæ pro veritate Evangelii allegantur, ſeſe certum reddat? Num vero ſimpliciter unius Miſſionarii dictis habere ſummam fidem ſub æterni incendii pœna obligabitur? Aut quæ demum fidei adhibendæ IESU Chriſto ſufficientia argumenta ſuppetere barbaro id genus homini

mini poſſunt? Prætendunt vero, Chriſtum ſua dogmata perinde omnibus propoſita voluiſſe, ergo & argumenta illorum ex æquo omnibus quadrare oportet.

Reſp. Quæro primum: quidſi ferox barbarus ex Canada D. Rouſſeau demonſtrationes dogmatum metaphyſicas *religionis* etiam ſolum *naturalis* nequaquam capiat: an tamen ad obſervanda eius officia ſub æterni pœna incendii obligabitur? Si negat: aio & ego, nec ad credendum IESU Chriſto obligatum iri eundem, ſi revera nullum illi ſufficiens pro veritate Evangelii comprobanda ſuppeteret argumentum; nec potius propter unam quam propter alteram prorſus innoxiam ignorantiam damnandum eſſe. 2. Fateor, argumenta ſignorum præcipuorum revelationis divinæ exiſtentiam evincentia aptiora eſſe pro populis ſocietatem civilem colentibus, quam pro barbaris, ferarum more in ſylvis vagantibus. Sed eadem eſt plane ratio de argumentis religionem naturalem ſine revelatione divina probantibus; cum & hæc facilius utique a primis quam ab alteris capiantur. 3. Aio nihilominus, hominem utut barbarum, ſi bono polleat iudicio, capaciorem eſſe fidei, quam hominem magis cultum, ſed educatum in religione falſa, ob præiudicia adverſa, quæ huic ante vincenda ſunt. Unde iſte argumentis ſplendidis & rapientibus opus habet: cum ille unico ſæpe argumento rationabili ad aſſenſum moveatur. 4. Primum, quod barbaro perſuadendum, eſt exiſtentia DEI perfectionesque divinæ, neutiquam quidem, ut vult Theiſta, per viam demonſtrationum, quas nunquam capiet, ſed per ſpectacula naturæ, & quasdam reflexiones ſupra ſe ipſum. Ex hoc naſcetur in ipſo animadverſio

de

de neceſſitate inſtructionis, qua indigeat, & de providentia DEI, quæ hanc modo ipſi benigne procuret. Conſequetur ex hoc fiducia, non permiſſurum eundem DEUM, ut in veritatis tam neceſſariæ inquiſitione, quam recta mente ipſe ſuſcipit, a Doctore, quem ipſe ſibi ſubmiſerit, fraudulenter inducatur in errorem. Ex beneficiis, quæ a Miſſionario ſibi exhiberi, & virtutibus heroicis, quas ab eodem exerceri advertet, certam de iſtius recta mente acquiret opinionem, ſicque aptus erit ad eandem reſpectivam (ut vocamus) moralem certitudinem de revelationis divinæ exiſtentia acquirendam, quæ rudibus & parvulis noſtris vulgo ſufficit ad fidem de dogmatis Chriſtianis eliciendam. Fruſtra hic ſe Theiſta torquet argumentis, probantibus, barbarum ſic credentem contra luminis naturæ ductum agere. Etſi ſubtilius ei acumen deſit iuxta ac plena profundius tuentis intellectus convictio; ſufficiente tamen vel ad tenue hoc lumen inſtructus eſt notitia tum revelationis divinæ, tum obligationis ſuæ ad credendum DEO revelanti; ſufficiente, inquam, pro captu & diſpoſitione præſente ſui intellectus. Certe haud amplius ille inſtrui opus habet, ut naturalis religionis implere officia teneatur. Cum ergo ſic credet DEO, prudenter aget, & ſi recuſet, nullam habet incredulitatis ſuæ obtendere excuſationem.

* Iſthic iam locutus eſſet, ſaltem de argumentis, revelationis divinæ pro Chriſtiana religione exiſtentiam evincentibus, prout illa per IESUM Chriſtum ſingillatim facta eſt, i. e. de miraculis & vaticiniis in illius confirmationem editis, concludendi, 1mo. *atteſtationes pro iſtis editas ob teſtium numerum, & indolem, ſummum moralis certitudinis gradum illum prorſus attingere* (§. 172.), *qui phyſica*

ſicæ certitudini revera æquivalet (§. 170.): Atque adeo 2do. cum phyſice item certum ſit, miracula & vaticinia, in Chriſtianæ religionis confirmationem edita, vera eſſe miracula, & vera vaticinia, i. e. DEO ipſo auctore facta (§§. 194. 237.); *ſumme moraliter, & æquivalenter phyſice, certam eſſe exiſtentiam revelationis divinæ de religione Chriſtiana.* Verum conſultius duco, differenda corollaria hæc in concluſionem huius operis; dum veritatem ſimilium prorſus argumentorum, pro revelatione veteris religionis Moſaicæ, & ipſorum primorum fidelium Patriarcharum, itidem allegatorum, ex demonſtratione non minus authenticæ atteſtationis ſequente octavo tractationis iſtius Capite oſtendero. Tum enim hæc ipſa corollaria de utraque revelatione una opera §. 324. infra concludam.

CAPUT VIII.

EXISTENTIA REVELATIONIS DIVINÆ DE RELIGIONE HEBRAICA TESTAMENTI VETERIS ABSOLUTE CERTA ESSE DEMONSTRATUR:

ſive

SCRIPTURÆ IUDAICÆ VETERES, IN IUDÆORUM CANONE CONTENTÆ, ATQUE INPRIMIS PENTATEUCHUS MOISIS, PRORSUS GENUINÆ ET AUTHENTICÆ ESSE OSTENDUNTUR.

Non iſthic cum Iudæis utique, ſed unice cum incredulis Philoſophis, uti hactenus ſemper, res nobis omnis & certamen eſt. Explodunt illi omnia veneranda illa primæ omnium antiquitatis monumenta, quibus Iudæorum natio non modo prærogativa & ſplendore veræ religionis inde ab

initio

initio cultæ, ſed etiam ſapientiſſima ſuæ reipublicæ ordinatione, legibus, & Politice, ſupra nationes omnes ceteras antiquas longiſſime effertur. Sunt tamen hæc ipſiſſima ſacra documenta, queis non modo revelationis divinæ prima origo mundo coæva, ac deinceps per omnes mundi ætates ad IESUM Chriſtum uſque ſemper progrediens lux, clariſſime commonſtratur; ſed ipſa quoque evidentia novæ revelationis divinæ per hunc editæ ſumma ſua in luce collocatur. Hac quidem ratione Iudæi ipſi, pro veritate Scripturarum, tanquam vere pro aris & focis ſuis, ad vitæ ipſius diſpendium uſque acerrime certantes, etſi cetera Chriſtianorum hoſtes infenſiſſimi, teſtimonium veritatis doctrinæ ac divinæ Miſſioni IESU Chriſti præbent minime omnium ſuſpectum, & omni exceptione maius. Simul quoque nexus rerum & totus admirabilis DEI Providentiæ ordo in cultu religionis ſibi ipſi deligendo, conſervando, ac perficiendo, inde ab ipſius mundi exordio per quinque & amplius millia annorum uniformi ſemper tenore ita perſpicuus elucet; ut, quantum meridianus ſol a ſpiſſiſſimæ noctis tenebris, tantum quoque chriſtianæ religionis veritas ab omnium aliarum, quæ in orbe adhuc viguerunt, religionum cæcis ſuperſtitionibus ac fabulis diſtinguatur. Antiquitatem itaque, & veram originem ab auctoribus, quorum nomina præſeferunt, antiquis Iudæorum ſcripturis, quæ in Hebræo canone percenſentur, ipſis vero illarum auctoribus ſummam fidem hiſtoricam iſthic, quoad inſtitutum noſtrum demonſtrandæ divinæ revelationis ferre videbitur, vindicare nobis propoſitum eſt: quin tamen idcirco in omnes Criticorum lites & controverſias circa varias minutias, ad hoc noſtrum inſtitutum nihil admodum facientes, nos inutiliter miſceamus,

mus, quæ prolixitatem operis ultra, quam eius ferret utilitas, nimiopere eſſent protracturæ.

§. 301.

Canon Hebræorum. Quinque Moiſis libri; Geneſis, Exodus, Leviticus, Numeri, Deuteronomium. IESUS Nave, Iudicum, Ruth, quatuor Regum, duo Paralipomenon, Pſalmi David, Proverbia Salomonis, alias Sapientiæ, Eccleſiaſtes, Cantica Canticorum, Iob. Prophetæ Iſaias, Ieremias, duodecim in uno libro, Daniel, Ezechiel, Eſdras. Addunt vulgo etiam librum Eſther.

* *Ordinem demonſtrandi* hunc ſervabimus. *Primo* factum hiſtoricum firmabimus, extitiſſe videlicet gentem ipſam Iudaicam ex Abrahamo patre communi progenitam, cuius Moiſes fuerit legislator, eamque ab iſtius ætate inhabitaſſe Palæſtinam, iisque ipſis legibus & religione uſque ad IESU Chriſti tempora uſam eſſe, quas a Moiſe acceperat. *Deinde* oſtendam, ſi Moiſes revera ſit auctor Pentateuchi, omnem illi habendam eſſe fidem, nec vel ipſum deceptum fuiſſe, ac decipere aut voluiſſe, aut omnino potuiſſe. Id ipſum omne de auctoribus reliquorum librorum concludam pro hypotheſi, quod vere ab eis conſcriptæ ſint, quorum nominibus inſcribuntur. *Tertio* evincam, ſi Moiſes, ceterique auctores nominati, ſaltem res humanas factaque naturalia, quæ in eorum occurrunt libris, initio vere ipſi conſcripſerint; fieri non potuiſſe, ut deinceps additis prodigiorum ac vaticiniorum commentitiis parergis libri Moiſis ceterique corrumperentur. *Quarto* denique oſtendam, neque eventuum factorumque tam naturalium quam ſupernaturalium ſeriem univerſam ab impoſtore quocunque poſteriore primum tempore fingi potuiſſe. Atque ita omnibus, qui abſolute contingere potuiſſent, fallaciarum modis, & quaſi angulis, excuſſis, ge-

minum illud Spinoſæ aliorumque eius furfuris argumentum, ut ſpero, ex integro refutabo; quo altero ſupercilio pro auctoritate pronuntiant, aut Moiſen ipſum eximium quemdam impoſtorem fuiſſe, aut ipſius aliorumque Prophetarum Iudaicorum libros poſterioribus primum temporibus ab Eſdra, vel alio impoſtore, ſeu interpolatos tot prodigiis, ſeu ex integro convictos, ac ſub magnis nominibus ſuperſtitioſæ illi Iudæorum nationi per inſignem fraudem obtruſos eſſe. Tota demonſtratio ad iſtud ratiocinium reducetur: *Si Moiſes, ceterique ſcriptores, quorum nominibus, Iudæorum libri & hiſtoriæ canonicæ inſcribuntur, reipſa illos ex integro ſic prorſus conſcripſere, prout hodiedum legimus; omnis ac plena eis debetur fides, quod vera ſcripſerint: atqui ſic reipſa eſt;* cum nec interpolatione corrumpi potuerint, ſi ab auctoribus illis initio conſignata fuerunt, nec vero etiam poſt ex integro de novo fingi. Ergo &c. &c.

§. 302.

Scripturæ veteris teſtamenti, Hebræo Canone contentæ, omnes ſcriptæ ſunt ſaltem ante Chriſtum, eiusque adventum in mundum. Facti huius argumenta duplicis præcipue generis afferam, *primo* directa, nempe teſtimonia convincentia, *ſecundo* indirecta, ab abſurdo petita, quod ex facti huius negatione conſequeretur.

Argumenta primi generis directa. 1mo. Omnes libri in canone Hebræo contenti citantur a Chriſto in Evangeliis, & ab Apoſtolis, Evangeliſtis, & Epiſtolarum novi teſtamenti canonicarum ſcriptoribus in diverſis locis; & quidem citantur adverſus ipſos Iudæos in teſtimonium fidei IESU Chriſto tanquam promiſſo Meſſiæ habendæ. Ergo omni ea certitudine, qua certum eſt, Scripturas iſtas

Digitized by Google

ſtas novi teſtamenti ſumma fide a dictis auctoribus conſcriptas eſſe, etiam certum eſt, omnes illos libros iam ante Chriſtum eſſe conſcriptos. Exempla citationum eiusmodi innumera ſunt. Præcipua quædam afferre iuvat. *Matthæi in Evangelio* cap. 1. Genealogia Chriſti ſecundum omnem earum generationum ſeriem deducitur, ut in Scripturis veteribus refertur per omnem temporum ab Abrahamo uſque ad Chriſti tempora decurſum, ſimulque Iſajæ Prophetia de virgine paritura ex huius cap. 7. citatur. *Geneſin* citat Matth. cap. 19. *Deuteronomium* iteratis vicibus Chriſtus tentatus in deſerto adverſus tentatorem citat Matt. cap. 4. item cap. 19. *Exodum* & *Leviticum* cap. 5. Matt. cap. 12mo Chriſtus allegat *libri I. Reg.* caput 21. Matthæus ipſe citat Prophetas varios paſſim, e. g. *Michæam* in Evangelii ſui cap. 2. v. 6. *Oſeam* ibid. v. 15. *Ieremiam* ibid. v. 17. *Iſaiam* cap. 3. v. 3. item cap. 8. v. 17. & alias ſæpiſſime. *Danielem* cap. 24. v. 15. *Pſaltem Davidem* cap. 22. & alias ſæpe. *Ionam* cap. 12. v. 41. *Malachiam* cap. 11. v. 10. & 14. Præter iſtos item paſſim citatos Evangelium Marci citat *Zachariam* cap. 14. v. 27. Evangelium S. Lucæ citat præter iam memoratos inſuper *librum Numerorum* cap. 2. v. 23. *libros III. & IV. Regum* cap. 4. v. 25. & 27. Evangelium S. Ioannis cap. 5. v. 46. citat præcipuo quodam loco *Moiſen,* qui Deut. 18. v. 15. & præſertim *Gen.* 49. v. 10. præcipuas de Chriſto Prophetias conſignavit literis. Acta Apoſtolorum citant *Ioëlem* cap. 2. v. 16. *Libros Ioſue & Iudicum* cap. 13. v. 19. & 20. S. Paulus in I. Cor. 3. v. 19. citat *Iobum.* Ceterorum omnium textus ſaltem paſſim in Scripturis novi teſtamenti occurrunt, puta ex *libris Paralippomenon, Proverbiis* &c. &c. Lege ſis in præfatis Scripturis citationes paſſim marginibus adiunctas,

 ut

ut ideam quamdam vivaciorem argumenti huius acquiras.

2. Proximi poſt Scriptores ſacros teſtes ſunt *Philo Flavius & Ioſephus* uterque Iudæus, quorum ille vitam Moiſis & plura alia de Prophetis ſuæ gentis, alter vero totam fere veteris teſtamenti hiſtoriam in 20. libris de antiquitatibus Iudæorum ſecundum veteris Scripturæ tenorem conſcripſit. Primus circa annum 36. alter circa 70um a Chriſti ortu ſcripſit.

3. Ad idem tempus Ioſephi Iudæi referri proxime poſſunt *duæ Epiſtolæ* omnium Criticorum iudicio authenticæ, aut ſaltem primæ antiquitatis, una *S. Barnabæ Apoſtoli* ſecundi ordinis, altera *S. Clementis I. Romani Pontificis. S. Barnabas* (vel quisquis illius epiſtolæ auctor eſt, certe ex primis Chriſtianis aliquis) ex Prophetis antiquis demonſtrat, legis antiquæ Sacrificia non poſſe eſſe perpetua, tempora a Daniele prædicta iam veniſſe, Paſſionem Chriſti ab Iſaia accurate prædictam, figuras Chriſti ceu Meſſiæ ex Levitico & Numerorum libro recenſet; plura item ex Geneſi commemorat. *S. Clemens* Deuteronomii cap. 32. v. 15. citat: exempla plura invidiæ veteris teſtamenti affert, incipiens a Caino: item exempla pœnitentiæ inde a Noë repetit, fidelitatem Henoch, Noë, Abrahami &c. &c. allegat: agit de Moiſe & Virga Aaronis, ordinem ſacrificiorum in templo Ieroſolymitano obſervari ſolitum commemorat &c. &c.

4. *Ebionitæ* circa annum a Chriſti ortu 73. omnes Prophetas Ioſue poſteriores reiiciebant, & in ipſa lege Moiſis multos delebant textus teſte S. Irenæo lib. I. c. 26. & S. Epiphanio hær. 30. n. 13. & ſeqq. Ergo ſaltem ſcriptos pridem ſuppoſuere, & divinos eſſe negarint.

5. Ex

5. Ex ſeculo II. poſt Chriſtum teſtes de communi & indubitato prorſus ſenſu tam Iudæorum quam chriſtianorum circa Scripturas veteris teſtamenti habemus 1. *S. Iuſtinum* circa annum 150. tum in Apologia prima pro Chriſtianis, tum in Dialogo cum Tryphone Iudæo: 2do. *Melitonem Sardicenſem Epiſcopum* circa annum 170. in Collectione ſententiarum brevium ſelectarum Scripturæ, ubi & Catalogum librorum veteris teſtamenti habet, primum omnium, qui auctore aliquo chriſtiano extat; etſi librum Eſther in eo omittat. Vide Euſeb. IV. hiſt. c. 26. 3tio. *Tatianum* Aſſyrium circa annum 172. in opere contra Ethnicos, ſeu Helleniſtas, græce ſcripto, qui, ipſe olim gentilis, tamen Moyſis antiquitatem ex ſcriptoribus Chaldæis, Phœnicibus & Ægyptiis profanis multo Homero & ipſo bello Troiano antiquiorem demonſtrat. 4to. *Theophylum Antiochenum* circa annum 180. in tract. ad Autolycum, qui item ex profanis Auctoribus variis Moyſen omnibus profanis hiſtoricis & Poëtis multo antiquiorem probat, totamque inde Chronologiam incipiens ab Adamo ad ſua uſque tempora ſecundum Scripturæ veteris libros deducit. 5. *S. Irenæum* circa idem tempus, qui in tract. contr. Hæreſis de verſione Theodotionis Epheſini mentionem facit, qui græce vertit omnes veteris Scripturæ libros. 6. *S. Clementem Alexandrinum* circa an. 194. in lib. I. Stromat. methodo Tatiani Moyſis antiquitatem probantem, & legis Hebrææ utilitatem commendantem.

6. Seculo III. poſt Tertullianum & Origenem, qui poſterior præſertim per Hexapla & Octapla ſua editiones græcas ſex diverſas ſimul de veteri teſtamento vulgavit, ſequitur iam nubes integra teſtium de recepto tam inter Chriſtianos & Iudæos ſenſu

prorſus indubitato de antiquitate, imo divinitate Scripturarum veterum; cui ne Porphyrius quidem & Iulianus poſtea ſecuti, etſi Chriſtianorum iurati hoſtes, contradixere in hac parte; etſi probationum, quas illi exinde peterent pro religione ſua, vim agnoſcere detrectarint.

Argumenta ſecundi generis indirecta. 1mo. Si Scripturas, quas teſtamenti veteris vocamus, poſt Chriſtianiſmi exortum ab impoſtore uno vel pluribus primum conſcriptas & confictas ſupponis, evidens eſt, non poſſe gentem Iudaicam porro haberi pro natione ab aliis mundi populis per leges proprias diſtincta: fruſtra aſſeres, unquam vere Iudæos quosdam extitiſſe, eo quod ſoli illi Scripturæ libri totum iſtius facti fundamentum ſunt, ex quo id aſſeritur. Itaque ſi libri iſti meræ ſunt impoſturæ, fabulæ romanæ erunt Abraham, Iſaac, Iacob, duodecim tribuum Patriarchæ, Moyſes, Aaron, Ioſue, Samuel, David, Reges, & Duces omnes populi Iudaici, templum Salomonis &c. &c.

2do. Impoſſibile omnino eſt, ut homo unicus tam inſolenter impoſuerit Iudæis iuxta & Chriſtianis, ut Scripturam quoad omnes libros ex integro ſolus confinxerit, & utrisque ex æquo perſuaſerit, eſſe opus pluribus ſucceſſu temporis Prophetis a DEO divinitus dictatum. Qua enim ratione ſolus is tot diverſa exempla Hebraica, Chaldaica, Syriaca, Samaritana, & Græca procudiſſet? quomodo vel primum ut exemplar reciperetur ſine controverſia, demum obtinere potuiſſet? Quæ inſolita & inaudita tu nobis repente narras, dixiſſent illi utique Iudæi: quæ tu nobis de captivitate gentis noſtræ Ægyptiaca & Babylonica? quid de tot miraculis divinitus inter nos patratis, & quidem

dem tam inſolitis, tam in omni alia natione inauditis? quid de Meſſia per Abrahamum, per Iacob, per Moyſen, & tot Prophetas nobis promiſſo? Nihil uſquam tale nobis a maioribus noſtris eſt traditum. Abi! nugator, apage enthuſiaſmos & phantaſmata iſtiusmodi. Age enim, ſi tamen putas, perſuaderi tot fabulas integris nationibus uno ab novo homine poſſe; experire, & Gallicæ nationi ſimilia de ſuæ ortu Monarchiæ ac primis Regibus fac perſuadeas. Sed neque facilius rem conficies, ſi a pluribus rabulis ſuſceptam communi conſilio id genus impoſturam ſupponas. Namque inprimis circa fidem nemine repugnante narrationibus tam exoticis inveniendam apud nationes integras, quarum maxime intererat, ne tam graphice deciperentur, eadem ex integro manet hac in hypotheſi difficultas. *Deinde* oporteret ſane, ut hæc impoſtorum ſocietas ex Iudæis & Chriſtianis ſimul conflata fuiſſet, aut certe ex hominibus, quibus exoſam Iudæi perſonam ultro ſimulare lubuiſſet. Quodſi enim Iudæi tunc aliqui in orbe extitiſſent, merique Chriſtiani illas fabulas de ſuo procudiſſent, iſti profecto illis, ceu iuratis hoſtibus ſuis nullo pacto adoptionem talium librorum perſuaſiſſent, quæ ſummam genti Iudaicæ ignominiam, gloriam contra ſummam Chriſtianæ allaturi eſſent, multo minus, ut religione in eos libros, imo ſuperſtitione tam immodica, raperentur. Sed neque Iudæos atque Chriſtianos facilius ſimul in unius operis ac fabulæ tam portentoſæ communionem coiviſſe fingi animo poteſt. Convenire enim inter eos hoc caſu debuiſſet, ut Iudæi deinceps populus reprobus, & a DEO publice reiectus, & ad mancipatum perpetuum condemnatus toto orbe audiret, & reipſa talis haberetur, Chriſtiani ex adverſo electi a DEO populi titulo

 perpe-

Digitized by Google

perpetuo abhinc gloriarentur: idque totum his ipſis ſcriptis ut divinitus acceptum probare, & omnibus conterminis nationibus perſuadendum curare, oportebat. Enimvero quid illi inveriſimile videri queat, cui iſthæ hypotheſes videri veriſimiles quidem poſſint? *Tertio* præterea novum item teſtamentum ſimilis impoſturæ opus ab iisdem impoſtoribus communi opera conſarcinatum haberi oportebit; cum id non ſit niſi mera explicatio & evolutio quædam veteris, ita, ut ambo accuratas inter ſe relationes certosque nexus habeant; cum in uno atque altero accurate adnotatum legamus id omne, quod Meſſiam in altero promiſſum attinet, legis inſuper novæ inſtitutionem, veteris abolitionem, reprobationem Iudæorum, vocationem gentium, & quidquid ad ſummam Chriſtianorum gloriam, contumeliam vero ultimam Iudæorum fingi demum animo poteſt. *Demum* in hac hypotheſi concedi oportebit, maximos, qui fuerint unquam in orbe, impoſtores, atque adeo homines, qui unquam fuere, omnium ſceleratiſſimos, fuiſſe auctores libri eius, quocum nullus, qui adhuc extat, aut rerum ſcriptarum inſolita elegantia & admiratione, aut ſublimitate, ingenio, ſanctitate doctrinæ, ſapientia legum & conſiliorum, imo & altitudine Myſteriorum omnem humanum captum ſuperantium, vel in comparationem venire poſſit. Profecto omnia religionis Chriſtianæ Myſteria nequaquam ita evidenter rationis humanæ ſenſui repugnant, ut hoc tantum tamque inſolens abſurdum.

§. 303.

Auctores librorum Scripturæ veteris teſtamenti aut ipſi DEO dictante, atque adeo ex certa ſcientia & optima fide, ſcripſere, aut certe, quæ alii homines a DEO

Digitized by Google

DEO illuſtrati & moti dixere, ſumma & indubitata fide & ſcientia literis conſignarunt ſaltem, quod præcipua quædam ſcriptorum eorundem capita attinet.

Argumentum huius aſſerti, ſuppoſita veritate hiſtoriæ Evangelii Chriſtiani prorſus evidens, ita habet. Libri ſcripturæ veteris ante Chriſti & Chriſtianiſmi exortum ſcripti ſunt (§. præc.), ſimulque ingentem numerum propheticarum prædictionum de rebus futuris remotiſſimis, & eventibus continent, qui a libero hominum plurimorum arbitrio pendebant, quarum ſimul perfecta executio proſus certa eſt, ac conteſtata. Ergo mala fide aut incerta ex notitia procudi a meris fraudulentis impoſtoribus nequaquam potuere, imo vel ſcriptores ipſi aſſiſtens ſibi DEI conſilium habuere, qui futura quæque etiam libera ſolus proſpicit, vel certe optima fide ea, quæ ab aliis vatibus & divinitus edoctis viris audivere, ſcripto ipſi poſteris tradidere. Antecedentis theſis veritas ex dictis §. 209. abunde patet.

* Poſtquam ergo Chriſtianæ religionis divinam originem immediata demonſtratione iam evicimus, contenti eſſe poſſemus hac generali divinitatis librorum in Hebræo Canone contentorum demonſtratione, uti & authentiæ teſtimoniorum de miraculis & prophetiis, quæ in iisdem libris continentur. Iuvat tamen aliam directam quoque eiusdem rei demonſtrationem addere, ut omnibus, quibus licet, armis revelationis divinæ hoſtes debellemus.

§. 304.

Extitit a plurimis ante IESU Chriſti ætatem ſeculis gens Iudaica, ex qua idem prognatus erat, ex Abrahamo communi parente nata, a Moiſe legibus civilibus & peculiaribus religionis ritibus exculta, eademque

Palæſtinæ ab eiuſdem Moiſis obitu uſque ad IESU Chriſti exortum incola. DEM. Ad faciendam plenam fidem de eiusmodi factis, videlicet de exiſtentia, de origine, antiquitate, de ſtatu reipublicæ, de legibus civilibus, ac religionis ritibus alicuius integræ gentis, vulgo apud omnes recte ſapientes argumenti plane demonſtrativi loco habentur tum hiſtoria completa ab auctoribus illuſtribus, probatæ fidei, & coævis publice edita, & nexu rite inter ſe perpetuo cohærente continuata ab uno ævo in aliud; tum conſentiens tali hiſtoriæ univerſalis traditionis fama, publicis monumentis ac documentis firmata, puta, ædificiis, columnis, lapidibus &c.; fides demum & religio ipſa totius nationis, qua eiusmodi ſcriptæ hiſtoriæ, ceu ſacro cuidam patrum ac maiorum ſuorum depoſito, ſumma & maxima, quæ in documenta humana cadere poteſt, reverentia ſine ulla controverſia omni tempore adſtipulata fuiſſe noſcitur, & hodiedum adſtipulatur. Quodſi inſuper accedat conſenſus vicinarum nationum, queis cum tali gente præ aliis commercium inde a prima eius origine frequentius interceſſit, nova prioribus iam decretoriis argumentis inde confirmatio ſupervenit. Profecto enim nemo prudens tam eſt incredulus, ut, ubi omnia iſthæc pro aliqua natione e. g. Romana ſuppetunt, non illico indubitata fide credat, quæ de eius tenuibus initiis, de ſecutis dein progreſſibus, de civili regimine, & religionis uſitato ritu, per id genus documenta publica, extra omnem controverſiam poſita, utcunque ab antiquis temporibus ad nos transmittuntur. Iam vero hæc argumenta omnia, & quidem eximio quodam modo, pro aſſerta origine, antiquitate, & tam civili quam religioſa conſtitutione, ac regimine, Iudaicæ nationis nobis ſuppetunt.

ſunt. Extabat enim ipſa Chriſti IESU ætate *Hiſtoria* veteris teſtamenti, ut vocamus, ſeu librorum ille Canon §. 301. deſcriptus, a tota gente ſumma cura & religione veluti ſacrum quoddam depoſitum cuſtoditus, & ipſorum ſummorum Templi Pontificum curæ nunquam non concreditus. Libri illi omnes *a coævis auctoribus* eiusmodi conſcripti vulgo ſine omni controverſia a tota gente credebantur, qui & religione ac probitate morum, & auctoritate etiam publica, præcipui ſua quisque ætate erant. *Nexus totius hiſtoriæ* per quater mille annos continuatæ non ſolum eximius, ſed prorſus admirabilis, ſibique & genio nationis inde a principio ad finem uſque perfecte conſentiens, nec uſpiam abruptus, aut male cohærens eſt, ſive res ipſæ ſpectentur, quæ narrantur, ſive ordo rerum & eventuum, quorum uni ex aliis naturali ſerie conſequuntur. Conſentiebat his ſcriptis, & *publica conſecratis religione documentis*, totius gentis *unanimis traditio* tum de ipſa documentorum iſtorum intemerata fide, tum de rerum ipſarum conſcriptarum veritate, & hæc quidem innumeris monumentis publicis locorum, urbium, ædificiorum, &c. de peculiaribus factis memoriam ſervantium, confirmata. Accedebat *conſenſus ſcriptorum præcipuorum ex* iis *vicinis nationibus*, quibuscum Iudæi frequentius commercium habuerant, quos, dum ſcripta eorum adhuc publice ſua ætate extabant, & in multorum manibus verſarentur, accurate citavit Ioſephus Iudæus in lib. I. contra Appionem Grammaticum; qui poſterior ex ſilentio Græcorum hiſtoricorum, parum de Iudæis memorantium, occaſionem ſumſerat antiquitatem Iudaicæ nationis, in Scripturis eorum Canonicis aſſertam, in dubium vocandi. Poſtquam enim id Græcorum ſilentium duplici argumento

mento excuſaſſet Ioſephus, videlicet quod partim Græci ipſi omnes ſcriptores cunctis ſcriptoribus Iudaicis multo iuniores, nec antiquorum temporum ob tabularum publicarum apud eorum cives neglectum omnino gnari fuiſſent; partim vero, quod nihil genti ſuæ cum Græcis commercii fuiſſet uſque ad eam ætatem, ad quam libri Canonici Iudæorum pertingunt; neque adeo ratio fuerit Græcis hiſtoricis res illorum ſuis narrationibus miſcendi: poſtquam hæc Ioſephus, inquam, accurate oſtendiſſet; a Manethone, ſcriptore Ægyptiorum præcipuo, gentis Iudaicæ commorationem & exitum ex Ægyto memoratum; Epiſtolas Salomonis & Hiram Regis Sidoniorum & Tyriorum in iſtorum tabulis publicis ſua adhuc ætate aſſervatas; tempora Noëmica, bella Nabuchodonoſoris, ac Cyri regis victorias, a Beroſo Chaldæo conſignata; ac denique varia quædam etiam a græcis narrata recenſet. Idem Ioſephus pluribus locis in libris de Antiq. nominatim l. 9. c. ult. l. 10. c. 11. hiſtoricos aliarum gentium ceu teſtes rerum ſingularium allegat diligenter, quæ in Scripturis Iudaicis referuntur. Addit inſuper Genealogiam Sacerdotum a bis mille annis a ſua gente accuratiſſime conſcriptam; addit induſtriam & cautelam, qua in eadem perpetuo omnia geſta ad rempublicam attinentia per miniſtros publicos & ſcribas in tabulis publicis conſignari ſolebant; addit denique diligentiam, qua liberi a parentibus inde ab infantia in lege ſacra & ipſa illa nationis ſuæ hiſtoria ſollertiſſime inſtrui omni tempore conſueviſſent. Hi profecto Characteres, Iudaicæ hiſtoriæ proprii, omnes ſunt eiusmodi, ut nulla alterius cuiuscunque antiquæ gentis primæva hiſtoria extet, cui tam eximio gradu tantoque numero & conſenſu inveniantur

conve-

Digitized by Google

convenire. Quodſi ergo ſalva omni fide hiſtorica ob veritatis characteres multo etiam minus luculentos reiicere e. g. Romanorum hiſtoriam non poſſumus, eo quod nihil iam certi uſquam humanis in rebus haberi alioquin poſſet: quanto minus de vera origine, antiquitate, & rebus geſtis Iudaicæ nationis dubitare poſſumus; cui ſummæ fidei humanæ argumenta longe maiora quam ullius alterius antiquæ gentis primævæ hiſtoriæ adſtipulantur.

* Theiſtæ diffiteri nequeunt, argumentis iſtis, ſi de factis & eventibus ſolum humanis & mere naturalibus atteſtandis ageretur, integram omnem fidem ſcriptis Iudaicis conciliatum iri. At, *inquiunt*, quam exoticis narrationibus libri illi Iudaicæ hiſtoriæ continuo redundant! Omnes paginæ prodigiis & prophetarum vaticiniis turgent, iſtamque nationem totam inde a principio alias cunctas nationes ſuperſtitione & anili credulitate præceſſiſſe, apertiſſime oſtendunt. *Addunt*, pugnam ſubinde iſtam hiſtoriam inter & hiſtoricos profanos aliarum antiquarum nationum obſervari: *demum* narrationes ratione adiunctorum Chronologiæ, locorum, perſonarum, actionum, ſecum ipſis pugnantes non uno loco in eadem occurrere; quas explicandi fruſtraneum huc uſque laborem ſibi tot commentatores ſumſerint. Atque ex his ſolis fundamentis exiſtimant ſapienter, a ſe concludi, aut ipſum Moiſen (iuxta de ceteris Prophetis quibusque argutantur) per inſignem fraudulentiam ſimplici ruditate populi ſui abuſum eſſe, tot prodigia neſcio per quas artes ei perſuadendo, ac veluti res divinitus in confirmationem traditæ a ſe legis actas conſcribendo; vel certe libros illos bona fide initio a Moiſe & aliis conſcriptos, nec niſi humana & vulgaria Iudaicæ reipublicæ acta continentes, ab aliquo alio impoſtore multo poſt tempore aſſutis tot prodigiis & vaticiniis interpolatos eſſe: cuius quidem doli capacem præ ceteris

ceteris fuiſſe putant Eſdram illum, qui & Scripturas ſacras omnes a captivitate Babylonica inſtauraſſe, & inſuper Hebraicas antiquas literarum formas cum chaldaicis commutaſſe ex vulgata ſententia doctorum dicitur. Scommata tam ineptum & mero arbitratu fictum per partes refutare aggredimus.

§. 305.

Moiſes, ſi revera Pentateuchi auctor fuit (uti communis Iudaicæ nationis traditio citra omnem controverſiam ac dubium ferebat), omnem humanam ſummamque hiſtoricam meretur fidem in omnibus, quæ narravit. Demonstr. Moiſes, Pentateuchi, qualis hodiedum extat, ſcriptor, nec deceptus ipſe eſt falſa pro veris ex ſimplici credulitate aut imperitia ſcribendo, nec dare aliis fraudem voluit, imo nec potuit. En tibi pauca capita, queis & iſta demonſtratio abſolvitur. *PRIMUM CAPUT,* nempe, *Moiſen ipſum deceptum non fuiſſe,* gemina oſtenſione exequemur, *documentorum* videlicet, quæ ſuppetebant Moiſi pro actis inde a primis mundi incunabulis, hoc eſt, a bis mille circiter annis, certa fide conſcribendis; ac deinde *Sapientiæ Moiſis* ipſius, quæ ipſum a rudiore aliqua fraude reddebat immunem. 1. Quod itaque ad *documenta hiſtoriæ Moſaicæ* attinet; Moiſes, etſi ab ipſo mundi exordio, id eſt, a bis mille circiter annis, acta Adami, Noë, Abraham, Iſaac, Iacob, & Ioſeph, repeteret, minime tamen habebat opus, ut ea ex obſcuris incertisque fontibus arceſſeret. Natus eſt centum annis a Iacobi morte. Senes illi coævi annis pluribus familiariter Iacobo convixerant. Memoria Ioſephi, mirabiliumque eorum operum, quæ DEUS per hunc celebrem Aulæ Regis Ægypti Præfectum patraverat, recens adhuc omnium ore ac mentibus circumferebatur. Iſaac, Iacobi Pater,

Pater, cum Abrahamo quinque & octoginta, & cum Sem Noë filio annos quinquaginta vixerat. Sem annis octo & nonaginta ante diluvium iam agebat in vivis, adeoque Lamech & Mathuſalem diu noverat, qui Adamo primo homini perdiu convixere. Tota itaque traditio per ſenos ad ſummum homines inde ab Adamo uſque ad Moiſen transmiſſa fuerat, qui omnes eiusmodi erant, ut nec fides, nec prudentia eorum ſuſpicionem pateretur. Ceterum, quæ a Moiſe inde a principio ad ſua tempora referuntur, talia ſunt, quæ facile in hominum memoria ſervantur, ut mundi creatio, Adæ lapſus, diluvium, turris Babel, conditum a Nemrodo imperium: huc enim cetera ferme omnia referuntur. Porro rerum prima illa ætate mundi geſtarum nulla documenta etiam ſcripta extitiſſe, certum non eſt; quorum ſi quidquam vel apud Ægyptios, vel apud Iudæos, ſervabatur, Moiſes profecto, non magis utique in omnibus Ægyptiorum literis, quam in gentis ſuæ hiſtoria eruditus, eorum nihil ignorabat. Iſaac ſaltem & Iacob, cum in terra Chanaan habitarunt, rerum actarum paſſim monumenta ſtatuerunt, e. g. puteos, quos excavarant in regione ſicca, lapides in altaria variis in montibus erectos, in quibus DEUM habuerant viſibilem, eidemque ſacrificaverant, ſepulcra denique in vivis lapidibus exciſa. Profecto is modus erigendi eiusmodi monumenta frequens fuiſſe videtur ea ætate, quippe aptus ad rerum geſtarum memoriam, deficientibus adhuc literariis documentis, a maioribus ad poſteros facile transmittendam. Concinnabant quoque populi cantica varia illo tempore, quibus præteritorum grandium factorum memoriam celebrabant, eaque canebant in feſtis publicis, & conventibus. Ex his ipſis nata deinde eſt Poëſis, quæ exin

ab

Digitized by Google

ab omnibus antiquis populis adhibita eſt (& hodiedum ab eis adhibetur, qui literis adhuc carent) ad laudes Deorum heroumque ſuorum celebrandas. Stilus ipſe canticorum præceps, minime vulgaris, & nativus, vivacitate imaginum & expreſſionum memoriam excitabat, & ciebat phantaſiam. Uſus iſte omnium maxime familiaris in gente Hebræa erat. Moiſes magnum iſtorum Canticorum numerum deſignat per primos verſus duntaxat; eo quod decantatiſſima in vulgo eſſent (Numer. XXI. 14, 17, 18, 27. &c.); ipſe quoque aliqua concinnaverat ut Exodi 15. & Deut. 32. Iacob ipſe myſtica hac loquela pronuntiavit oracula de ſorte futura filiorum ſuorum; ut nimirum tribus quælibet, quod ad ipſam ſpectabat, facilius memoria conſervaret. Ecce tibi media! quæ DEI Providentia rerum primævarum memoriæ ad Moiſen uſque conſervandæ miniſtraverat. Quæ in Exodo ac ceteris libris ſuis refert Moiſes, omnia ipſe coram oculis ſpectaverat, particeps idem omnium, & adminiſter, atque adeo & conſcius, utrum veris, an falſis prodigiis, quantum per ipſum ſtaret, ſuo populo fidem faceret.

2. Ad *Moiſis ſapientiam* rite noſcendam ſollers meditatio ſerviet tum *conſilii totius*, quod in adornanda ea ſcriptione præ oculis habebat, tum *doctrinæ ac legis*, quam eo veluti æterno documento ſtabilitum in ſua gente ibat. Meditationis iſtius capita, in Præparatione Evangelica Euſebii Cæſareenſis antiquiſſimi ſcriptoris adumbrata (lib. VII. c. 2. 3. & 4. præcipue) expendere accuratius iuvat. Moiſes novam legem genti ſuæ Iudaicæ daturus, eo tempore in exequendo hoc conſilio elaborabat, quo Divini nominis cognitio, exceptis Iudæis, apud omnes orbis gentes reliquas diutinis

nis idololatriæ tenebris, una cum veræ religionis cultu atque ipſis primis morum præceptis, ferme penitus extincta erat. Et vero ipſi quoque Iudæi, quibus Moiſes ſcribebat, omnino rudes erant, indociles, craſſoque ingenio in idololatriam proclives. Accedebat diuturna conſuetudo vitæ in regione corruptiſſima & idololatriæ dedita, animi tenor duriſſimis quibusque toleratis ærumnis fractus: ac tandem diuturna ſervitute ſubacti, ſerviles prorſus ſpiritus ita induerant, ut ipſam dominorum ſuperſtitionem, a ſuo genio minus abhorrentem, avita religione ſenſim magis magisque abiecta, iam pedetentim cæco ſerviendi impetu ſequerentur. Ad huius itaque tam rudis populi captum omnemque indolem ut ſe Moiſes accommodaret, omnino neceſſe erat; ingentisque ſapientiæ opus futurum erat, tot præiudiciis & ipſa abiectione animorum magnopere corruptam gentem ad excelſam illam vitæ rationem denuo aſſuefacere, cuius exempla anterior mundi ætas in omnibus fere Patriarchis iſtius nationis fuerat admirata. Cum itaque non mere humanam, nec ſuo tantum ingenio inventam legem ſummus iſte Iudæorum legislator populo ſuo ſtatuere, ſed a DEO ipſo auctore ſancitam, prorſusque religioſam politiam, proponere in animo haberet: idcirco nec vulgari uſus aliorum legislatorum præfandi methodo, toto inprimis libro Geneſis (qui præfationis inſtar eſt) in id incumbit, ut DEI ſummi illius rerum omnium Domini ac legislatoris iuſtam dignamque ideam per diverſiſſimas nobiliſſimasque imagines in gentis ſibi ad erudiendum commiſſæ animis efformet. Ab ipſa ergo orbis creatione opus ſuum exorſus, non tam dogmatica methodo, quam ipſa quaſi factorum & operum viva oſtenſione, illum ſummum iuxta atque unicum rerum

omnium auctorem, dominum, ac principem exhibet; qui potentiam ac ſapientiam infinitam mira ſuavitate temperans, toti univerſo, veluti urbi cuidam ampliſſimæ, ſummo imperio præſideat, cunctisque gentibus iura det, tum vocis externæ peculiari iuſſu edita, tum ipſis intimis hominum univerſe mentibus inſcripta. Porro illud ipſum tale ac tantum Numen Moiſes non ſolum ut ſummæ maieſtatis Dominum quemdam, ſed ſimul ut Patrem amabiliſſimum æque, ac amantiſſimum, adumbrat; qui non committit, ut creaturas ſuas, veluti obitu Patris orbatos filios, deſtituat, ſed ſuperſtite ſemper ac nunquam non æquabili iuxta ac ſuavi Providentia in minimis pariter atque in maximis ita curat; ut non creatoris tantum, Regis, ac Principis ſupremi, ſed tutoris, moderatoris, atque optimi patris Univerſi, munus & omne officium gerat. Quo quidem uno eodemque ſapientiſſimo conſilio ſimul omnem penitus abolet æternitatis mundi opinionem, atque Ægyptios & Phœnices, cultum divinum aſtris, elementis, ac multo viliſſimis etiam rebus exhibentes, potentiſſime refutat; quin & cæcitatem illorum iuſto ludibrio exponit. Porro ad illud ſuum conſilium ſapientiſſime exequendum non poterat ſapientiſſimus ſcriptor aptius medium eligere, quam ut ſub oculos nationis, cui ipſe iura ac leges ſcribere deberet, grandia illa Patriarcharum geſta & exempla vivis quam maxime coloribus exponeret. Quid enim ad Providentiam Creatoris adumbrandam illuſtrius Abrahami, Iacobi, & Ioſephi hiſtoriis? Quid ad commendandam DEI longanimem ſcelerum patientiam, in pervicaces ſeveram iuſtitiam, & in iuſtos mirabilem vereque paternam pietatem, aptius hiſtoria Noëmi, diluvii, & everſionis Pentapolis? Quam vero vim habere in poſtero-

ſterorum animis debebant exempla illa iuſtitiæ, religionis in DEUM ſummæ, invictæ patientiæ in adverſis, quæ in ſuis ipſorum maioribus ac protoparentibus, ceu totidem ſacris heroibus, maxime illuſtrem in modum expreſſa eis repræſentabantur. Hæc ipſa quoque ratio Moiſi ex parte fuit, ut Genealogiæ exponendæ tam accuratam haberet curam, maxime Sethi ante, ac Semi poſt diluvium; tum vero, ut poſt relatam hominum ex turris Babelicæ occaſione diſperſionem, hiſtoriam ipſam in unam familiam Phaleg & Heber cogeret: hos enim progenitores Iudæi, atque ipſe inprimis mundi Salvator, erant habituri. Huius Salvatoris ex ſuo genere mittendi Iudæorum patribus factam a DEO promiſſionem (ceu privilegium totius gentis præcipuum, & ad cuius tum conſervandam memoriam, tum ſuo tempore executionem facilitandam omnis Moſaica legislatio, & gentis eius politia, collimatura eſſet) quoties a DEO repetita fuerat, accuratiſſime & ſumma verborum emphaſi deſcribit: quippe qua certiſſima expectatione nihil poterat eſſe potentius ad populi totius animos in ſpem erigendos, & in DEI fide ſimul ac legis, tam illuſtri fundamento nixæ, obſequio continendos.

Porro ſumma legislatoris diligentia & providentia in id quoque perpetuo intendebat, ut iam in eo quaſi prooemio occaſiones omnes innovatarum in gente ſua rerum, morumque omnium ac legum conſtitutarum, accurate adnotaret; uti legis Sabbati, Circumciſionis, abſtinendi a nervo femoris (Gen. XXXII. 32.). Promiſſiones quoque a DEO circa ſortem poſterorum temporaneam Abrahamo factas diligenter inculcat, quibus ſcilicet familiam ipſius aucturum in gentem integram,

& in Chanaanitidis poſſeſſionem immiſſurum, pollicebatur. Inde Noëmi adverſus Chanaan filium maledictionem adnotat; quæ præcipua ratio erat terram eius Iſraëlitis transmittendi. Hinc iura maioris natu Iacobo aſſerta, factaque illi ante & poſt ortum promiſſa, & Eſau excluſionem, recenſet, ſimulque Moabitarum, Ammonitarum, & Philiſtæorum, perpetuorum Iſraëlis hoſtium, originem deſcribit. Hæc de ipſo conſilio operis.

3. Iam vero *legem a Moiſe datam* quod ſpectat, id univerſe dici de ea debet, illam quidem longe a perfectione legis poſtea a IESU Chriſto traditæ diſtare; attamen tantundem pæne ſapientia omnium aliorum legislatorum gentilium leges ſuperare. Præſtruxerat illius fundamentum unitatem DEI, creantis hominem ad imaginem ſui, atque ex univerſo hominum genere Abrahami fidelis familiam & gentem ſibi ſeligentis in populum peculiarem, & ex cunctis gentibus electum, ac denique fœdus æternum cum illo ad radicem montis Sinai pangentis. Porro ſcopus pacti iſtius veluti in compendio totus ad perfectæ DEUM inter & populum iſtum amicitiæ colendæ officia redigitur: *Audi Iſraël!* (ſic Deut. VI. 5. legislator DEI nomine hunc alloquitur) *Dominus DEUS tuus unus eſt. Diliges Dominum DEUM tuum ex toto corde tuo, & ex tota anima tua, & ex tota fortitudine tua: & narrabis ea filiis tuis, & meditaberis in eis ſedens in domo tua, & ambulans in itinere, dormiens, atque conſurgens.* Lege caput Deuteronomii X. 12. & videbis excellentem ſpiritum totius legis Moſaicæ non eſſe alium niſi perfectum DEI amorem & timorem vere filialem, minimeque ſervilem. Subditur Decalogus præceptorum, iuris naturalis divini ſummam miro compendio complectens.

Addun-

Adduntur promiſſiones & minæ, quæ quidem immediate in temporalibus duntaxat prœmiis & ſuppliciis ſiſtunt, tanquam validioribus ad ſenſum rudis admodum populi ciendum; attamen futura alterius vitæ bona & mala aperte ſupponunt promiſſiones Meſſiæ poſt multa ſecula ex eorum gente mittendi, & Patriarcharum ſpes videndi eundem in carne ſua, non ſemel expreſſæ in Pentateucho & libro Iob; quem ipſum Moiſes communius ſcripſiſſe creditur ad ſolatium filiorum Iſraël, deſerta incolentium. His ſanctis inſtitutionibus adiungit legislator ritus & cerimonias maieſtate plenas, feſtos dies, memoriam prodigiorum revocantes, queis Iſraël liberatus a ſuis hoſtibus per DEUM fuerat, ingentem item legum & obſervantiarum, ſacram & profanam politiam conſtituentium, apparatum; qui, utut multis ſuperfluus videri queat, tunc nihilominus neceſſarius omnino ac ſapientiſſime conſtitutus fuerat ad DEI populum ab aliis nationibus ſeparandum, & avocandum ab idololatria, ad quam ob totius reliqui humani generis commune exemplum tantopere propendebat.

4. Perpende exinde *providentiam ſapientiſſimi legislatoris* in admirabili ordine reipublicæ ſuæ conſtituendo circa diviſionem tribuum; in aſſecuranda perpetua legis obſervantia per tribus Leviticæ tum ſeparationem pro tutela legis & ſacris miniſteriis obeundis, tum diſtributionem eiusdem in omnes ceteras; in proſpiciendis omnibus eventibus forte emerſuris, quibus ita perfecte proviſum iam in lege erat, ut nulla unquam ætate deinceps addere aliquid legi, vel detrahere, aut vel unum apicem eius mutare, nec opus, nec ulli etiam regum permiſſum erat. Vide Deut. IV. 2.

& XII. 32. &c. &c. Quod tamen omnium illuſtriſſimum ſapientiæ & providentiæ documentum in lege Moiſis eſt; eo omnia legislatoris præcepta prorſus ordinantur, ut aperte pateat, non niſi præparationem quamdam adornari ad legem aliam multo magis auguſtam, minus cerimoniarum multitudine moleſtam, & virtutibus altioris ordinis fœcundam: cuius legis expectatione ſuſpenſum ut teneat populum ſuum, adventum magni huius Prophetæ & legislatoris, ex Abrahamo communi ipſorum parente naſcituri, eidem graviſſimis verbis denuntiat atque ad eundem diligenter audiendum hortatur. Deut. XVIII. 15. *Prophetam de gente tua & de fratribus tuis, ſicut me, ſuſcitabit tibi Dominus DEUS tuus: ipſum audies. - - - Et ait Dominus: - - ponam verba mea in ore eius. - - qui autem verba eius audire noluerit, ego ultor exiſtam.* Hac reflexione facta, ſimulque iſtius gentis, cui leges ferendæ erant, imbecillitate ſpectata apparet manifeſte, vel ea ipſa, quæ in illa lege minus perfecta ſunt, & a ſummæ virtutis perfectione recedunt, ſapientiſſime a Moiſe ordinata eſſe; tum ut populi ſui moribus ſeſe accommodaret, tum ut venturo altioris legis auctori Meſſiæ corrigendum aliquid ac perficiendum relinqueret, ſic, ut eo ipſo legis utriusque diſcrimine, & ex poſterioris præ priore excellentia, Meſſiæ divina miſſio clarius dignoſceretur. Atque his adnotatis puto manifeſtum eſſe, Moiſen virum fuiſſe ſumma ſapientia, & a rudi ſimplicitate maxime remotum; ut proin non modo inanium præſtigiarum aut prægnantis phantaſiæ illuſionibus haud ita facile patuerit, ſed omni iure ab omnibus viris ſapientibus cum Origene (l. I. contra Celſum) cunctis, qui poſt ipſum venere, gentium legislatoribus laude

laude ſapientiæ ac providentiæ infinitis partibus viſus fuerit eſſe præferendus.

5. *CAPITIS SECUNDI DEMONSTRATIO*, videlicet, *quod Moiſes ipſe decipere non voluerit*, æque obvia & aperta eſt. Tametſi enim pro ſummo, quo erat, ingenio par omnino fuiſſe videatur ad imponendum tam rudi populo multa pro arbitrio (præter ea, quæ coram ipſi non oculis ſolum, ſed omnibus ſimul ſenſibus hauſerant) in iis maxime, quæ DEUS clam & remotis arbitris cum ipſo ſolus transegerat: nil tamen niſi vera docuiſſe, nec niſi per vera prodigia doctrinam atque legis divinam originem confirmare eum voluiſſe, ſatis evidenter evincit conſtans apertiſſimæ probitatis atque ingenui candoris tenor, ſimulque perfectiſſima in DEUM religio; cuius in omnibus eius geſtis æque ac ſcriptis minime dubia aut fucata argumenta ſe offerunt. Nuſquam omnino proprii quidquam emolumenti, aut commodi, ſive quod ad gloriam, ſive quod ad dignitatem, aut ad delicias, ac bona fortunæ, vel ſui ipſius, vel ſuæ familiæ, ſpectaret, unquam quæſiviſſe notatur. Si humani quidquam eſt paſſus, rem minime ſilentio involvit, nec erubeſcit omni poſterorum memoriæ tranſcribere tum linguæ ſuæ balbutientis vitium, tum incredulitatis illud ſuæ peccatum, cuius cauſſa ſevere puniri a DEO, atque exoptatæ tot annis, tot laboribus & ærumnis quæſitæ, terræ poſſeſſione excludi meruiſſet. Eadem ingenuitate fratris atque ſororis errores, hosque ſecuta ſupplicia refert. De ſe ipſo tanquam de alieno loquens, unice DEI gloriæ ac creditæ ſibi gentis ſaluti ſtudere videtur, ſic, ut, etiamſi aliquando ſe prodat, ideam tamen conſtanter ingerat hominis ſincere optantis perpetuo

 latere;

latere; quin uſquam eas captare occaſiones, aut artes ſectari notetur, quibus ſuperbia, hypocriſis, aut philautia tam ſtudioſo artificio intendit. Moritur demum magnus hic populi Iudaici dux ſui ſuorumque pronus incurius; cum nihil perpetuandæ benefactorum DEI iuxta ac præceptorum memoriæ omiſiſſet. Liberos ſuos in medio civium ſuorum poſt ſe relinquit ſine ullo dignitatis diſcrimine, ſine ulla fortunæ prærogativa eis aſſerta: etſi ita ipſe non admirationem ſolum gentis ſuæ totius, ſed amorem, infinitis pæne benefactis & geſtis grandibus ſibi conciliaſſet, ut nutu omnium animos, quo vellet, flecteret. Methodum ipſam ſcribendi quod attinet, tota illa ſummi legislatoris ac vere principis eſt. Charactere ſe tam ſibi proprio diſtinguit, ut neſcio quid autographi, nullique alteri uſquam ſcriptori conveniens, in eius libris omnibus in oculos mentemque totam legentis incurrat. Simplicitas ſcriptionis tam ſublimis ſimul eſt, ac plena maieſtate, ut nihil accedere ſimilitudine ad eam poſſe videatur. Vide Philonis de Moiſe elogium apud Euſeb. Præp. Ev. l. VIII. c. 2. Prodigia, nulla uſquam alia in hiſtoria legenda, & omni captu hominum maiora, ſimplici ſtilo, ac veluti tranquillo ac talibus aſſueto vultu deſcribit; ut plane habitum totum hominis nihil minus quam imponere volentis, nec grandia ad incautos decipiendos iactantis, ſed nobili ingenuitate narrationis pleniſſime perſuadentis, continuo præſeferat. Verbo: nullum uſpiam impoſturæ aut fraudulentæ voluntatis indicium, univerſi contra integerrimæ veritatis Characteres eximio gradu in omnibus ſcriptis Moſaicis ſeſe produnt.

6. Supereſt, *UT DEMONSTREMUS TERTIO LOCO, ne decipere quidem Moiſen omnino potuiſſe.*

Digitized by Google

taiſſe. Iſtud vero ex iisdem prorſus rationibus omnino evidens eſt, ex quibus idem ſupra §. 278. n. II. de IESU Chriſti Apoſtolis oſtenſum eſt. Nimirum *factis tam publicis*, ut ſub ipſos integræ nationis ſenſus per annos amplius quadraginta caderent, & *vaticiniis primi ordinis*, quibus Moiſes fidem divinæ ſuæ miſſioni faciebat, fraus aut nulla ſubeſſe potuit, vel ſiqua ſuberat, planiſſime detegi mox debuerat. Moiſes profecto Iſraëlitis ſuis in Exodo, in libro Numerorum, in Levitico, in Deuteronomio, iam non res pridem præteritas, & incertis auctoribus narratas, ſed præſentes narrat; quarum haud alios teſtes quam totius nationis oculos, haud alia argumenta, quam ſenſuum illius propriorum experientiam, per quadraginta annos continuatam, allegat. Non ille de rebus quas narrat, ſolum generatim & ſummario ſermone loquitur, ſed minutim adiuncta omnia ſine numero recenſet, ſecurus non convictionis ſolum mendacii, ſed vel ſuſpicionis etiam; quam adeo ſibi ab irritato populo impingi non veretur, ut ipſius adverſus DEUM tam in ſe beneficum ingratitudinem, ſcelera, ac cordis duritiem, omnibus paginis & graviter corripiat, & omni ſeveritate exprobret. Putasne hominis aut aſtutas artes, aut diaboli præſtigias eo pertingere poſſe, ut ad iugum legis duriſſimæ DEI nomine nationi integræ imponendum per annos plus quadraginta eidem tot, tantis, ac tamdiu continuatis *prodigiis* primi ordinis illudant, quanta, qualia, ac quamdiu de Moiſe ex ipſiusmet teſtimonio legimus? Perpende necem omnium primogenitorum inter Ægyptios a Moiſe una nocte editam, tranſitum maris rubri, miracula in deſerto quotidie ſine numero edita, panem de cœlo quotidie millioni hominum miniſtratum, torrentes aquarum de petris

 momen-

momento eductos, columnam igneam & nubem, duces noctu & interdiu &c. &c. & vide dicta §. 179. & ſeqq. Sed finge, his fraudem quacunque ratione ſubeſſe potuiſſe: an, ſiquis *vaticiniis* Moiſis dolus inerat, etiam latere, diu ſaltem, potuit? An tempus ipſum, & eventus prædictionibus tam præciſe enuntiatis minime reſpondens, docere fraudis evidentiam non debebant? Pauca vaticiniorum eiusmodi exempla, extra omnem controverſiam tam Chriſtianos inter quam Iudæos illorum hoſtes poſita, & luce ipſa meridiana clariora, inſtar mille erunt, remque iſtam ita penitus decident, ut nec de ceteris, etſi non æque luculentis atque apertis, prudenter fas ſit dubitare. Edic, quis legislatorum uſpiam aut ita imprudens, aut ſuæ virtutis etiam in longingua tempora protendendæ tam ſecurus fuit, ut fauſtitates omnes genti ſuæ in omne futurum tempus, tamque præciſo oraculo, ipſius DEI nomine prænuntiaret, quamdiu legibus a ſe propoſitis eſſet latura morem; ut contra mala ultima certiſſime incubitura eidem prædiceret, quoties communi vitio ab earum obſervantia diſceſſura eſſet? Solus ab omni hominum memoria id auſus fuiſſe Moiſes legitur, in hoc aut hominum ſtolidiſſimus, aut de divino Numine, quo ageretur, ſine ullo dubio ſecurus. Exodi XIX. 3. 4. 5. & 6. Deuteron. XXVI. 18. 19. ſummas proſperitates Iſraëlitis, legi divinitus per ſe acceptæ morigeris, DEI nomine affirmate pollicetur. Multo vero diſtinctius id ipſum repetit Levit. XXVI, promittens ſervantibus legem DEI pluvias neceſſarias temporibus ſuis, fertilitatem uberem agrorum, vindemiam abundantem, pacem, ſecuritatem, victoriam perpetuam ab hoſtibus; ex adverſo transgredientibus eandem mala omnia, morbos, peſtem, bella, clades, famem uſque ad devo-

rationem

rationem carnis humanæ & propriorum liberorum, vaſtationem terræ, ac denique gentis totius diſperſionem intentans; a quibus malis non niſi ſeria pœnitentia & converſione denuo eximendi ſint. Ne vero quis ſuſpicetur, Moiſen præſumtione quadam potius quam certa ſcientia res eiusmodi prædicere; poſtquam Deut. IV. VIII. XI. omnia illa promiſſa æque ac minas verbis maxime graphicis repetierat, ibidem cap. XXXI. affirmatiſſime prænuntiat, populum reipſa receſſurum olim a legis ſuæ obedientia, atque idcirco mala, a ſe DEI nomine intentata, reipſa certiſſime experturum: & ne ullum prædictioni ſuæ dubium relinqueret, cap. XXXII. ibid. celebre illud Canticum, *Audite Cœli, quæ loquor, audiat terra verba oris mei* &c. &c. expreſſionibus maxime emphaticis plenum, componit ipſe, atque memoria ediſci, cantarique identidem ab Iſraëlitis iubet; in quo omnes illæ prædictiones tum præmiorum, tum ſuppliciorum, tum vero etiam ipſarum futurarum gentis prævaricationum, ampliſſime toti populo inculcantur. Num dubitas vero, impletæne poſt reipſa prædictiones iſtæ tam inſolentes ad amuſſim fuerint in Iſraëlis gente? Agedum, hiſtorias Ioſue, & Iudicum, libros Regum ac Paralipomenon percurre. Ioſue XXIV. 31. leges: *ſervivitque Iſraël Domino cunctis diebus Ioſue, & ſeniorum, qui longo tempore poſt Ioſue vixerunt:* leges vero ibidem XXI. 43. *Data eſt ab eo* (Domino) *pax in omnes per circuitum nationes, nullusque eis hoſtium reſiſtere auſus eſt, ſed cuncti in eorum ditionem redacti ſunt. Ne unum quidem verbum, quod illis præſtiturum ſe eſſe* (DEUS ſcilicet per Moiſen) *promiſerat, irritum fuit, ſed rebus expleta ſunt omnia.* Sed perge nunc ad libri Iudicum cap. II. 10. & vide cum mutata Iſraëlis obſervantia mutatum quoque ex parte DEI agendi

agendi cum eis modum. *Omnis illa generatio* (quæ ſcilicet obediens Domino & legi a diebus Ioſue fuerat) *congregata eſt ad patres ſuos*, inquit ſacer ſcriptor; *& ſurrexerunt alii, qui non noverant Dominum, & opera, quæ fecerat cum Iſraël. Feceruntque filii Iſraël malum in conſpectu Domini, & ſervierunt Baalim, ac dimiſerunt Dominum DEUM Patrum ſuorum.* Et quis inde eventus? *Iratusque Dominus contra Iſraël, tradidit eos in manus diripientium: qui ceperunt eos, & vendiderunt hoſtibus, qui habitabant per gyrum: nec potuerunt reſiſtere adverſariis ſuis; ſed quocunque pergere voluiſſent, manus Domini ſuper eos erat, ſicut locutus eſt, & iuravit eis: & vehementer afflicti ſunt. - - - Cumque Dominus Iudices ſuſcitaret, in diebus eorum flectebatur miſericordia, & audiebat afflictorum gemitus, & liberabat eos de cæde vaſtantium. Poſtquam autem mortuus eſſet iudex, revertebantur, & multo faciebant peiora, quam fecerant patres eorum. - - Iratusque eſt furor Domini in Iſraël* &c. &c. Hem tibi generalem ideam perpetuarum viciſſitudinum in electo DEI populo inde a diebus Ioſue, ſucceſſoris Moiſis, uſque ad integram huius nationis ſub Veſpaſiano Imperatore Romano diſperſionem! Lege eiusdem Iudicum libri cap. III. 7. 9. & 15. cap. IV. 1. 3. & ſeqq. VI. 1. 7. X. 6. 10. XIII. 1. XX. 26. In libro tertio Regum cap. XI. 11. 12. & cap. XII. leges, regnum Iuda ſciſſum eſſe in duas partes ob neglectam DEI legem; cumque Ieroboam quoque primus Rex Iſraël ex præpoſtera arte politica idololatriam regni ſui quaſi fundamentum conſtituit, leges ibid. cap. XXIII. mox annuntiatum illius domui interitum. Similes viciſſitudines perpetuo in reliquo decurſu utriusque regni Iuda & Iſraël deinceps uſque ad utriusque everſionem & Babylonis captivitatem, imo uſque ad interitum totius nationis

legere

legere eſt. Denique ex eadem hiſtoria Iudaica evidens eſt, Iudæis omni tempore perſuaſum fuiſſe, bona & mala, quæ eis quovis tempore evenerant, effectus promiſſorum & minarum Moiſis extitiſſe. Ioſias, Ieremias, Baruch, Eſdras, Nehemias id quidem omni conſentiente populo publice prædicarunt.

Sed alia Moiſis vaticinia ſimilia addamus. Numer. XIV. 22. Moiſes populo animum deſpondenti ob relationes falſas exploratorum, qui ad terram Chanaan explorandam miſſi fuerant, prædicit, neminem ex eo, qui prodigia in Ægypto vidiſſet a DEO illorum cauſſa patrata, viſurum terram patribus eorum a Domino promiſſam, ſed omnes morituros in deſerto, ſolo Ioſue & Caleb excepto. Et ecce! poſt quadraginta annos, continuo viarum errore in deſerto tranſactos, cum ante ingreſſum chanaanitidis Numer. XXVI. 63. cenſetur numerus Iſraëlitarum, *nullus eorum* ſuperſtes invenitur, *qui ante*, id eſt, mox ab exitu ex Ægypto, *numerati fuerant a Moiſe & Aaron in deſerto Sinai. - - - Nullusque remanſit ex eis niſi Caleb & Ioſue.*

Rurſus Exodi XXXIV. 23. ſingularis inter alias lex vereque prophetica occurrit: *tribus temporibus anni apparebit omne maſculinum in conſpectu omnipotentis Domini DEI Iſraël. Cum enim tulero gentes a facie tua, & dilatavero terminos tuos, nullus inſidiabitur terræ tuæ, aſcendente te, & apparente in conſpectu Domini DEI tui ter in anno.* Percurre omnem gentis Iſraëliticæ hiſtoriam, nec invenies caſum huic prædictioni contrarium.

Multo mirabilior illa eſt Levit. XXV. 4. *Septimo anno ſabbathum erit terræ, requietionis Domini;*

agrum

agrum non ſeres, & vineam non putabis: quæ ſponte gignet humus, non metes. Idem pro anno quoque quinquageſimo obſervandum ibid. v. 10. & 11. præcipitur. Tum vero v. 20. ſic pergit ſacer textus: *quodſi dixeris: quid comedemus anno ſeptimo, ſi non ſeverimus, neque collegerimus fruges noſtras? Dabo benedictionem meam vobis anno ſexto, & faciet fructus trium annorum: ſeretisque anno octavo, & comedetis veteres fruges uſque ad nonum annum; donec nova naſcantur, edetis vetera.* Lex enimvero ſingularis! ſemper tamen reſpondente felici eventu obſervata in omni Iudæa natione.

Numer. V. 12. aliam legem propheticam legere eſt pro muliere de adulterio ſuſpecta, de aqua maledicta ei ad bibendum offerenda, quam ſi biberit, quæ reipſa eſt adultera, futurum præcipitur, ut *inflato ventre computreſcat femur eius, futuramque in exemplum omni populo;* ſecus vero, *ſi polluta non fuerit, iunoxiam futuram.* Promiſſio iſtiusmodi legibus inſeri non profecto potuit niſi vel a legislatore inter omnes, qui fuerunt, homines ſtultiſſimo, vel divinitus illuſtrato. Eventus certe illius rarus eſſe non potuit; vel ſi tamen rarus fuit, ideo fuit, quia ſemper, cum caſus legis redierat, impletus eſt.

Huc quoque lex illa Deut. XVII. 16. ſpectat, quo regi futuro Iſraëlis prohibetur, ne equitatus inſtaurandi gratia populum ad emendos equos reducat in Ægyptum; vetaturque timere hoſtem (ibid. XX. 1.) maiore equitatu & curruum falcatorum numero maiore inſtructum. Imprudentiſſima lex, ſi hominem auctorem habeat; ſapientiſſima, ſi DEUM. Vide ſis vero, utrum aliquando deficientium curruum aut equorum cauſſa ſit

victus

victus Iſraël? Quoties in idololatriam labuntur Iudæi, toties ſubiugantur ab hoſtibus; ſed, ut omnes illorum Prophetæ vulgabant publice, ſemper malum hoc erat effectus minarum Moiſis, & inobedientiæ illorum adverſus ipſius legem; at ne ſemel quidem imbecillitatis ipſorum aut deficientis equitatus. Contra mox atque reſipiſcerent, victores erant; quantumcunque imbecilles & humana potentia eſſent eo ipſo tempore deſtituti. Imo cum eorum reges, illam legem Moiſis transgreſſi, magis in equitatu ſuo & curribus confidere, quam in auxilio DEI ſui, incepiſſent; Iſaias Propheta ex eo malum illis intentabat, cap. XXXI. 1. dicens: *væ! qui deſcendunt in Ægyptum ad auxilium, in equis ſperantes, & habentes fiduciam ſuper quadrigis, & ſuper equitibus, & non ſunt confiſi ſuper ſanctum Iſraël, & Dominum non requiſiverunt.* Homo profecto religioſus Moiſes! at malus politicus! imo aut ſtolidus, aut propheta. Sed amabo! an ſtolonum omnium ineptiſſimus non eſt, qui Auctorem Pentateuchi ſtolonem dixerit? Quisquis ergo ipſe ſapit, fateri profecto debet, pari evidentia ex his patere, Moiſem nec voluiſſe, nec potuiſſe ullo uti genere impoſturæ, tam parum videlicet, quam decipi ipſe potuerit; atque adeo ut teſtem omni exceptione maiorem ſummam fidem hiſtoricam undequaque promereri.

* Demonſtrationis iſtius lux tam ſuo vigore etiam ſponte obductos pervicaciæ velamine oculos perſtringit, ut nec ipſi Theiſtæ vulgo defendendo huic propugnaculo pertinacius inſiſtant. Eſto, aliquando Moiſi impoſtoris convitium impingere audiantur; videbis, id parum eos conſtanter facere; quippe certos, quod ſuſtinere nullo argumento vel ſpeciem illius queant, nec adverſantium rationum evidentiæ reſiſtere. Ad aliud ergo propugnaculum

lum ſe recipiunt. Moiſen omnium nationum conſenſu habitum fuiſſe Iudæorum legislatorem ſciunt; ſciunt, hoc ipſo legem Iudæorum illi oportere coævam eſſe, nec aliam utique eſſe, quam quæ in Pentateucho continetur. Fatentur ergo, neceſſitate dura coacti, nec Moiſi impoſturæ vitium imputari, nec Pentateucho abiudicari ætatem Moiſi æqualem poſſe; attamen pro auctoritate edicunt, plurimis illum locis videlicet diu poſt a, neſcio quo, impoſtore, uno, vel pluribus, interpolatum, omnibusque illis prodigiis & vaticiniis inſertum eſſe, quibus hodiedum tam ridicule ut aiunt, ſcatet. Agedum vero, ad iſtum quoque receptum hoſtis penitus diſturbandum machinas noſtras & apparatum armorum omnium lucidiſſimæ veritaris transferamus.

§. 306.

Nullo pacto fieri deinceps potuit, ut Pentateuchus, ſemel ab ipſo Moiſe conſcriptus, ullius impoſtoris fraudulenta interpolatione corrumperetur. Demonstratur. Vide ſis enim, ut legiſlator, iuxta providus ac ſapiens, omni fraudis periculo ſollertiſſime proſpexerit. Ad univerſam enim legem, & maxime ad religionis totius ſacrum depoſitum tuendum integra ab eo peculiaris tribus conſtituitur; cui DEI ipſius nomine cum decimis & oblationibus curam rerum omnium ſacrarum, atque ipſius inprimis ſcriptæ a ſe legis, attribuit. Levi & filii eius conſecrantur DEO inſtar partis decimæ ipſius populi. Ex familia Levi Aaron ſeligitur, ut ſit ſummus Pontifex, ipſumque Sacerdotium in huius domo hæreditarium decernitur. Sic ſuos altaria miniſtros, ſic peculiares defenſores ac cuſtodes lex ſortitur. In omni ſeculorum deinceps decurſu uſque ad Meſſiæ adventum populus Iſraëliticus omni tempore & in cunctis eventibus ad

ad præſcriptum legis Moſaicæ, his cuſtodibus concreditæ, omnem ſuam tam ſacram quam civilem politicam perpetuo exigere iubetur. Mox inde ab initio promulgatæ legis, Deut. IV. 2. & XII. 32. ſub ultimo piaculo prohibetur, ne quis vel addere ad legem aliquid, vel detrahere ab illa, ſive rex, ſive ſacerdos fuerit, auſit unquam. Interim ob ordinationum tum civilium tum cærimoniarum ſacrarum ingentem multitudinem quovis pæne momento opus erat recurrere ad legem, ſive ad dies feſtos ſtatis temporibus agendos, ſive ad ordinanda rite ſacrificia, oblationes, cærimonias, imo & ad actiones quasque civiles, particulares & publicas rite inſtituendas, puta, matrimonia, contractus, iudicia, exequias mortuorum, ſucceſſiones hæredum, formam veſtium, & univerſe, quidquid mores communes populi ſpectabat. Tota natio reverebatur legem iſtam ut divinitus acceptam ſumma reverentia, venerabatur eius auctorem non alium quam Moiſen, perinde ut poſtea Roma leges Romuli, Numæ, & duodecim tabularum, ut Solonem Athenæ, ut Lycurgum Sparta, & eius decreta in omnibus eventibus, in omnes dies & horas, allegabat. Idem liber ſimul omnia honeſtatis vitæ & virtutis præcepta ſolus continebat, nec erat Iudæis alius, ex quo mores ſuos informarent. Iubebantur illum volvere perpetuo, ac noctu & interdiu meditari, ſeligere ex eo ſibi ſententias & doctrinas, quas continuo præ oculis haberent. Ex hoc eodem libro legere pueri ac puellæ docebantur, eratque una educandi iſtos præſcripta regula parentibus, ut eos legem iſtam docerent, eam ipſis inculcarent, ac memoria diſcendam, ſtudioſiſſimeque obſervandam commendarent; quippe ex qua ſola veram eſſent ſapientiam hauſturi. Itaque hunc librum in totius nationis verſari con-

Digitized by Google

tinuo manibus neceſſe erat. Praeter lectionem vero particularem, quae ſingulis aſſidue iniuncta erat, publica eiusdem lectio in ſeptimos quosque annos ſtatuta erat, & quaſi nova promulgatio, in feſto Tabernaculorum; ad quod univerſus populus per dies octo ex legis praeſcripto conveniebat. Deut. XXXI. item II. Eſdr. VIII. 17. Vide item, quae de lectione & explanatione publica in omnibus Sabbatis apud Iudaeos fieri ſolita Euſebius Praep. Ev. l. VIII. c. 2. ex Philone & Ioſepho Iudaeis refert. Moiſes item (Deut. XXXI. 26.) praeceperat, in latere arcae foederis deponi textum autographum huius libri. Porro ex hoc exemplo autographo deſcribebantur ſubinde alia exempla, ab Levitis & Sacerdotibus diligenter relecta, & cum originali textu collata: quod eo quoque ſerviebat, ut, ſiquid in vulgatis iam exemplaribus, aut negligentia, aut malitia vulgi ſcribarum, vitiatum eſſet, ex iſtis magis authenticis commode corrigi rurſum poſſet. Et Reges quidem futuri in populo DEI certa lege (Deut. XVII. 18.) obligabantur de manibus Presbyterorum id genus probe correctum legis Moſaicae exemplum recipere, ut ſua manu ipſi deſcriberent, ac lectione aſſidua per omnem vitam volverent. Quisquis itaque ex Iudaeis facinus iſtud corrumpendi legem Moiſis ſecutis temporibus ſuſcipere auſurus fuiſſet; alterutrum ut contingeret, abſolute neceſſe erat, videlicet ut vel omnia prorſus, aut fere omnia, exempla legis ex tota natione habuerit in ſua poteſtate, ut addere, vel detrahere poſſet pro arbitrio; vel ut caeteris omnibus iam deperditis, pauca, quae ſupererant, exempla transmutare, & transfundere in aliam formam, pro lubitu licuerit. Primum fieri non potuiſſe, ultro evidens eſt. Sed num alterum ſaltem veriſimile eſt, factum unquam fuiſſe? Aiunt, in Babylonica captivi-

ptivitate ad eam paucitatem redacta legis exemplaria fuiſſe, ſicque legem ipſam ceſſatione in oblivionem ac deſuetudinem intra annos ſeptuaginta veniſſe, quibus captivitas duravit, ut ab Eſdra, ſacros omnes Iudæorum libros de novo inſtaurante, facile prodigia illa & vaticinia interpolari reliquo textui potuerint; quæ modo inibi leguntur. Sed vide ſis, quomodo DEI Providentia commento huic falſitatis convincendo certiſſimum remedium providerit, quod non Eſdram modo, ſed omnem alium, qui iſtum vel præcedere, vel conſequi potuiſſet, ab omni iſtiusmodi interpolationis ſuſpicione prorſus purgaret, imo & eandem impoſſibilem cuivis redderet. Decem tribus Iſraëlis ſub Roboamo deficientes, proprio Samariæ regno per Ieroboam fundato, ſolum Pentateuchum Moiſis in ſuo ſchiſmate retinuere, reliquis Iudaicæ ſcripturæ libris prorſus repudiatis. His decem tribubus a Salmanaſſare Babylonem in captivitatem abductis; cum Aſſaraddon filius Sennacheribi regnum Babylonis cum regno Ninive univiſſet, ſub iſtius regimine Cuthæi, Aſſyriæ populi, ad Samariam inhabitandam miſſi ſunt, & Samaritani deinceps appellati. Vide IV. Reg. XVII. 24. Hi iunxere cultum idolorum cum cultu DEI Iſraëlis, & obtinuerunt ab Aſſaraddon Rege Sacerdotem Iſraëlitam, qui eos religionem DEI Iſraëlis, id eſt, legem Moſaicam edocuit, Pentateucho videlicet eiſdem tradito. Inde eſt, quod ab ea ætate ad noſtra uſque tempora etiam Samaritani iſti non alias ex Scripturis Iudaicis, quam quinque illos Moiſis libros, Pentateucho contentos, recipiant. Hiſtoriæ nationis iſtius novæ Samaritanorum, Ieroſolymæ finitimorum, ab ea ætate paſſim tum in Scripturis antiquis Hebraicis, tum in aliis profanis hiſtoricis, ac demum etiam in Evangelio S. Ioannis cap. IV. & in Actis Apoſtolorum

 pluri-

pluribus in capitibus, analecta quædam occurrunt; quæ ſingula totidem ſunt teſtimonia, in Samaritanis iſtis non minus hæreditarium perſeveraſſe odium illud adverſus Iudæos Ieroſolymæos, quam initio fuerat inter decem tribus regni Iſraëlis & duas tribus regni Iuda, inde a prima ſub Roboam & Ieroboam facta utriusque regni diviſione. *Primum* quidem, cum Zorobabel reverſus a captivitate reædificaret templum Solymæ, Samaritani in gloriæ eius partem venire avidi, admitti ſuam quoque operam in eo ædificio volebant eo ſub obtentu, quod & ipſi DEUM Iſraëlis colerent. At filii Iſraël amphibium illorum cultum deteſtati, eorum poſtulata prorſus reiecere: qua repulſa irritati Samaritani nihil deinceps aut artificii, aut violentiæ, omiſere, quo Iudæis ædificantibus moleſtiam faceſſerent. Vide I. Eſdræ. IV. 2. Rurſus II. Machab. VI. 2. occurrit contentio celebris, inter Iudæos & Samaritanos iſtos exorta, circa annum Romæ Conditæ 604. Nimirum Schiſmatici iſti pro more ſuo inimicis Iudæorum ſeſe iunxerant, & ad Antiochi Illuſtris, hoſtis iurati Iudæorum, iracundiam placandam, templum ſuum in Garizim Iovi Hoſpitali DEO conſecrarunt. Inſuperhabita hac profanatione auſi ſunt deinceps impii iſti coram Ptolomæo Philometore Alexandriæ acriter aſſerere, templum illud ſuum Ieroſolymitano multo nobilius eſſe. Conteſtata utrinque lite partes ambæ obligaverunt ſe ſub pœna mortis, ad aſſertum quæque ſuum ex ipſis legis Moſaicæ verbis demonſtrandum. Samaritani cauſſa cadentes, temeritatem capite luerunt ex condicto; ſimul vero in odio veteri hoc ipſo obfirmati ſunt. Viginti poſt annos Hyrcanus Iudæorum Rex, abſentia Cleopatræ Reginæ uſus in rem ſuam, cepit Sichimam Samaritanorum urbem, templumque Garizim funditus æquavit ſolo, ducen-

tis

tis annis poſt, quam a duce Sanaballat ædificatum fuerat. Vide Ioſeph. Antiq. lib. XIII. cap. 17. Hac templi ruina non obſtante, Samaritani continuarunt æmulum illum cultum ſuum ſuper eo monte, unaque odium inveteratum, ut ex colloquio IESU Chriſti cum muliere Samaritana in Evang. Ioan. cap. IV. videre eſt. Iam vero Samaritani iſti ſunt ille populus, quem in fraudis ſuæ conſilium adſciſcere Eſdram oportuit. Nam apud iſtos Origenes, Euſebius Cæſareenſis, S. Hieronymus, aliique ſcriptores Eccleſiaſtici, Pentateuchum legerunt, qualem illi a ſua origine acceperant. Unde ſecta hæc, cetera tam vilis, tamdiu conſervata fuiſſe divino conſilio hoc videtur, ut teſtimonium integritati Pentateuchi apud Iudæos ſemper intactæ redderet. Profecto populos genio ac ſtudiis omnibus ceteris tam differentes, ſimul tamen Scripturarum ſuarum tuendarum pari religione ſemper accenſos, ad fraudem communem colluſiſſe, fingi mente omnino non poteſt. Quid quod ipſum characterum diſcrimen, quo textus Samaritanus ab Hebraico differt, a Samaritanis pertinaciter uſque ad noſtram ætatem retentum, ſatis oſtendit, quam incapaces iſtiusmodi populi fuerint fraudis eiusmodi communi ſtudio admittendæ; unde unde dein illud characterum diſcrimen reipſa exortum fuerit. Variant in hac parte doctorum ſententiæ, quarum antiquior & communior S. Hieronymo adſtipulatur, in Præfat. in libros Regum ita ſcribenti: *Samaritani Pentateuchum Moiſis totidem literis ſcriptitant, figuris tantum & apicibus diſcrepantes. Certum eſt, Eſdram ſcribam & legis Doctorem, poſt captam Ieroſolymam, & inſtaurationem templi ſub Zorobabel, alias literas reperiſſe, quibus nunc utimur: cum ad illud uſque tempus iiſdem Samaritanorum & Hebræorum characteres fuerint.* Putabant

itaque docti communiter, Eſdram, cum ſacros libros ab erroribus ſcribarum caſtigandos ſibi poſt captivitatem ſumeret, ſimul formam literarum veterum immutaſſe, ſubmotis Hebraicis vetuſtis, atque Chaldaicis, quibus Iudaei in captivitate aſſueverant, ſubſtitutis. Hæc ipſa opinio apta Philoſophorum incredulæ turbæ viſa eſt, cuius obtentu eam dicam Eſdræ ſcriberent; quod is ea occaſione, fraudi profecto opportuniſſima, libros Moiſis pro arbitrio interpolavit. Sed credo, nemini non erudito homini hodie præ illa ſententia antiqua arridere id, quod P. Eraſmo Froelich S. I. ante annos non admodum multos viſum eſt, rato, Hebræos iam olim ab exordio gentis, ſicut & vetuſtos *Ægyptios, Phœnices,* (de quibus Philo apud Bochartum Geogr. ſac. lib. 2. cap. 16.) *Æthiopes* (de quibus Heliod. lib. 4.) *Græcos* (Theodor. quæſt. 61. in Geneſ.) geminos habuiſſe characteres, ſacrum videlicet, & profanum. Sacrum acceperunt a Moiſe, eumque ſacris libris deſcribendis unice deſtinarunt; profano vero, qui & ceteris, cum quibus gens illa vivebat, communis fuit, in civilibus utebantur, perinde ac nos hodie latinum in ſacris retinemus, vernaculum in communi commercio adhibemus. Sacer ille inviolabilis & intactus a Moiſe ad nos uſque pervenit, atque in ſacris libris Synagogarum manet. In hanc perſuaſionem virum ſane quam doctum perduxit Hebræorum erga ſacros libros nata ab ipſo gentis exordio religio; quæ tanta eſt, ut ne vel unum eius apicem immutari patiatur; prout Maſſorotarum immanis labor demonſtrat, & retenta per multa ſecula ſcribendi eos libros pro Synagogis ratio confirmat. Non parum profecto mirum videri deberet, uſpiam factæ tam inſolentis ab Eſdra mutationis vel in ipſis ſacris literis fieri indicium.

Digitized by Google

cium. Civiles vero literæ communes illæ erant, quas Abrahamus e Meſopotamia in terram Chanaan adduxerat, atque exinde illo manſerunt in populo: ex quo & dictæ dein ſunt Hebraicæ veteres. Hos civiles characteres videre eſt in vetuſtis Hebraicis nummis, ſub Simone Machabæo cuſis (neque enim vetuſtiores ſuperſunt); atque eisdem ipſis codex ille Pentateuchi Samaritanus exaratus eſt, cuius ſuperiore ſeculo (anno 1631.) editionem Ioannes Morinus, ex non nullis exemplaribus ab Oriente petitis, primus in Europa exhibuit. Itaque nullo probabili argumento in tam alto ipſius Scripturæ ſilentio factum tam inſolens, quale eſſet charecterum mutatio, Eſdræ tribuitur; & Origines Sanctusque Hieronymus ſola ignorantia cauſſæ ducti, ex qua diſcrimen illud characterum in textu Samaritano & Hebraico natum fuerit, mutationem illam ab Eſdra factam ſuſpicati ſunt. Illud certe nihil admodum obſtat, quod in nonnullis Græcis Bibliorum Codicibus nomen DEI Tetagrammaton Samaritano charactere ſcriptum ſe vidiſſe duo iſti ſcriptores affirment: qui codices forte a Samaritano aliquo græce docto conſcripti fuere. Ceterum penes quamcunque ex his duabus ſententiis veritas ſtet; ſive Eſdras reipſa characterum formam in Scripturis inſtaurandis mutarit; ſeu ſolummodo minus diligenter in illis turbis captivitatis deſcripta legis exemplaria ſervatis ſacris characteribus antiquis correxerit (quod multo eſt veriſimilius); utroque in caſu obfirmata Samaritanorum in ſuo charactere retinendo conſtantia argumentum eſt omni exceptione maius, utrumque Pentateuchum, Hebraicum, & Samaritanum, inſtar totidem originalium ſcripturarum eſſe, quarum neutra dependeat ab altera, ſimul vero ipſa ſua conſenſione, qua in re-

rum omni ſubſtantia prorſus ſibi conſonant ambæ, utriusque gentis fidem prorſus ex æquo integram evincant. Teſtes enim duæ iſtæ nationes ſunt, qui, dum neutiqnam ex condicto, quin & inſuperhabita conſtanti & inveterata æmulatione mutua, in re momenti maximi, & quæ cordi utrique vel maxime fuerat omni tempore, conſentiunt, fidem cum ſumma evidentia faciunt, Moiſis libros neque deperditos unquam, neque in rebus alicuius momenti corruptos, multo minus de novo vel ab Eſdra, vel ab alio quovis, qui Ieroboami ætate & regni Iſraëlis exordio poſterior fuerit, confictos fuiſſe.

Sed *ADDAMUS ARGUMENTUM ALIUD*, non minus convincens priore, cuius vis in cuiusque animo erit eo maior, quo melius & in re critica, & in lectione Scripturarum Hebraicarum erit quis verſatus. Ab Eſdra, vel alio quovis impoſtore tot prodigia inſeri Pentateucho potuiſſe aſſeris? Itane vero? Atqui ſimilium prodigiorum vaticiniorumque ingens numerus in ceteris quoque Iudicum, Regum, & Prophetarum libris perpetuo occurrit, & vel in Pſalmis ſolis omnia repetuntur, quæ in Pentateucho uſpiam legere eſt, præcipue in Pſal. LXXVII. CIV. CV. CXXXV. Igitur & iſtos omnes pari fraude interpolatos dicere debebis. Sed vide ſis, in quem te nodum ipſus induas. Miracula & prophetiæ ſic diſperſa ſunt in libris iſtis omnibus & ſingulis, ſic inculcantur, repetuntur toties, totque diverſis expreſſionibus, cum tanta varietate figurarum ac ſymbolorum, obiiciuntur oculis identidem, verbo, ſic totum veluti Scripturarum corpus, inſtar ſanguinis omnes venas & arterias implentis, pervadunt, ut vel nunquam ſerio inſpexiſſe ſcripturas,

Digitized by Google

vel plane animadvertiſſe oporteat quemlibet, facilius fingi de novo ex integro potuiſſe libros illos omnes, quam inſeri illis ea omnia, quæ interpolatione ſuppoſita fuiſſe incredulus Theiſta ſuſpicatur. Quodſi vero hoc omne etiam illi, utut ineptiſſimum, tribuas; num conceſſa antecedentium illorum, & Eſdra antiquiorum, prodigiorum commentitia interpolatione, idcirco iam expurgatum miraculis veris, verisque vaticiniis, totum Scripturæ corpus exiſtimas? At illa, quæ poſt Eſdram (ne fraudis inſolentia ſecus in oculos omnium incurreret; ne vaticinia (§. 305. n. 6.) Moiſi affiicta eventu carerent) demum tamen eveniſſe neceſſe eſt; illa item, quæ ſub Machabæis eveniſſe leguntur, quis, quæſo, famæ veteris illius impoſtoris tam ſtudioſus, quis iuxta fraudulentus ipſe impoſtor, iſta quoque confinxit, aut interpolando inſeruit? An DEUS fors Eſdræ donum vaticinandi eo fine impertiit loco Moiſis, ut dolus eius veriſimilitudine non careret? Num quodvis deinceps ſeculum unum aliquem tam eximium, tam felicem protulit impoſtorem; qui univerſo populo fidem fecerit; qui nova commenta, ſtudio religionis maxime heteroclito, ſine fine addiderit ad hiſtoriam gentis ſuæ, quæ tota ex religionis functionibus contexebatur? Quid vero? Num totus Iudæorum populus indifferenti prorſus animo eam omnium ſacrorum librorum ſuorum, quos nunquam non pro vere divinis habuerat, pernitioſam maxime religioni ipſi corruptionem tulerit? Tune perſuaſurum te hodie vel Chriſtianis, vel turcis ſperares, ut caput vel unicum Evangelio illi, hi Alcorano, addant? Anne magis faciles Iudæi ad hæc, an in Scripturis ſuis tuendis minus ceteris gentibus religioſi fuere? Hem! quæ monſtra adoptare opinionum oporteat; ſiquis divinæ auctoritatis ex-

cuſſo fræno, non niſi erroneum propriæ rationis ductum ſequi conſtituat.

* Audiamus tamen, quem denique ſpecioſum obtentum habeant omnis iſti religionis maſtyges ad rem tam abſurdam animo fingendam.

§. 307.

Aiunt ergo. Iudaicæ legis libros vel in excidio Ieroſolymitano combuſtos, vel diuturna illa in captivitate Babylonica deperditos, interiiſſe, nec niſi ab Eſdra poſtmodum e memoria inſtauratos fuiſſe. Et quem iſtius fabulæ auctorem habent? Illum, qui librum, qui Eſdræ quartus dicitur, compoſuit. Atqui is cap. 4. Eſdram divinitus illuſtratum vero prodigio omnes libros legis e memoria dictaſſe quinque ſcribis, item divinitus ad hoc delectis, affirmat. Aut ergo hoc ſaltem miraculum credat Theiſta oportet, aut cum Eccleſia Chriſtiana librum illum nunquam inter canonicos recipiente, omnem illius auctori hac in parte fidem abiudicet; quippe nænias multas & fabulas abſurdas venditanti. Verum eſt, quod auctoritas huius libri olim S. Irenæo (lib. III. cap. 25. adv. hæreſ.) Clementi Alexandrino (lib. I. Stromat.) & S. Baſilio (in Ep. ad Chilonem) impoſuerit, ut fabulam hanc & ipſi crederent. At nunquam in animum induxiſſent viri iſti, Eſdram hac occaſione corrumpere interpolatione tam late patente potuiſſe omnes ſacros Iudæorum libros, tanta prodigiorum & vaticiniorum multitudine paſſim interſperſa. Itaque illa iſtorum opinio aliud non probat, niſi quod viros iſtos acrior criſis hac in parte deſtituerit; eisque poſt illico maximi quique Chriſtianæ Eccleſiæ Doctores contradixere, ut S. Hieronymus adverſus Helvidium, S. Hilarius in Præfat. in Pſal-

mos

mos, S. Chryſoſtomus homil. 8. in Ep. ad Hebr., affirmantes, fidem nullam libro illi quarto Eſdræ habendam, nec aliud ab Eſdra factum fuiſſe, nec fieri potuiſſe, niſi quod menda ſolum multa, quæ ſcribarum incuria plurima in exemplaria eo captivitatis tempore irrepſerant, correxerit, & forte plura exemplaria nova, magis correcta, curaverit deſcribenda, atque inter populum bonorum exemplarium penuria laborantem diviſerit. Vide vero, quam iſtius ſententiæ ſuæ gravia habuerint argumenta. *Primo* enim, ut credamus etiam, tantam fuiſſe Iudæorum in illo Ieroſolymæ urbis excidio tamque communem perturbationem, ut nulla ex eo communi incendio ſacrorum librorum ſuorum exemplaria ignibus erepta conſervarint: an eiſdem omnino caruerint quoque illi Iudæi, qui undecim ante excidium iſtud annis una cum Ioachimo rege Iuda in captivitatem Babylonicam jam fuerant a rege Nabuchodonoſore deportati? An Ezechiel, qui inter captivos iſtos primos fuerat, & Epiſtolarum commercio cum Iudæis Ieroſolymæ adhuc tuto habitantibus uſus fuerat, nullum ab his legis exemplum ſibi procuraverit mittendum? *Deinde* num credibile eſt, Ieremiam Prophetam, quem regis Nabuchodonoſoris iuſſu Nabuzardan, militiæ Præfectus, ab iniuria Ieroſolymis tutum permanere voluit, nullum penes ſe conſervaſſe Scripturarum & ſacræ legis codicem; maxime cum ex libro IIdo Machabæorum cap. 2. conſtet, eundem Ieremiam ex incendio Urbis Ieroſolymæ tabernaculum, arcam, & altare incenſi eripuiſſe, & abſcondiſſe, ne venirent in poteſtatem hoſtium? Potuerit hoc multo maioris moliminis depoſitum eripere flammis & prædabundo hoſti? nec tamen ullum ſervare legis exemplum aut voluerit, aut potuerit? *Tertio* Danielem Prophetam

in

in captivitate Babylonica ſecum habuiſſe ſacros legis ſuæ codices facile colligitur ex cap. IX. 13. ipſius Prophetiæ, ubi ait: *ſicut ſcriptum eſt in lege Moiſi, omne hoc malum venit ſuper nos.* Certe locus iſte aperte innuit, prædictiones ſuppliciorum eiusmodi iam antehac revera in lege contentas, nec primum ab Eſdra ſuppoſitas fuiſſe. *Quarto* legimus lib. II. Eſdr. cap. VIII. Iudæos, ſtatim atque laxata captivitate in Iudæam reverſi ſunt, petiiſſe ab *Eſdra, ut afferret librum legis Moiſi, quam præceperat Dominus Iſraëli*, eumque librum fuiſſe ab eodem Eſdra lectum in conſpectu totius populi. Librum ergo penes ſe in captivitate Eſdras aſſervarat; vel certe indicari hoc loco debebat, de novo illum primum e memoria ab eo fuiſſe inſtauratum. *Quinto* Ioſephus Iudæus lib. XI. Antiq. cap. 1. refert, oſtenſum fuiſſe Cyro Perſarum regi vaticinium Iſaiæ, quo ipſius nomine ipſo expreſſo, eius victoriæ prænuntiabantur & libertas Iudæis per ipſum reſtituenda: quod & permoverit Cyrum ad eam reapſa concedendam. Evaſit ergo flammas & ruinam Ieroſolymæ liber Iſaiæ: quidni & liber legis ipſius Moiſis evadere ſimiliter potuerit? *Sexto* Samaritanus textus ſervatus eſt in excidio Samariæ, ut ex dictis conſtat; neque enim ſecus Sacerdos ille Iſraëlita ſuppeditare eum Cuthæis potuiſſet. Quippeni & Iudæi ſervare ſuos codices Ieroſolymis potuerint?

* Sed utcunque iſthæc certiſſima ſint argumenta; demus tamen, quod nullo pacto eſt veriſimile; demus, inquam, legis codices omnes ita excidiſſe, ut Eſdræ inſtauratione opus fuerit: amabo, an tamen locum habuiſſe id genus corruptionem ac fraudulentiam tu exiſtimas; quanta opus fuiſſet ad omnia illa prodigia & vaticinia interpolatione addenda, quæ hodie in codicibus illis legimus?

Ut

Ut perditos tibi demus omnes codices; an tamen intra ſexaginta annos omnis in toto populo legis ſuæ ita memoria interciderit, ut neque originem præcipuorum rituum, feſtorum dierum maxime ſolennium, & legum ſuarum deinceps ſciverint Iudæi; tametſi hæc omnia maxime ſingularia & exotica præ omnibus aliis nationibus apud ipſos fuerint. Siccine ignorarint illi originem ſuæ nationis, circumciſionis ſcopum, & exitus ex Ægypto modum? Cauſſam Paſchatis, eſus agni paſchalis, feſti tabernaculorum &c. obliti fuerint? Hiſtorias expugnatæ Chanaanitidis, bellorum cum ſuis hoſtibus, Ierichuntis aliarumque urbium expugnationes, e memoria dimiſerint? Parentes, qui Ieroſolymis ſecundo adhuc reipublicæ tempore nati fuerant, iſthæc talia filiorum captivorum memoriæ neglexerint inculcare? Quodſi revera is populus Babylone in terram maiorum ſuorum reverſus eſt tam novus, tam ignarus omnium, ut vix extitiſſe ſe ſuperiore ſeculo meminerit; ut citra examen omne receperit omne id, quod lubebat Eſdræ fingere: qua ergo ratione tam in libro ipſius Eſdræ, quam contemporanei eiusdem Nehemiæ, legimus, totum iſtum populum audire loquentes duces & Principes ſuos de omni lege Moiſis toties & publice, tanquam de re in omne vulgus notiſſima, & omnibus familiari uſu perſpectiſſima? Auſine iſti fuiſſent ſecundum eius legis unice præſcripta de novo ordinare omnes feſtos dies, ſacrificia, ritus, cærimonias, formam altaris, Matrimonia, politiam, uno verbo, res omnes ſacras & politicas, affirmando ad ſingula quæque capita, omnia hæc fieri, *ſecundum quod ſcriptum eſt in lege Moiſis viri DEI.* Vide I. Eſdræ cap. III. v. 2. cap. IX. 11. cap. X. 10. præcipue II. Eſdræ cap. VIII. cap. X. cap. XIII. Sed attende porro; ſi lex deperdita a Iudæis in captivitate fuit eo tempore, quo etiam Martyres ſuos in tribus pueris Babylonicis habebat; non erat profecto is ſolus liber, quem de novo fabricandi onus Eſdræ incumbebat. Debebat is eo-

dem

dem tempore conſarcinare omnes Prophetas antiquos & novos, id eſt, tam illos, qui ſcripſerant ante Ieroſolymæ excidium, & qui durante captivitate; puta Ezechielem, Ieremiam, Baruch, Danielem; id eſt, eos, quos populus ipſe noverat, imo legerat, iuxta atque quos ſolum memoria conſervarat, nec Prophetas ſolum, ſed etiam libros Salomonis, Pſalmos, & omnes libros hiſtoricos: ſiquidem vix invenias vel unum memorabilius factum in tota illa hiſtoria, & in omnibus libris reliquis vix unum aliquod caput, quod ſublatis omnibus a Pentateucho, quæ nunc in eo legimus, prodigiis & vaticiniis, uſquam integre ſubſiſtere poſſit. Omnes enim paginæ illorum omnium librorum de Moiſe loquuntur, omnia acta fundantur in hiſtoria & lege Moiſis; quippe quæ duo ſunt totum atque unicum fundamentum totius diſciplinæ tam publicæ quam privatæ, religioſæ & profanæ, in tota gente illa Iudæorum. Erat profecto is auſus Eſdræ inſolens omnino & in mundo inauditus, inducere ſub communi cum Moiſe idiomate eodem tempore tot magnos viros, charactere ac ſtylo plurimum inter ſe diverſos, & quemlibet eorum more ſuo ſibique ipſi nunquam non conſtante; ſimulque fidem facere nationi integræ, hos eſſe libros antiquos, quos parentes eorum iuxta atque maiores ſemper venerati ſint, imo & quos ex parte ipſimet conſcribi viderint: perinde atque nunquam de ſuæ gentis moribus, religione, ortu, loqui tota natio audiviſſet, aut veluti veteris ac præſentis temporis memoria in ea omnis momento abſterſa fuiſſet. Et tamen ſi hæc omnia ringente conſcientia propria, obnitente ſenſu totius rationis, fingamus denique; adhuc Samaritani textus perfecta conſenſio, utriusque gentis conſtans inimicitia, & mutua æmulatio, fabulæ iſtius omne ædificium prorſus disiiciunt; ſimulque Eſdras, tantus licet impoſtor, volens nolens, Moiſis & ceterorum omnium in locum maxime omnium admirabilis Propheta conſtituitur; cuius plurimis vaticiniis, licet maxi-

ma

ma temeritate ultro confictis, per ſeptingentos deinceps annos æque integer eventus conſenſerit, atque idem Moiſi vaticinanti perpetuo cenſenſiſſe ab eodem fingebatur; hoc ipſo videlicet, quod ſecus leges de annis Sabbaticis, de Iubilæo, de trino totius populi aſcenſu in Ieroſolymam per annos ſingulos, aliæque ſimiles, tam conſtanter obſervari a populo Iudaico non potuiſſent; uti ipſa adhuc IESU Chriſti ætate obſervatas fuiſſe conſtat.

* * Conſulto itaque iſtis omnibus propugnaculis dimiſſis, ad receptaculum ultimum Theiſtæ ſe recipiunt, & omiſſa certi alicuius impoſtoris nominatione, generatim effutiunt, ſine ullo quidem argumento, ſed pro mero arbitratu; univerſum Pentateuchum nunquam a Moiſe ipſo, nec Moiſis ætate ſcriptum, ſed poſtea primum quocunque tempore, ab inſigni neſcio quo impoſtore confictum fuiſſe. Age itaque, ex iſto quoque receptu ultimo, omnibus undique propugnaculis alioquin deſtituto, imbecillos hoſtes iſtos expellamus.

§. 308.

Fieri non potuit, ut Pentateuchus integer ullo quocunque tempore ab impoſtore qualicunque fingeretur. DEMONSTR. Inprimis a tempore diviſi per Ieroboamum regni Iudæ & Iſraëlis locum non habuiſſe id genus fraudem, ex dictis §. præc. de textu Samaritano & de Samaritanorum adverſus Iudæos perpetuis æmulationibus abunde comprobatum eſt. Itaque intra annos illos circiter quingentos, qui inter mortem Moiſis & illam diviſionem regni interceſſere, fabulam iſtam procuſſi Pentateuchi, & populo Iudaico perſuaſi, reponere oportebit. Iam vero poni poteſt, vel quod neque lex ipſa, neque nomen Moiſis, unquam extiterit, ſed univerſa hiſtoriæ ſeries de novo ex cerebro alicuius Poëtæ profluxerit; vel quod lex quidem

quoad

quoad ſe iam extiterit, ſed oretenus ſolum tradita antehac, poſtvero una cum inſperſis tot prodigiis fraudulenter literis conſignata a quodam impoſtore fuerit. *Primum* quidem omnino veriſimile non eſt: quia talem legem, qualis Moſaica eſt, tam duram videlicet, tot tantisque obſervantiis moleſtam ac gravem vel maxime, ſola fictione antiquæ ſanctionis eiusdem, cuius nullum uſpiam antehac veſtigium in hominum memoria extabat, perſuaderi integræ nationi Iudaicæ potuiſſe, profecto oppido abſurdum poſtulatum eſt. *Alterum* ergo ſolummodo aſſumi a Theiſta figmentum poteſt; quod videlicet, extante ſolum prævia antiqua legis a Moiſe olim latæ traditione & obſervantia, impoſtor aliquis eandem ſcripto conſignarit, miraculis ſine numero aſſutis. Quodſi quæras: quibus demum modis miracula tam turmatim ſparſa fidem in gente integra invenerint; reponet, magnam partem vulgi rumore pridem ficta, obſcuris narrationibus vulgari, ac demum in ſummam colligi, multisque exornari parergis, a fraudulento aliquo ſcriptore potuiſſe. Hem tibi totam ingenii incredulorum aciem expoſitam! Supereſt ſolum, ut modum illi oſtendant, quo is impoſtor fidem apud nationem integram invenerit, vel ſaltem potuerit invenire, fœtum ſuum ab ipſo Moiſe pridem editum fuiſſe. Ego vero omni qua poſſum contentione affirmo, ſic ſcriptum eſſe Pentateuchum, ut, ſi ab impoſtore, & non a Moiſe ipſo conſcriptus fuerit, fieri non potuerit, ut pro Moiſis opere haberi unquam poterit; certe ineptiſſimo conſilio & pugnantibus aperte inter ſe adiunctis paſſim fuerit conſarcinatus. Age enim, & rem ipſam mecum paulo attentius conſidera. Quisquis novam id genus fabulam dare in animum induxit, is certo pro principio ſtatuere debebat,

onus

Digitized by Google

opus totum, quod Moiſi inſcribere parabat, olim incuria deperditum, rurſusque ex tenebris protractum fuiſſe. At num ad huius rei alioquin tam inveriſimilis faciendam fidem conſultum erat affingere Moiſi, veluti prætenſo auctori, omnem eam induſtriam pro conſervanda in perpetuum ſcriptæ a ſe legis non ſolum memoria, ſed etiam perpetua lectione, & religioſiſſima cuſtodia, qualem ab initio §. 306. a Moiſe adhibitam in Pentateucho legimus; quæ tanta profecto fuit, ut æque parum perdi quam corrumpi unquam poſſet. Improvidum profecto impoſtorem, qui talia Moiſi affingit, ut plane poſſibile iam non ſit, deperditum eius tale opus unquam fuiſſe. Sed vide ſis ſequelas porro adhuc longe abſurdiores. Namque inprimis impoſtor iſte quiscunque fuerit (præterquam quod hominem ſumma ſapientia præditum fuiſſe, imo & morum probitate eximium oporteat, qui opus tam ſapiens tam ſublimi doctrina, tam incenſo plenum religionis in DEUM & communis boni ſtudio, conſcripſerit) inſuper perinde magnus quidam Propheta eſſe debuit, atque Moiſes ipſe credendus eſſet, ſi Pentateuchi revera auctor eſſet. Quidquid enim ex vero a Moiſe prædictum populo ſuo in futura quævis ſecula fuiſſe, in Pentateucho legimus, idem totum prorſus ex vero iam prædictum fuiſſe ab egregio hoc perſonæ Moiſis æmulatore fateri prorſus neceſſe erit. Quid quod in iſtius deceptoris gratiam oporteat DEUM aliis quoque Iudæorum Prophetis, qui legi in Pentateucho præſcriptæ (etſi in hac hypotheſi meris ex ſuperſtitionibus & fabulis contextæ) ſumma devotione addicti deinceps per totum hiſtoriæ Iudaicæ decurſum extitere, paria vaticinandi & varia miracula patrandi dona conceſſiſſe, quibus eidem legi apud populum, ſuc-

ceſſu temporis eius obſervantiæ incurium, perpetuam conciliarent auctoritatem: vel certe novos ſemper impoſtores æque aſtutos iuxta ac in vaticinando felices per ſingula ferme ſecula ſucceſſiſſe oportebit, qui in omni fraudis conſilio cum primo illo penitus conſentirent. Demum impoſtores hi univerſi, id eſt, omnes Iudaici veteres Prophetæ, ſic a Iudæis appellati, præterquam quod de antiquæ illius ætatis eventibus accuratiſſime ſint vaticinati, inſuper omnia vitæ Meſſiæ venturi, id eſt, IESU Chriſti, adiuncta diſtincte admodum prædixerint (ut ex dictis §§. 224. & ſeqq. videre eſt) nec tamen alio quodam merito excelluerint, quam quod tanto numero quisque ſuæ iuxta ac ſequentium ætatum hominibus feliciſſime in rebus momenti maximi impoſuerint. Enimvero ſequelæ iſtæ una altera abſurdiores ſunt, nec niſi ab iurato veritatis hoſte concoquendæ. Fieri ergo nullo pacto potuit, ut Pentateuchus integer ab impoſtore quocunque fingeretur &c. &c.

§. 309.

Si Pentateuchus liber Moiſis genuinus eſt, haud dubie etiam ceteris omnibus canonicis Hebræorum antiquorum libris §. 301. *recenſitis ſua auctoritas & fides authentica plene conſtat.* Demonstr. Unica enim ratio, cur fides ulli eorum abiudicaretur, a miraculis & vaticiniis repetitur, quibus immodice illorum ſinguli omnino ſcatent. Atqui hæc tota ratio prorſus evaneſcit, quamprimum Pentateuchus genuinus agnoſcitur Moiſis fœtus eſſe. Talis enim tunc legis Iudaicæ origo atque ſanctio eſt, talis ipſa religionis a DEO in mundo primitus ſancita inde ab Adamo indoles, ut nec miracula, nec prophetiæ deeſſe in ea gente etiam deinceps potuerint, in qua ſola & religio illa propaganda perpetuo

tuo in poſteros, & Meſſias ipſe gignendus eſſet. Præterea omnes ceterorum quoque librorum auctores coævi, aut certe proximi ætate, erant factis & rebus omnibus, quæ ſcribebat. Sic Ioſue, qui cognominem ſibi librum ſecundum Iudæos ſcripſit, quibus ipſe pars præcipua intererat, ſcripſit, ſapiens omnino ceteroquin, doctus, diligens, & prudens, Dux demum ipſe populi Hebraici & heros. Librum Iudicum ſeu Samuel, ſeu alius certe rerum illarum ævo proximus, ex ipſis actis publicis & tabulis reipublicæ Iudaicæ excerpſit. Si idem Samuel, ut vulgo creditur, primi Regum libri maiorem partem conſcripſit, quæ viderat, & ipſe geſſerat, in chartas redegit. Davidis geſta *a Samuele* vidente, & a Propheta Nathan & Gad (I. Paral. XIX. 29.) quorum uterque Davide & Salomone imperantibus vixerat, ſcripta fuiſſe, ipſa Scriptura teſtis eſt, eisdem adhucdum vivis in vulgus edita. Ceteros Iudæorum libros hiſtoricos ſcripſere Prophetæ iis coævi principibus, quorum geſta ediderе. Addo & Ahias regni Salomonis (II. Paral. IX. 29.), Semeias & Addo regni Roboam hiſtoriam exhibuerunt (II. Par. XII. 15.). Addo item dedit geſta Abiæ (II. Par. XIX. 22.). Hanani ſub Aſa (II. Par. XVI. 7.) & Iehu Hanani filius ſub Ioſaphat annales congeſſere (II. Par. XX. 34.). Eodem poſtremo Rege imperante Eliezer (II. Par. XX. 37.) & Iahaziel (II. Par. XX. 14.) Prophetæ ſcripſerunt. Quæ ſub Ozia & Ezechia evenere, Iſaias recenſuit (II. Par. XXVI. 22. & ibid. XXXII. 32.). Regni Manaſſis hiſtoriam texuit Hoſar (II. Paral. XXXIII. 19.). Regni Ioſiæ & ſucceſſorum eius Iudæ Regum commentarios edidit Ieremias; cuius prophetiæ habendæ ſunt veluti eorum narratio, quæ poſtremis regni Iudæ temporibus contigerunt. Regum ceteri & Paralipomenon libri

Digitized by Google

annales Regum Iudæ & Iſraël ſæpiſſime allegant, lectoremque ad eos veluti ad publica, certa, & authentica monumenta remittunt, iidemque ab Eſdra veriſimilius ex iisdem annalibus, qui etiam poſt captivitatem extabant adhuc, exſcripti, aut verius in compendium digeſti ſunt. Iudæis in captivitate detentis Ezechiel, & Daniel, eventus plurimos literis conſignarunt. Ninive Tobias, Suſis Mardochæus & Eſther nationis ſuæ ibi captivæ hiſtoriam continuarunt; quorum omnium auctoritas extra & ſupra omnem ſuſpicionem eſt. Poſt captivitatem acta a Iudæis Eſdras & Nehemias duobus libris comprehenderunt; ambo præclara progenie, ſummo pietatis ſtudio, & ob morum prudentiam Perſarum regum gratia conſpicui. Agedum, quæſo, & ullius gentis a mundo condito incunabula & omnem ſeriem hiſtoriæ nobis exhibe; cuius tam certa fides & auctoritas in ipſa gente habita fuerit, & tam perpetuo partium omnium nexu tanto annorum intervallo continuata.

* **Quoniam allata hactenus argumenta omnia revera non aliunde quam ex ipſo nexu librorum Pentateuchi tum cum ceteris omnibus Hebræorum libris canonicis, tum cum ipſa religione, politia, moribus, legibus, & omni gentis hiſtoria, repetita fuerint; iuvat modo, omnem hunc nexum uno veluti loco ſimul ſub oculos iſthic ponere.**

§. 310.

Ipſe nexus tum librorum utriusque teſtamenti, tum rerum in eisdem deſcriptarum inter ſe, evidens veritatis illorum & fidei authenticæ character eſt. Dem. Sume tempus in decurſu illius hiſtoriæ Iudaicæ, quod volueris, & videbis anteriora omnia cum poſterioribus ita connecti, ut nec iſta ſequi niſi illis præce-

præcedentibus, nec illa præcedere, niſi talibus poſt ſe tractis ſequelis, potuerint. A ſecundi templi temporibus inde uſque ad hiſtoriæ initium retro aſcendentibus ubique talia occurrunt, quæ ſequentium cauſſa extitere. Ipſa templi alterius hiſtoria primi hiſtoriam ſupponit, & continua ſerie ad Salomonem uſque nos reducit; quemadmodum & Samaritani cum Iudæis æmulantes diviſionem communis regni ſupponunt. Pax ſub Salomone & Davide non orta eſſe niſi ex pugnis & victoriis potuit, & victoriæ iſtæ uſque ad Iudices, & ipſum Ioſue, hic demum ad exitum uſque ex Ægypto nos reducunt. Spectantes integrum populum ex regno hoc egredientem cauſſam requirimus; & intellecto, ibidem alienigenam fuiſſe, quærimus, quomodo ingreſſus fuerit. Duodecim Patriarchæ tum ſe offerunt, & natio omnis, quæ nunquam non inſtar unius familiæ ſe ſpectavit ipſa, ad unum ſtipitem, Abrahamum videlicet, continua ſerie ſe ipſam refert. Siquod factum vel unicum ex præcipuis, quæ in Pentateucho continentur, ex illo demas, ne ſubſiſtere iam libri pſalmorum, non ante Davidis tempora conſcripti, poterunt; quippe in quibus ferme illa omnia recurrunt. Omnis religio, omnis Politia Iudæorum, legi Moſaicæ non magis quam Geneſis hiſtoriæ acquieſcit. Quid circumciſio, quid tabernaculorum feſtum, quid paſcha, & tot alii dies feſti Iudæorum ſibi volunt; quid abſtinentia a nervo pedis animalium, a ſanguine, & ſuffocato, quid tot aliæ cærimoniæ innumeræ ſignificant; ſi prodigia illa in Pentateucho relata inficiemur? Si rurſum populus iſte magis ſapere minusque idololatriæ deditus ſub alterius templi ætatem videtur, eſt is effectus naturalis caſtigationis tam rigidæ, quam in captivitate diuturna Babylone ſubierat; quemadmodum

& hoc ipſum ſupplicium ſuperioribus culpis ſibi accerſivit. Si deinceps Monarchia Iudaica in Ariſtocratiam vertitur, malo regimine debilitatam ſtirpis Davidicæ auctoritatem recte iſthoc innuit. Omnis Machabæorum virtus Patrum ſuorum memoria & exemplis animatur, & in malis ultimis nunquam non ſpes populi in promiſſis Abrahamo & ſibimet ipſi per Moiſen factis acquieſcit. Verum omnino eſt, eximium præ omnibus mundi gentibus Iudæorum populum repræſentari ob miraculorum ingentem numerum, quæ ſolus ipſe viderit; ſed nec gens ulla uſquam inveniri poteſt, quæ DEI cognitione tam eximia & perpetua cum eo in comparationem venire queat. Ubi ad Chriſti incunabula in Evangeliis deſcripta accedimus, rurſus omnis Evangeliorum hiſtoria Moiſen cum Prophetis pæne omnibus ſupponit. IESUS Chriſtus Moiſen, Prophetas, & Pſalmorum auctores, ut teſtes divinæ ſuæ miſſionis appellat, ſicque Iudæos convicturus pro fundamento id ponit, quod omnium certiſſimum inter ipſos habebatur. Ad eadem monumenta Apoſtoli in Actis, in Epiſtolis, & ſcriptis ſuis omnibus appellant. Negari itaque non poteſt omnino, vetus teſtamentum ſaltem diu ante quam novum ſcripto exaratum apud Iudæos fuiſſe. Iam non eſt hic novo Eſdræ alicui locus ſuper, qui perſuaſerit Iudæis, ut vel invenirent de novo, aut corrumperent exaratos antiquitus libros & exempla omnia Scripturarum ſuarum, eo duntaxat fine, ut Chriſtianis, quos omni odio averſantes exſcindere penitus exoptabant, tam opportune ad comprobandam IESU Chriſti divinam miſſionem & Divinitatem ipſam ſervirent. Quodſi enim verum Evangelium eſt, etiam Scripturas Iudaicas, quibus tanto ante Evangelii acta pæne omnia ex ve-

Digitized by Google

ro prænuntiata ſunt, veras eſſe atque divinitus ſcriptas neceſſe eſt. Viciſſim ſi veteres illæ Scripturæ authenticæ ſunt, ſi divinitus edita vaticinia, quibus ubique ſcatent, IESUS Chriſtus verus Meſſias divinitus promiſſus ut ſit, rurſum ex æquo neceſſe eſt; quippe in quo impleta adiuncta omnia, de vero Meſſia in illis libris prædicta. Iam autem quod veritatis, imo divinæ prorſus originis, indicium luculentius eſſe poteſt, hac utriusque teſtamenti Scripturarum & factorum conſenſione? Ullane hic fraus, ullane artium ſubdolarum conſenſio in ſcriptoribus tam diſſitis habere locum poteſt? Commune amborum omne inſtitutum & propoſitum eſt, idem omnino finis, quo intendunt. Ipſa lex Moiſis & IESU Chriſti mira ſe invicem conſenſione ſtabiliunt: illa viam præparat perfectioni, quam altera manifeſto infert: prior fundamenta iacit, altera ædificium abſolvit; verbo: una prædicit, quod implet perfecte altera. Sic demum tempora omnia inde a mundi principio ad finem uſque uniuntur inter ſe invicem, & conſilium quoddam æternum divinæ Providentiæ claro lumine ſeſe manifeſtat. Hiſtoria populi Iudaici & gentis Chriſtianæ non niſi continuum eiusdem religionis nexum progreſſumque exhibent, & utriusque teſtamenti Scripturæ, in unum idemque corpus veluti unius religionis coaleſcunt.

* Adde his ætatem Pentateuchi, qua is omnem profanæ hiſtoriæ conſcriptæ Epocham longiſſime antecedit. De antiquitate hac ex inſtituto tractat Euſebius Præp. Ev. l. X. c. 3. Certe Homerus, qui poſt Moiſen antiquiſſimus eſt omnium *ſcriptorum*, quorum memoria extat, ſecundum Petavium (Ration. Temp. P. I. l. I. cap. 12.) Salomone inter Iudæos regnante lucem aſpexit; cui ex eiusdem

Digitized by Google

opinione Heſiodus ſuppar ætate fuit, quem tamen alii longe recentiorem faciunt. Herodotus, quem alii Hiſtoricorum (ſicuti Poëtarum Homerum) antiquiſſimum æſtimant, ſcribere incepit ea circiter ætate, qua Eſdras & Nehemias ultimam partem ſacræ Hebræorum hiſtoriæ abſolverent. Porro a Moiſis obitu ad Salomonem uſque annos 476. & totidem ferme ad hoc uſque ad captivitatis Babylonicæ exitum, hoc eſt, univerſe a Moiſe uſque ad Herodoti ætatem ultra 950. annos, Petavius numerat loc. cit. P. II. l. II. cap. 1. Sic ergo ultimi hiſtoriæ ſacræ hiſtorici cum primis græcæ hiſtoriæ ſcriptoribus ferme concurrunt.

* * Adde & ſummam religionem, qua ſacros libros ſuos, quibus religionis dogmata & œconomia omnis continebantur, Iudæi præ nationibus omnibus religioſius conſervarunt. Philo ipſe Iudæus apud Euſeb. in Præp. Evang. lib. VII. c. 2. *mirabile omnino eſſe*, affirmat, *duobus annorum millibus, imo maiore tempore tam fere tranſacto, nec verbum unum in lege Moiſis eſſe mutatum, centiesque unumquemque Iudæorum moriturum, quam legi moſaicæ derogaturum.* Certe libri, qui apud Ægyptios divini appellabantur, pridem ita deperditi fuere, ut vix ac ne vix quidem obſcura eorum memoria ſuperſit. Libri ſacri Romanorum, quibus religionis ſacra Numa Pompilius conſignaverat, Romanorum ipſorum manibus periere, iuſſuque ipſius ſenatus, ceu religioni ipſimet pernitioſi, combuſti ſunt. Tit. Liv. lib. 40. c. 29. Varro lib. de cultu Deorum apud S. Aug. de civit. l. 7. cap. 34. Iidem Romani permiſere ultro, ut interirent quoque libri Sybillini, quos tamdiu pro vaticiniis venerati fuerant, & in quibus reperiri volebant univerſum immortalium Deorum ſuper ipſorum reipublicæ fatis futuris conſilium: quin tamen vel ſemel unum ſaltem eorum volumen, imo vel unum etiam ex eis oraculum, publice monſtrarint. Soli Iudæi tanto magis ſacras ſcripturas ſuas coluere, quo magis publice

bliſce propoſitas habebant. Soli conſervarunt ex cunctis populis monumenta prima religionis ſuæ; tametſi ſuæ ac maiorum ſuorum infidelitatis teſtimoniis ſcaterent. Atque is ipſe demum populus hodiedum non alio magis fine extare videtur, quam ut prodigia & vaticinia, quæ DEUS in ipſius gratiam pro ſua gloria patravit, una cum omni ſuæ religionis hiſtoria comportet ad gentes omnes, inter quas miſere diſperſus dura ſub ſervitute perpetuo ingemiſcit.

* * * Sed locus denique etiam Theiſtarum argumentis aliquis præbendus eſt; queis Pentateuchi ceterorumque librorum, qui apud Iudæos Canonici habebantur, fidem authenticam impugnare communius ſolent. Sed quid opponent denique traditioni gentis univerſæ, per tria annorum millia unanimiter & conſtanter aſſertæ, & ipſo rerum nexu atque indole mirifice conteſtatæ? Nihil urgens, nihil ſolidum, aut momenti cuiuscunque. Minutias ſuper numeris, locis, & nominibus, atque animadverſiones eiusmodi, quæ in omni alio argumento pro inutilibus argutiis haberentur, ad rei caput nulla uſquam ratione attinentibus, hic nobis obiiciunt veluti totidem argumenta decretoria, quibus negotium omnium, quotquot fuere, graviſſimum decidatur. Specimina quædam eorum, quæ præcipui ponderis habentur, docebunt, quanti cetera æſtimare oporteat.

§. 311.

Aiunt itaque Imo. (& hoc omnium obiectionum veluti caput, & arietem validiſſimum ſcilicet opponunt) apertiſſima fraudis veſtigia in multis additamentis, & fruſtis veluti, Scripturæ paſſim aſſutis, deprehendi. Nunquid enim Moiſes ipſe mortis ſuæ modum etiam poſt fata ſua in Deuteronomii fine adſcripſerit? Quo pacto Moiſes Gen. XII. 6. ait: *Chananæus autem tunc erat* in

in terra, id eſt, Abrahami ætate? An non & Moiſe vivo Chananæi Palæſtinam quoque tenebant? Vides, ut poſt addita hæc primum fuiſſe apertum eſt? Num. XXI. 14. totum illud fragmentum ex libro bellorum Domini alterius plane a Moiſe auctoris eſt; quemadmodum & de initio Deuteronomii videtur. Alias crebro locorum, *trans Iordanem* ſitus (ut Deut. I. & III. 8. & XI. 30.) tam accurate deſignatur, quam non niſi ab auctore cis amnem degente fieri poterat. Nunc urbium nomina, quæ poſt primum eis ſunt indita, iam a Moiſe accurate recenſentur, uti Numer. XXXII. 41. & Deut. III. 14. Tacemus plura ſimilia, quæ tum in Moiſis, tum in aliorum Prophetarum Iudaicorum libris identidem occurrunt.

Reſponſ. In his vero tu, mi Theiſta, aperta fraudis veſtigia perſequi tibi videris? Atqui ego aio omnino, hæc ipſa ſinceriſſimæ fidei nobis ambobus eſſe argumenta debere. Putan' tu enim, ſiquis dolo malo opus illud ſub Moiſis nomine obtrudere voluiſſet, futurum fuiſſe eum tam incautum, ut ea, quæ poſt Moiſen primum fatis functum contigere, operi ſuo inferens, fraudem ſuam palpabilem manibus offerret? Qui tantum valuit ingenio, ut Pentateuchum procuderet; num is homo tibi bardus adeo, & tam craſſi erroris capax demum videbitur? Præterea quod totum hoc bona fide, & publice, imo & auctoritate publica actum fuerit, quidquid additionibus iſtis eſt actum, ex eo facile evincitur gemino argumento: *primum* quod ſimiles additionibus in cunctis fere reliquis Scripturæ libris occurrant; quod omnibus exemplaribus communes fuerint, imo quod eædem omnes in Samaritano etiam textu Pentateuchi, quæ in vulgari Hebraico, reperiantur. Quod indicium

dicium eſt certum, non primum ab Eſdra aliquo, vel alio poſteriore, ſed ſaltem a tali auctore factas fuiſſe, qui ſchiſmate decem tribuum antiquior fuerit, & probabilius ab ipſo Ioſue: *deinde* quod omnes iſtæ additiones non aliud ſint, quam animadverſiones quædam, vel declarationes, quibus, quod alioquin obſcurum in textu Moiſis videri poterat, apertius declaratur. Age enim, vel unam legem vel unum dogma, aut cærimoniam additam, vel additione alteratam, vel unum affictum miraculum aut vaticinium uſpiam oſtende, ſi potes, in tota Hebræorum Scriptura. Nempe hoc fuiſſet addere aliquid ad opus ipſius DEI, quod Deut. IV. 2. & XII. 12. graviſſime prohibetur, nec ſine peſſimo exemplo fieri in populo tam religioſo poterat. Ioſue itaque, vel alius, qui Moiſis hiſtoriam continuavit (nota, non Pentateuchum ſolum, ſed tota Biblia continua ſerie apud Iudæos ſcribi ſolita fuiſſe, & diviſionem illius in quinque libros præciſe arbitrio poſt factam eſſe) Ioſue, inquam, aut Samuel, ceteris a Moiſe geſtis vitæ ipſius exitum ſi addiderit; mox impoſtoris egregii a te convitium merebitur? Alius, qui cæptam forte Genealogiam continuarit longius, qui nomen urbis poſtea decurſu temporis commutatum explicarit, qui geographica quædam loci adiuncta declararit, vel talia in vetuſto item codice legi adnotarit, additione ad libri marginem adnotata; & rurſus alii, qui exempla talia ſæpius deſcribentes notam ex margine in textum ipſum inſeruerint, ſive ignoratione, ſive bona fide credentes, res publice compertas textus integritati officere haud poſſe: hoc, inquam, facto, omnes iſti mox gravis doli cuiusdam rei tibi erunt, & continuo inde omnem cadere librorum fidem ſcilicet affirmabis. Nec quidquam contra ſuſpicionem iſtam omnis

tot

Digitized by Google

tot ſeculorum auctoritas & fides publica totius nationis iam proficiet: quaſi vero non ex adverſo propalam appareret, has ipſas adnotationes, quas pleno ore oggeris, novum argumentum eſſe ſinceritatis & fidei integerrimæ, non ſolum in eis, qui eas primi adſcripſere, ſed amplius adhuc in illis, qui tranſcripſere. Unquamne criſis tam iniqua ullum alium in librum lata eſt? Sed hoc inde fit nimirum, quod Pentateuchus, & ceteri Hebræorum libri ſacri, ſcriptum quoddam humano generi inimicum ſit: quod homines ſubiicere ſeſe DEI ſpiritui loquenti iubeat, pravasque ſuas affectiones ad eius imperium inflectere: atque idcirco exſcindi illud, modisque omnibus ſacrificari libertati ac licentiæ hominum oportet.

§. 312.

Aiunt IIdo, variare inter ſe textus antiquarum verſionum, & textum, qui originalis habetur, & multis quidem in locis, D. Clericus in Pentateuch. indice 2. accurate adnotavit locos, in quibus Samaritanus ab Hebraico recedit, eosque ſat multos. Longe maior diſcordia inter verſionem ſeptuaginta & Hebraicum paſſim notatur.

Reſponſ. Et quid inferet hinc Theiſta? quod Eſdras, aut alius quiscunque fraude procuderit Pentateuchum, & Moiſi ſuppoſuerit? Atqui contraria omnia ex hoc ipſo concludi oportere manifeſtum eſt. Samaritani iure accuſantur, quod Deut. XXVII. 4. nomini montis *Hebal*, montem *Garizim*, in favorem templi ſui, dolo ſubſtituerint. At id ipſum iuxta atque ceteræ illius textus variationes, apertiſſime evincit, illorum textum nunquam ad Iudaicum, velut ad regulam, ſcrupuloſius poſt ſchiſma decem tribuum exactum,

Digitized by Google

multoque minus colluſione mutua utrumque corruptum fuiſſe. Tantum Samaritani ab hoc aberant ſcilicet, ut potius Iudæorum, & nominatim ipſius Eſdræ, æmulatione atque odio inducti, & ex averſione tam erga primum quam ſecundum Iudæorum templum, fabulam illam templi ſui in monte *Garizim* excogitarint. Quanto magis itaque Iudæos fraudis illius palpabilis acerrime incuſaſſent, ſi reipſa contigiſſet. Rebelles iſti ſchiſmatici, qui Eſdram cum Prophetis Iudæorum omnibus contemtim deſpexere una cum templo ſuo, & Salomone iſtius architecto iuxta atque Davide, qui illud deſignaverat; quid demum in eorundem Pentateucho adhuc reveriti ſunt, niſi antiquitatem ſuperiorem non Eſdra ſolum & Prophetis omnibus, ſed etiam Salomone & Davide, verbo, auctoritatem Moiſis ipſius, quem ambo populi pro legislatore venerabantur? Vide ſis, ut auctoritas Moiſis iuxta atque Pentateuchi vel ipſis ex adverſis in ſpeciem argumentis amplius firmetur.

At, *inquies;* unde demum variationes iſtæ textus atque verſionum? Dubitas? Haud dubie ab ipſa antiquitate librorum, qui tranſiere per tot deſcribentium manus inde a tot ſeculis, ut lingua hebraica, in qua ſcripti fuerant, denique ceſſaverit eſſe communis, & in Syriacam abierit, imo & Samaritana ſcribendi ratio (olim civilis apud Iudæos §. 306.) omnino defecerit. Exemplum aliud unum dabo in variatione trium textuum hebraici, Samaritani, & Græci, magis celebre. Variant inter ſe maxime hebraicus & Græcus verſionis Septuaginta Interpretum Geneſis cap. V. & XI. circa numeros & annos ætatis Patriarcharum ante & poſt diluvium, qua illi filios eos genuere, per quos Abrahami

brahami genealogia texitur. Græcus fere ſingulis Patriarchis ultra eum annorum numerum, qui in hebraico eisdem tribuitur, centenarium integrum addit (Vide Petavium in Ration. Temp. P.II. l. I. cap. 1. & 2.). Samaritanus olim quoad Caput V. Geneſis circa ætates Patriarcharum ante diluvium filios generantium tempore Origenis & S. Hieronymi (vide S. Hieron. in Quæſt. in Geneſ. & Hexaplas Origenis a Montfaucon editas pag. 23.) cum hebraico conſentiebat, nominatim quoad ætatem Mathuſalem & Lamech, in quibus variatio hebraici & græci ſpecialis intervenit. At hodie etiam Samaritanus variat in eo ipſo capite. Contra idem Samaritanus olim & nunc quoad Caput XI. Geneſis & ætates easdem Patriarcharum poſt diluvium cum græco conſentit contra hebraicum, ſic, ut huius ab illis diſcrimen 880. annos ad Abrahamum uſque importet. Præterea anguſtiæ temporis in hebraico textu nimis contracti obſunt ordinandis omnibus illis ſucceſſionibus regnorum & factorum, quæ intra id intervallum a diluvio uſque ad Abrahamum eveniſſe in hiſtoria regni præſertim Aſſyriæ ſupponuntur. Altera præſertim ratio hæc multos Chronologos movit, ut cum noſtro P. Tournemine aſſumerent, Samaritanum & Græcum textum poſt diluvium cap. XI. ſequendum, & in hebraico quoad ætatem Patriarcharum filios generantium poſt Semum ſemper annos centum ſubintelligendos eſſe, ita, ut, quemadmodum in Semo tantum biennium commemoratur ultra centum annos computandum, poſt quod ipſe Arphaxad genuerit, ſic & in reliquis tantum numerus is annorum exhibeatur, quos ultra centum habebant, dum filium illum nominatum gignerent. Hunc ſenſum hebraici textus cum Interpretes ſeptuaginta (vel quoscunque huius verſionis

aucto-

auctores velis) ex antiqua traditione Samaritana & textu Pentateuchi civili (§. 306.) compertum habuerint, potuere illos centum annos aperte addere, imo ex errore ſupponere, etiam ante diluvium totidem ſemper addendos eſſe. Porro ſimilia variationum æque difficulter explicabilium exempla ſæpe occurrere in his textibus ultro fateor; ſed & ſemper ſimilis argumenti, ad rei caput & hiſtoriæ ſubſtantiam nihil admodum pertinentis, ea omnia eſſe fidenter affirmo. Quid vero ex his concludes demum? Nunquid fateri tamen cogeris, rem compertam eſſe, quod in cunctis textibus ac verſionibus, inſuperhabitis iſtiusmodi univerſis variationibus eadem tamen ſumma legum, eadem miracula, eadem vaticinia, eadem hiſtoriæ ſeries, idem doctrinæ tenor recurrat? Iam vero fundus iſte Scripturarum, nunquam alteratione aliqua mutatus, nobis abunde ſufficit, ut ab omni fraudis aut ſuppoſitionis ſuſpicione eas agnoſcamus prorſus immunes, isque ſolus id totum conficit, quod ſine variatione conſervare ad DEI Providentiam pertinebat in argumento religionis. Quamquam & illud manifeſtum, nec in ceteris quidem, in quibus alterationes interveniſſe fateri cogimur, uſpiam aliquid ex arbitratu proprio mutatum eſſe, ſed unice ad fidem exemplarium omnia expenſa omni tempore fuiſſe.

§. 313.

Aiunt IIItio. reperiri in Scripturis difficultates inextricabiles circa modum, quo evenire omnia potuerint, quæ in ea ſubinde narrantur: tot commentariis, quæ extant, nondum ſatisfieri intellectui humano potuiſſe.

Reſp.

Digitized by Google

Reſp. Fierine aliter omnino poteſt circa librum & hiſtoriam, cuius ætas tanto intervallo omnem aliam hominum certam memoriam prævertit? Aut, ſi liber ab impoſtore aliquo emiſſus revera eſſet, isne, qui tanto operi ſuo ingenio ſuffeciſſet, a tam noxiis propoſito ſuo narrationibus purgare eum omiſiſſet? Niſi tanta iſtorum librorum religio & publica auctoritas extitiſſet, ut ſacri ab omnibus haberentur; an non pridem animadverſa loca ſuſpicioni obnoxia obducti litura fuiſſent, vel alio quovis modo correcti? Sed quæ demum indoles rurſum eſt Antilogiarum iſtiusmodi, quæ in Hebræorum ſcripturis extant? Tales nimirum ſunt omnes, quales ex antiquitate temporis, ex locorum interea nominibus mutatis, ex epochis factorum atque aliis connexis factis oblivioni traditis, ex genealogiis ignoratis, ex erroribus deſcriptione frequenti in textum ab antiquiſſimo tempore inductis, neceſſitate quadam ineluctabili denique naſcuntur. De cetero tamen nexus ipſe rerum & hiſtoriæ per iſta omnia nuſpiam abrumpitur, ſed tota difficultas nunquam non ad minutias quorumdam levium adiunctorum adhæreſcit. Poſſetne hac ipſa re maius quoddam & luculentius de ipſa antiquitate libri cuiusdam indicium afferri? Sed nihilominus petulantiis Zapatæ illius larvati aures patienter præbeamus, quocum iam ſupra §. 268. num. 5. & §. 273, nobis res aliqua fuit. Non tamen omnibus eius quæſtiunculis reſpondere cum temporis & operæ diſpendio allaborabimus, ſed iis ſolum, quæ ſaltem ſpeciem qualemcunque habére argumenti alicuius videbuntur.

Quærit ergo Zapata *quæſt.* 18. quomodo ſtatua ſalis, in quam uxor Loth Gen. XIX. 26. con-

Digitized by Google

verſa dicitur, pluviam potuerit ſuſtinere? *Reſpondeo*, ex Chemia conſtare de ſale tartari vitriolato, hoc non diſſolvi niſi ab aqua valde calida.

Quærit idem *quæſt.* 21. quare Moiſes cum 600000 bellatoribus, qui armati exierant ex Ægypto (ut Exodi XIII. 18. clare aſſeritur) fugit coram Pharaone, nec potius expugnat totum Ægyptum, morte primogenitorum recente conſternatam? *Reſp.* Quia Iſraëlitæ, licet armati, non tamen erant armis aſſueti, nec bello, ſed oneribus & iugo. Pergit ibidem quærere, quomodo Pharao perſequi Iſraëlem potuit cum ſexcentis curribus ex toto equitatu ſuo: cum in quinta plaga (Exod. IX. 3.) iam omnes equi, aſini, & cameli Ægyptiorum peſte abſumti fuerint. *Reſp.* 1mo peſtis, ut textus habet (*ecce! manus mea erit ſuper agros*, & *ſuper equos*, & *aſinos* &c.) non niſi in animantia, quæ erant in agris, deſævierat. Quid enim ſecus phraſis illa, *manus mea erit ſuper agros?* Certe quinta iſta plaga non in ſterilitate agrorum, ſed præciſe in peſte animalium conſiſtebat: peſtis enim non agros ipſos depaſcitur. Adhuc ergo Ægyptiis reſidua erant animantia, quæ in ſtabulis retenta fuerant. 2. Haud dubie inter ſingulas decem plagas tempus aliquod notabile interceſſit. Quidni ergo Ægyptii ex vicinis regionibus interea reſarcire ex parte animalium iacturam potuerint, equos præſertim; quibus etiam magnopere ſe indigere ad continendos in ſervitute Iſraëlitas intelligebant; qui tanta conſtantia libertati ſuæ imminebant?

Quæſt. 23tia Zapata fatetur ſe Chemiæ imperitum, proin neſcire ſe, utrum Moiſes vitulum aureum vere reduxerit in cinerem. *Reſp.* bene feciſſe Zapatam, quod Chemiæ imperitiam can-

Digitized by Google

dide ſit profeſſus: ſecus certe id genus quæſtione vel nolens ſatis prodidiſſet. Si tamen experimentum rei iſtius capere ipſus velit, legat in Mineralogiæ a me editæ P. I. §§. 85. 125. & 169, & inveniet modum, qui prorſus cum phraſibus ſcripturæ conſentaneus videtur, qui Exodi XXXII. 20. ad actionem illam Moiſis exprimendam adhibentur. *Vitulum combuſſit, & contrivit uſque ad pulverem, quem ſparſit in aquam, & dedit ex eo potum filiis Iſraël*, inquit Scriptura. Praxis hæc eſt, *Amalgama* i. e. pulmentum, ex auro prius lamellato & affuſo mercurio calefacto ope triturationis in mortario ferreo conficitur (vide §. 125. P. I. Mineral.). Tum per eiusdem §. cit. not. Mineral. P. I. additis tribus partibus æqualibus ſulphuris vulgaris *æthiops mineralis* (de quo ibid. §. 85.) trituratione maſſæ ſuper igne paratur, id eſt, pulvis niger, quem chemici æthiopem mineralem vocant. Ex hoc pulvere ſublimatione mercurius cum ſulphure ſpecie cinnabaris ſeparatur, calce auri friabilis in fundo reſidente. Cum hoc auri calce ſi *hepar ſulphuris* (eſt præparatum chemicum ex duabus partibus florum ſulphuris & tribus partibus ſalis tartari inter ſe commixtis) in igne fundatur, maſſaque liquidiſſime ſoluta in aqua excoquatur, inſtar ipſius aquæ fluida erit, & potabilis. Vide §. 169. Mineral. P. I. Porro Moiſen, in aula Ægyptiaca in omni chaldæorum ſcientia eruditum, Chemiæ peritiorem quam Zapatam fuiſſe, non eſt valde exoticum, ut opinor, poſtulatum.

Quæſt. 26. ait, Levit. XI. 6. oblationem leporis prohiberi, *quia ruminat, ſed ungulam non dividit;* at falſum eſſe utrumque. At quomodo hoc falſum? Quia lepus habet ungues plures & aculeatos; haud dubie vult dicere. At quis de ungui-

bus

bus in illo Levitici loco ſermo eſt? An idem eſt ungula, & unguis? Ergo equi ungues habent, & volucres ungulas? Ungula Moiſi eſt baſis pedum oſſea, ſeu inſtar cornu. Rurſus ergo ignorantiam non hebrææ ſolum, ſed & latinæ Grammaticæ imperitiam hac ſaltem ex parte prodit: etſi de cetero integros Satyrici ſalis modios ad res longe religioſiſſimas procaciter irridendas in idiomate ſuo Gallico perpetuo in promtu habeat.

Quærit 27mo loco: quid opus miraculo ad tranſitum Iordanis? qui in maxima ſua latitudine non excedit 45 pedes, & vadis abundat; ut 42000. Ephraimitæ in uno illorum vadorum occiſi teſtantur? *Reſp.* Zarpata Ioſue III. 15. legere poterat illa verba: *Iordanis ripas alvei ſui tempore meſſis impleverat.* Rationem miraculi patrati DEUS ipſe ibid. v. 7. ex parte indicat, ad Ioſue dicens: *hodie incipiam exaltare te coram omni populo, ut ſciant, quod, ſicut cum Moiſe fui, ita & tecum ſim.* Præterea ipſo eo tempore meſſis occupare Palæſtinam neceſſarium Iſraëlitis erat, ut, ceſſante manna, paratum mox victum invenirent. Plura erudite in hanc rem ſcripta hodie inveniret Zapata, ſi viveret, apud Calmetum in dictum Levitici locum. Vixit autem haud dubie noſtra ætate Zapata iſte, etſi ad annum 1629. ſe referri exoptet: quia legit Epiſtolam 2. Principis Radzvilii, in qua illud de 45 pedum latitudine Iordanis ſcribitur.

Quærit loco 38vo. Samſon trecentas vulpes vivas qua dexteritate cepit? Vulpes non niſi regiones ſylvis obſitas amant, inquit, non campeſtres Philiſthæorum. Atqui apud Calmetum rurſus in Iudic. XV. 4. legere potuiſſet peregrinantium plurium teſtimonia, quod turgeant Palæſtinæ arva vul-

 pibus

pibus innumeris, hasque ingenti ſæpe copia ſimul collectas rudera veterum ædificiorum & dumeta obſidere. Eodem loco alia multa eruditiſſime & ſapienter in hanc rem ſcripta legiſſet, quæ exſcribere iſtſtic piget. De maxilla aſini itaque rectius inſtruere ſe ipſum Zapata haud dubie poterit, quam quisquis alius.

Quæſt. 40ma. miratur *primo*, a Saule prælio victos Philiſthæos (I. Reg. XIII. 3. addere potuiſſet & Ammonitas ibid. cap. XI. v. 11.) a quibus tam dira ſervitute premebantur Iſraëlitæ, ut illi his nec gladios, nec lanceas permitterent, uti ibid. cap. XIII. v. 19. innuitur. Miratur *ſecundo*, Saulem I. Reg. XI. 8. trecenta millia educere in aciem in regione modica, quæ ne tot quidem homines nutrire poſſit; ſiquidem Saul tunc non niſi tertiam partem Terræ ſanctæ ad ſummum habuerit ſub poteſtate, illaque regio ſterilis ne hodie quidem viginti incolarum millia enutriat. *Reſp.* Quod ad primum merito ſuſpicari Calinum noſtrum (in loco libri I. Reg. cap. & v. cit.) in Palæſtina id ætatis ferri mineras adhuc aut nullas, aut tam paucas detectas fuiſſe, ut rarus in gente Iudæa ferri, atque adeo & ferreorum armorum uſus adhuc fuerit; cum id genus arma & inſtrumenta a Philiſthæis, gente maritima, & mercimonio maritimo intenta, repetere cogerentur. Non itaque opus videtur fingere, Iudæos tam dira ſervitute preſſos fuiſſe a Philiſthæis, ut eis omni armorum iſtiusmodi uſu interdicerent. Profecto ante pugnam iſtam Saulis (I.Reg.III.3.) cum ſtatione Philiſthæorum Iſraëlitæ ſub regimine Samuelis toto viginti annorum ſpatio (uti I. Reg. VII. 13, apertiſſime aſſeritur) humiliatis Philiſthæis pace perpetua erant fruiti. Quidni ergo de armis eiusmodi li-

Digitized by Google

bere, & citra impedimentum a Philiſthæis timendum, proſpicere ſibi potuiſſent, ſi voluiſſent ipſi, nec aliunde ferri copia defeciſſet. Certe non ab Philiſthæis primum id genus arma ferrea Iſraëlitis erepta fuiſſe, manifeſto patet ex celebri illa victoria Iudic. IV. a Siſara duce Iabimi regis chananæi reportata; de qua cap. V. ſeq. v. 8. aperte ſcribitur, ne unum quidem clypeum, vel haſtam, in quadraginta millibus Iſraëlitarum inventum fuiſſe. Multo veriſimilius eſt ex ferri defectu factum eſſe, ut id ætatis Iſraëlitæ uti familiarius aſſueſcerent arcu & funda; quo armorum genere plurimum valebant; quoque fiebat, ut ceteris ad præliandum armis minus indigerent; quippe quæ non niſi cominus certantibus ſunt uſui. Scitum eſt, inquit Calmet (in I. Reg. III. 19.), qua ratione tribus Beniamin, ope potiſſimum funditorum de Gabaa ſola ſe adverſus univerſum Iſraëlem defenderit; qui *ſiniſtra ut dextera prælianteſ ſic fundis lapides ad certum iaciebant*, *ut capillum quoque poſſent percutere.* Vide Iudic. XX. 15. 16. & 21. Nota quoque eſt pugna Davidis cum Goliath, non niſi funda inſtructi. Similem in modum viri illi fortiſſimi, qui I. Paral. XII. 2. Davidem a Saule fugientem convenere, non niſi ex ſingulari peritia iaculandi, ac torquendi utraque manu fundam, commendantur. Vides itaque, rurſus ſolum defectum iuſtæ eruditionis in cauſſa fuiſſe, ut tantus hoc ex capite Zapatæ noſtro ſcrupulus moveretur. *Quod ad alterum* attinet, mentitur Zapata, cum fingit ex illa tantum regionis Iudææ parte ter centies mille milites ad Saulem loc. cit. confluxiſſe, quæ actu illum iam tunc regem venerabatur: cum ibid. v. 7. aperte dicatur, *ex omnibus terminis Iſraël egreſſos eſſe de toto populo quaſi virum unum.* Prodit vero hac occaſione rurſus inſcitiam

 ſuam

ſuam Zapata noſter; cum de textu LXX. Interpretum ſileat, qui omnino ſeptingenta armatorum millia Sauli ſe obtuliſſe hoc loco memorant. Non tacuiſſet de hoc miſerabilis Theologiæ Candidatus iſte, ſi eruditione in rem ſuam tam proficua non caruiſſet. Quæ de ſterilitate terræ addit, nimis compertum mendacium præſeferunt, quam ut refutari mereantur.

Quæſt. 43. in dubium vocat divitias Davidis & Salomonis, quippe æquantes quinque milliones Ducatorum aureorum; quantas conciliari non poſſe vult cum paupertate regionis, ad quam redacti fuerint Iſraëlitæ ſub Saule; cum ne haberent quidem, quo poſſent acuere ſecures ſuas. At hoc ultimum ſuppoſitum ex paulo ante dictis falſum eſſe conſtat; cum non paupertatis argumentum ferri defectus haberi poſſit. Victoriæ Davidis, quibus omnes finitimas gentes ſpoliavit, & tributarias ſibi fecit, & continua collectio theſauri pro futuro templi ædificio, ſatis evincunt, non exaggerari ultra verum divitias utriusque regis. *Addit*, noſtris tribunis equeſtribus mirabile viſurum, quod Salomon habuerit 400000 equos in regione parva, ubi nunquam equi fuere, nec modo niſi aſini in uſu ſunt. Sed remitto hominem ineruditum rebus in ſacris rurſus ad Calmetum; qui locum iſtum III. Reg. IV. 26. percommode explicat, docens, ex hebraico textu II. Paral. IX. 25. non niſi quatuor mille præſepia legenda eſſe III. Reg. IV. 26. in quorum ſingulis ſi decem equi fuerint curriles, & his duodecies mille equeſtres addantur, numerus equorum Salomonis 52000. maior non erit. Horum equorum magna portio pendebatur Salomoni nomine tributi annui a pluribus gentibus finitimis ipſi tributariis, ut habetur

II. Pa-

II. Paral. IX. 24.: reliqua ex Ægypto petebatur; eoquod illa equorum copia rex ille ſingillatim indigeret in ædificiis ſuis ad aſportandam eorum materiem, tum vero etiam in uſum copiarum.

* Cetera, quæ Zapata iſte præterea opponere habet, mentionem non merentur.

§. 314.

Aiunt IVto. Hiſtoria ſacra, in Canonicis Iudæorum libris contenta, parum concordat cum hiſtoria profana; qualem a græcis & latinis hiſtoricis antiquis conſcriptam accepimus, præſertim circa ſucceſſionem præcipuarum Monarchiarum mundi. Sic vulgo apud hiſtoricos profanos, græcos & latinos, puta apud Herodotum, Diodorum Siculum, Iuſtinum &c. &c., Monarchia Aſſyriæ in perſona Sardanapali Regis finitur, & eidem Monarchia Medorum, atque huic demum Perſiæ Monarchia ſuccedit, nulla amplius mentione facta de omnibus illis Aſſyriæ regibus, qui poſt Sardanapalum adhuc in libris ſacris Hebraicis memorantur, & quibuscum Iudæis tot negotia fuere, puta de Teglathphalaſar, Salmanaſar, Sennacherib, Nabuchodonoſor, aliisque in Scriptura tam celebribus. Atqui non eſt veriſimile, facta tam celebria, quæ in hac de regibus his narrantur, antiquiſſimis Græciæ ſcriptoribus ignota eſſe potuiſſe, aut ab his tacita, qui res Medorum & Perſarum diligenter adeo ſunt perſecuti. Hiſtoria quoque Cyri, Perſarum Monarchiæ fundatoris, longe aliter a Iuſtino hiſtorico veteri, quam a Daniele & Eſdra, enarratur. De antiquiore demum Iudæorum hiſtoria ante captivitatis Babylonicæ tempus altum apud omnes Græcos ſilentium.

 Reſponſ.

Reſponſ. Ut obiectio propoſitum evinceret, probare incumbet Theiſtæ, maiorem profanis illis ſcriptoribus hac in parte auctoritatem tribui quam ſacris hiſtoricis Iudæorum oportere. At hiſtorici Iudæorum omnes rebus & negotiis, quæ ſuæ genti ipſimet cum regibus memoratis Aſſyriis ſibi conterminis interceſſere, coævi, vel certe proxime contemporanei fuere. Contra Herodotus, qui vulgo ex Hiſtoricis Græcorum, antiquiſſimus habetur, dimidio prope ſeculo poſt extinctam a Cyro Monarchiam Aſſyriam, & Mediæ regnum cum Perſico coniunctum, natus primum eſt. Initio enim belli Pelopponeſiaci (teſte Gellio lib. 15. c. 23.) tres & quinquaginta annos Herodotus habebat. Contigit autem bellum iſtud (teſte Thucydide l. 2.) anno primo exeunte Olympiadis LXXXVIImæ Cyrus vero omnium conſenſu in Perſia regnare cæpit anno primo Olympiadis LVtæ, & Babylonem expugnavit anno tertio Olympiadis LXmæ, id eſt, 52. annis ante ortum Herodoti. Sed num ſaltem inter ſe ipſi profani hiſtorici vulgo conſentientes ſunt? Minime gentium. Cum Cyri geſta, minus etiam a ſua ætate remota, recenſent, vix unus alteri concordat, ac ſæpe nec ſibimet ipſi ſinguli ſatis conſtant. Herodotus præter illum modum, quo Cyri acta ipſe refert, tres alios modos eadem narrandi aliis familiares refert, quin uſpiam indicet, num illi, quem ipſe tenet, antiquior magisque probata auctoritas adſtipuletur. Herod. l. 1. c. 95. & c. 214. Xenophon, qui ipſe in Perſia ſub Cyro iuniore, fratre Artaxerxis Mnemonis, bello adverſus hunc geſto auxiliarium græcarum copiarum dux anno quarto Olympiadis XCIVtæ interfuit, ſicque Cyri antiquioris acta ex annalibus Perſiæ, aut ex fama ſaltem in regione eadem publica, diſcendi proximiorem occaſionem nactus

eſt,

eſt, omnium quoque profanorum hiſtoricorum proxime & præ ipſo Herodoto, cum hiſtoriæ Iudaicæ narrationibus hac in parte concordat, ſimulque haud paulo maiorem fidem dux belli tam peritus quam fabuloſus ille Cteſias, homo græcus & plane peregrinus, meretur; quem maior græcorum ſcriptorum pars exſcripſit; ſicuti & Iuſtinus & ceteri latini hiſtorici viciſſim græcos iſtos exſcripſere. Quod porro de tribus primis Monarchiis pars maxima Græcorum auctorum ſcripſere, græcis ipſis, qui maxime ſapuere, ambiguæ admodum fidei eſſe viſum eſt. Plato in Timæo generatim ſub nomine Sacerdotum Ægyptiorum innuit, Græcos profunda rerum antiquarum ignorantia laboraſſe; & Ariſtoteles inter fabuloſos narratores univerſe numerat, qui de Aſſyriis ſcripſere. Hoc inde factum videlicet, quod non niſi multis poſt primum temporibus Græci iſta conſcripſerint, popularium ſuorum curioſitatem antiquis hiſtoriis diſtinere cupientes, nec niſi obſcura monimenta ſecuti, inſuper contenti, quod iſthæc iucundum aliquem in ordinem redegiſſent, parum autem de veritate ſolliciti. Porro certiſſimum eſt, falſo a græcis utriusque regni Aſſyriorum, & Medorum, res inter ſe confundi. Inducunt illi Medos perinde, ac ſi poſt Sardanapalum tota Aſſyriorum Monarchia ad Medos continuo tranſiiſſet, Perſæque viciſſim Medorum ruinis inædificaſſent imperium ſuum. At contra extra dubium eſt ex Herodoti (lib. I. c. 96.) & Xenophontis (Cyraped. V. VI. &c. &c), præſtantiſſimorum ex Græcis, hac in parte conſenſione, inde a Sardanapalo Aſſyrio per Arbacem Medum devicto, & durante deinceps Medorum regno, præpotentes adhuc in Aſſyria reges, totique orienti formidandos, imperaſſe; quorum Cyrus demum Babylone imperium

 extin-

extinxerit. Quodſi ergo de his nihil admodum ut plurimum ceteri græci & latini ſcriptores memorant; id vel græcorum, eloquentiæ id ætatis magis quam hiſtoriæ excolendæ deditorum, ignorantiæ tribuendum, vel iacturæ ſaltem documentorum, quæ exactius & diligentius ab aliis forte conſcripta fuerunt. Certe Herodotus (lib. I. c. 106. 184.) peculiarem de Aſſyriis hiſtoriam promiſerat, qua caremus tamen; ſeu perdita illa, ſeu haud reipſa ſcripta ab illo fuerit, temporis utique iniuria. Non omiſiſſet profecto tam profundi iudicii hiſtoricus de ſecundi Aſſyriorum regni, poſt Sardanapalum a potentiſſimis regibus reſtabiliti, rebus differere accurate; quippe qui de Sennacheribo, ceu Aſſyriæ & Arabiæ rege, actu in libro II. c. 141. hodiedum extante, nominatim meminit. Vide etiam Ioſ. de antiq. l. X. c. 1. Strabo item Auguſto Imperatori coævus ſcriptor (lib. XV. init.) refert, Megaſtenem, veterem auctorem, & Alexandri temporibus vicinum, ſcriptas reliquiſſe celebres expeditiones bellicas Nabuchodonoſoris regis Chaldæorum. Ptolomæus quoque principum, qui magnis imperiis potiti fuerint, catalogum nobis reliquit, in quo legere eſt bene magnum numerum regum Aſſyriorum, qui ignoti Græcis fuere, quosque facile eſt cum hiſtoria Iudaica conciliare. Longum porro eſſet referre ea omnia, quæ referunt de Aſſyriæ non nullis poſterioribus regibus annales Syriaci, Beroſus, Abydenus, Nicolaus Damaſcenus, Diocles, Philoſtratus, quos Ioſephus l. IX. cap. ult. & lib. X. cap. 11. de antiq. citat. Idem in lib. I. contra Appionem, & ex illo quoque Euſebius lib. IX. Præp. Evang., refert pretioſa fragmenta ex his allisque pluribus auctoribus antiquis, tum Græcis, ut ex Theophraſto, Hecatæo Abderita, Plearcho, Megaſtene, Platone, Hellanico, A-

lexan-

Digitized by Google

lexandro Polihiſtore, Eupolemo &c. &c.; tum ex Hieronymo Ægypti, & Beroſo Chaldæorum, & Menandro Phænicum antiquorum hiſtoriæ ſcriptoribus; quorum opera Euſebii ætate adhuc integra extabant; quorumque teſtimonia prorſus conſona ſunt cum iis, quæ in Scripturis ſacris tum de antiquis rebus Iudaicis, tum nominatim de hiſtoria poſteriorum Aſſyriæ regum memorantur. Silentii Græcorum aliorum cauſſam ſupra §. 304. ex Ioſepho lib. I. contra Appionem iam attulimus; quibus iſtud adhuc addere habemus; fieri potuiſſe, ut ante bellum Babylonicum reges Medi victricia arma verſus Græcas colonias in minore Aſia extenderint, eaque ratione celebres apud Græcos facti, opinionem exinde iſtorum mentibus ingeſſerint, illos etiam toti maiori Aſiæ dominari; quoniam alioquin non alios Orientis reges præter illos Græci ab ætate Sardanapali noverant. Tota igitur huius obiectionis vis non niſi ſuper Græcorum ignorantia acquieſcit, quæ ex mutua contradictione ſatis eluceſcit, qua iidem ipſi inter ſe, & maxime cum Herodoto & Xenophonte, colliduntur, qui primæ inter Græcos omnes auctoritatis ſunt. Aliam obſcuritatis, qua in hiſtoria profana res Monarchiæ Aſſyriæ poſteriores involvuntur, cauſſam repetere liceret a pluribus diverſis nominibus, quæ olim ſimul eidem regi indi conſueviſſe aliunde certum eſt; cuius rei in ipſis Scripturæ Iudaicæ libris plura exempla ſuppetunt maxime in libris regum. Dum itaque alio nomine idem rex in profano, alio in ſacra hiſtoria indigitatur, mirum non eſt, obſcuritate iſta ambas hiſtorias inter ſe magnopere collidi. At demum hæc ipſa univerſe maxima ſunt antiquitatis Scripturarum & certiſſima argumenta.

§. 315.

§. 315.

Obiiciunt Vto. infinitatem annorum, ad quos Ægyptii, Phænices, Sinenſes &c. ætatem Regum ſuorum extendunt, multo utique maiorem ea, quæ intervallo illi congruit, quod inter diluvium, aut ipſam mundi creationem & canonicos Iudæorum ſcriptores ultimos intereſt. Addunt his infinitas Chronologiæ difficultates & circa iſtam pugnas hiſtoriæ Hebraicæ cum ſcriptoribus profanis univerſis &c.&c. Quis quadraginta varias methodos computandi tempus hiſtoriæ ſacræ, commentatoribus familiares, inter ſe conciliabit? Sic quærit impudens Zapata.

Reſponſ. De Ægyptiis Herodotus ipſe præciſe affirmat (lib. II. c. 153.) nuſpiam certi aliquid in eorum hiſtoria reperiri ante Pſammetichum, qui annis ante Chriſtum ſexcentis, vel ſeptingentis, in Ægypto imperavit. Diodorus Siculus (l. I. vide & Plinium l. VII. c. 48.) inane Ægyptiorum commentum vocat, quod de diuturnitate regiminis Regum ſuorum (quos DEOS ipſos fuiſſe volebant) iactarent. Alii ſuſpicantur per illorum annos non niſi menſes totidem lunares primum, deinde vero totidem quadrimeſtria lunaria intelligi debere: id quod tamen ſatis veriſimile non eſt. *De Phœnicibus* Herodoti (l. II. c. 44.) teſtimonium habemus, memorantis, ſe Tyri, quæ metropolis Phœnicum erat, vetuſtiſſimum Herculis fanum vidiſſe, quod 2300 ante annis una cum Tyro conditum templi eiusdem ſacerdotes oſtentabant. Cumque annis ante Chriſtum circiter 480 Herodotus floruerit; ſequeretur (ſecundum communem ſententiam, quater mille annos ætatis mundo ab eius incunabulis uſque ad Chriſtum tribuentem) Tyrum 2780. ante Chriſti ortum anno nempe ab orbe condito

dito 1220, i. e. ante diluvium annis 400, conditam fuiſſe. Ecce tibi univerſam auctoritatem vetuſtatis Phœnicum & Tyriorum. Nulla uſpiam ſeu olim extitiſſe leguntur, ſeu hodie extant, alia probatæ utcunque fidei monumenta tam antiqui ævi Tyriorum, aut Phœnicum. Dius, Menander, & Sanchoniato, aliique Phœnicum hiſtoriæ ſcriptores, quorum ſcripta iam periere, in fragmentis ſuis, quæ apud Euſebium hinc inde extant, nihil certi de illo meminere. Iam vero una Tyriorum illorum Sacerdotum oſtentatio vanum profecto argumentum eſt; ubi tam certa alia ſuppetunt argumenta neglectæ vix non penitus apud omnes gentes accuratæ chronologiæ, imo & ipſius veritatis, in ſuis hiſtoriis primitivis, quas undique fabulis & hieroglyphicis infarcire ſolebant. *Sinæ* quoque præ aliis gentibus antiquitatem ſuam oſtentant, iactant monumenta ab auctoribus coævis conſcripta; quin teſte Martinio Martini e Societate noſtra (In Præf. hiſt. Sinicæ ad lectorem) *Scriptoribus ſequentium temporum liceat hiſtoriam priorem corrigere, vel in dubium vocare.* Sed quis de Sinenſium fide, ab omni cum exteris commercio olim, etiam magis quam hodie abhorrentium, ſat certos nos reddat? Si ne indigenis quidem licet fidem antiquorum ſcriptorum ſuorum examinare: quid nobis de illa certi ſtatuere licebit, maxime contra fidem Iudaicarum Scripturarum tam diſtincte conteſtatam? Interim vel ex ipſorum Sinarum ſententia, cum ad Fohi pervenitur, qui annis 2352 ante Chriſti adventum (id eſt, octo ante diluvium, quod anno mundi 1656, & 2344 ante Chriſtum contigit) imperaſſe ſcribitur, nil niſi incertum, vel ambiguum, occurrit. Error exiguus chronologiæ Sinicæ hanc cum communi illa ſententia conciliabit, neque hæc ipſa tam certa eſt, ut ex Scripturis

Iudai-

Iudaicis clariſſime conſequatur. Certe fatetur Philo ipſe Iudæus apud Euſebium in Præp. Evang. l. VIII. c. 2., *ſe non poſſe exquiſitiſſime annorum dicere numerum*, queis lex Moiſis ad ſuam uſque ætatem inviolata ſemper inter populares ſuos duraſſet.

§. 316.

Difficultates chronologicas, & varias chronologiæ definiendæ methodos quod attinet; omnes illæ ex ſequentibus cauſſis naſcuntur; quas doctus Patavius Ration. Temp. P. II. l. II. c. 1. recenſet. *Primo* ex verſionis græcæ ſeptuaginta Interpretum conflictu cum textu hebraico, quo illi mille fere ac quingentis annis amplius ab Adamo ad Abrahami uſque natalem quam iſte numerant. Iam cum ante diluvii tempus in hac numeratione annorum Samaritanus textus hebraico conſentiat; recte illum Græco præferri quis neget? Contra cum poſt diluvium idem Samaritanus contra hebraicum cum Græca verſione concordet; ſimulque ipſa facta, quæ Abrahamum inter & diluvium occurrunt, ac præſertim multorum regnorum illo intervallo facta conſtitutio, plurium annorum intercapedinem poſtulare videantur: nihil vetat, Samaritano & Græco textui in computatione annorum inhærere, & in hebraico vel calami errorem, vel arcanum quemdam ſenſum ſupra §. 312. ſecundum P. Tourneminium explicatum, ſupponere. Viciſſim, quibus Iudæorum in ſacras ſuas ſcripturas religio huic ſuſpicioni obſtare nimis videtur, iſti hebraicum textum omni alteri præferendum ſibi eſſe exiſtimant. Ecce tibi unam diverſarum computationum originem! an totum iſtud quantumcunque eſt, ſuſpectam reddere hiſtoriam, tot ceteroquin tamque certis argumentis conteſtatam, dubio ulli prudenti exponere poteſt?

Secundo

Digitized by Google

Secundo naſcitur chronologiæ ſacræ varietas ex obſcuritate omnibus tribus textibus communi circa illud tempus, quod ab exitu Iudæorum ex Ægypto ad Davidem, vel Salomonem extenditur. Nam Iudicum anni hanc inextricabilem difficultatem continent, quod *anni captivitatum & Anarchiarum*, quæ inter plures Iudices intererant, *veluti ſpatia mortua & infauſta in cenſum temporis politici non veniant;* ut Iſaacus Voſſius Can. Chronol. p. 236. ait. Inde rurſus multiplex chronologorum varietas; dum alii utraque illa tempora captivitatum ſcilicet & Anarchiarum, percenſeant, alii utraque amittant, alii rurſus unum tantum, non item alterum computent: inter quorum poſtremos ipſe Ioſephus Iudæus quidem captivitates, non item Anarchias, connumerat. Quæ hinc rurſus ad ipſius hiſtoriæ falſitatem argumentandi prudens ratio ſuppetit?

Tertio. Cum in Scriptura ſacra annorum aliqua ſumma refertur, ut cum vixiſſe, vel regnaſſe quiſpiam tot annos dicitur, exploratum neutiquam eſt, an rotundum conſectata numerum, menſes ultra eum reſiduos neglexerit, an paucos deficientes contemſerit. Ex hoc inſuper anſam non nulli Chronologi ſumſere amplius quid etiam ſubinde liberalitatis eiusmodi ſuſpicandi: ut cum S. Auguſtinus lib. 15. de Civit. cap. 24. etſi ex Geneſi aperte colligatur, Noëmum quingentos annos natum fuiſſe, quando arcam moliri iuſſus eſt, nihilominus revera quadringentos & octoginta duntaxat egiſſe putat: *quos more,* inquit, *ſuo Scriptura quingentos vocat; nomine totius maximam partem plerumque ſignificans.* Interim coniectura hæc iuſto utique longius producta chronologorum quidem, at non ſcripturæ ipſius errorem, utpote minime neceſſaria, infert.

ſert. Illa tamen imperfecta reipſa annos non plenos computandi ratio multiplicem rurſus chronologiæ varietatem induxit.

Quarto. Similis imperfecta annorum computatio, quibus Iſraëlis & Iudæ reges regnarunt, præſertim in annos illos 474, qui haud plures inter fundatum a Salomone templum & acquiſitum a Cyro Babylonis regnum præciſe intereſſe cenſeri poſſunt, inexplicabiles difficultates, atque adeo & maxime varios chronologorum calculos, inducunt. Cui & illud accedit, quod fortaſſe filii regum ſucceſſores a vivis adhuc parentibus in regni conſortium fuere adhibiti, aut annorum ſingulorum, quæ cuiusque regis regimini in libris Regum & Paralipomenon aſſignantur, initia non ab eo menſe, dieve, quo reges renuntiati ſunt, ſed a populari initio ducantur, aut denique ab inſigni quadam Epocha quorumdam intervalla procedant: ex quibus quid cuique loco maxime congruat, ſane difficile erit coniectura aſſequi. Vide Petav. loc. cit. item ibid. c. 11.

Hem tibi candide expoſitas præcipuas tot variationum chronologiæ cauſſas! At quid demum ex his omnibus exſculpes? Quod chronologiæ incurii ſane fuerint Hebraici illi ſcriptores? Fateor, nos eos iſtius ſtudioſiſſimos fuiſſe. Quid vero exinde inferes? Minime profecto, quod falſam hiſtoriam conſcripſerint; minime omnium, quod hac temporum intricatione latebram fraudi ſuæ obſtruere quæſiverint; cum ineptius ad hunc finem fingi nihil omnino poſſit. At num ſaltem profani hiſtorici accuratiore ſtudio chronologiam ſunt proſecuti? Nihil minus. De Chaldæis & Ægyptiis ſatis ex eo patet, quod paulo ante de iſtorum hiſtoriographis

Digitized by Google

graphis eſt allatum. Græci nullam omnino chronologiæ rationem ante tempus Olympiadum habuere, quarum prima cum anno mundi 3228. demum incipit. Sed ne ab iſto quidem tempore græcì ſcriptores pet ſexaginta aut ſeptuaginta priores Olympiades (ut Ill. Newtonus ait opuſc. XXIII. Chronol. vet. emend.) Chronologiam curatius coluere; cum paſſim in optimis etiam illorum hiſtoricis eadem impedimenta chronologica occurrant, quæ de Hebræorum ſcripturis modo commemorata ſunt. Inſignes enim hiſtorias Olympiadum numero deſignantes, quo tamen anno Olympiadis contigerint, ſilentio prætereunt. Communis querela iſta optimos quosque Græcorum hiſtoricos, Herodotum, Thucydidem, Xenophontem &c. tangit. Qui autem fieri potuiſſet, ut Chronologia tum aliarum gentium, tum Græcorum ipſorum, certum aliquid haberet; qui nec pares æqualesque annos, aut ſtata menſura menſuratos, cenſebant, ut de Græcis nominatim ex Cenſorino (de die Natali) ex Plutarcho (in Solone) ex Herodoto (l. I. c. 32. & l. II. c. 4.) ex Strabone (l. XVII.) conſtat. Ceterum in citato Neutoni opuſculo plures cauſſas errorum chronologiæ technicæ apud profanos hiſtoricos præterea invenies; quas ſi attente perpendes, conſenties ſane erudito Calmeto, in Diſſertatione de præſtantia hiſtoriæ Hebraicæ fuſe afferenti, omnes aliarum nationum hiſtorias non niſi ab ea lucem, tum circa gentium origines, tum circa chronologiæ magis iuſtas rationes acquirere.

§. 317.

Opponunt VIto. Silentium nimis quam ſuſpectum profanæ totius hiſtoriæ de rebus Iudaicis, quantum vix credibile eſt futurum fuiſſe, præſertim apud Græcos doctiſſimos, & antiquitatum, ut vi-

detur, maxime omnium ſtudioſos, ſi revera tot prodigiis cœleſtibus illuſtrata, atque hoc ipſo per orbem totum neceſſario celebrata, Iudæorum natio fuiſſet.

Reſponſ. Falſum eſt, profanos hiſtoricos de rebus Iudaicis perpetuo ſiluiſſe, contrariumque luculenter Ioſephus Iudæus in lib. I. contra Appionem Grammaticum, Tatianus gente ipſe Aſſyrius in libro contra Ethnicos ſcripto, & ex illis Euſebius in Præp. Evang. lib. IX. cap. 4. pridem probarunt ex ipſis antiquis Ægyptiorum, Chaldæorum, & Phœnicum (id eſt, gentium Iudæis conterminarum) hiſtoricis, & quidem ea ætate, qua ſcriptorum iſtorum opera adhuc extabant, & in omnium manibus verſabantur: etſi ex eo tempore iniuria temporum deperdita iam fuerint. Certe apud Euſebium loc. cit. Beroſus Chaldæus, Hieronymus Ægyptius & Abidenus hiſtoricus, de Noëmi diluvio; de longa Patriarcharum ante diluvium ætate Manetho Ægyptius, Beroſus, & Græci complures; de turri & confuſione linguarum Babylonica Abydenus, Eſtius, Eupolemon, & Alexander; de Abrahamo Beroſus, Hecatæus, Nicolaus Damaſcenus, Eupolemon, Melo; de Iſaaco per illum immolato, & de Iacobo & Eſau, Alexander hiſtoricus vulgo Polyhiſtor dictus; idem quoque de Ioſepho Ægyptiaco, de familiæ Iacobi in Ægyptum adventu, & Moiſis exortu ſcripſit. Theodotus item carmine Iudæorum hiſtoriam concinnaſſe, Atrapanus & Phylon de Ioſepho, Ariſtæus de Iobo ex Eſau orto, Eupolemon de Moiſe & huius miraculis, ac nominatim de mari per virgam iſtius diviſo, aliique multo plures res Iudaicas fuſe tractaſſe leguntur. Secundum Tatianum item (lib. cit. edit. an. 1615. poſt Iuſtin.) Beroſus Chaldæus

dæus bellum Nabuchodonoſoris in Iudæa geſtum, tres hiſtorici Phœnices, Theodatus nempe, Hypſicrates, & Mochus, de amicitia Hiram & Salomonis mentionem ingerunt; hosque reges belli Troiani temporibus vicinos putant. Eupolemon (apud Euſ. l. cit.) de Samuele, de Saule, de Davide, de Salomone & templo per hunc ædificato, de Ieroſolyma, de Arca Iſraëlitica, de vaſis templi huiusque divitiis accurate ſcripſit &c. Græcos quoque alios complures ſcriptores Euſebius eodem libro IX. cap. 1. 2. & 3. citat de hiſtoria Iudaica non pauca tractantes. Vide de his omnibus eruditiſſime tractantem Ill. Huetium in Demonſt. Evang. Prop. II. cap. 2.

Sed denique, *inquiunt*, ſi tot ac tanta de Iudæis in antiquis, hodie iam deperditis, ſcriptoribus olim legebantur; eccur altum de illis apud doctiſſimos Græcorum, qui extant adhuc, ſcriptores ſilentium? *Reſp.* Vide, ne laudem doctrinæ, quæ poſteriore quadam ætate Græcis ante alias gentes debetur, etiam in ſuperiore iam & magis antiquo eorundem ævo præcipites. Nunquid enim vel circa propriæ gentis hiſtoriam paulo antiquiorem præclarior quædam eruditio Græcis ſcriptoribus competebat? Minime vero. Græci ipſi ſcriptores, ut Diodorus Siculus (Bibliot. l. 1. p. 4.) Ephorus Iſocratis auditor, Timæus, in ſuis hiſtoriis chronologicis *Græciæ*, aliique cum Strabone (l. 1.) Varrone (apud Cenſorin. de die Natali c. 21.) & Iulio Africano, *latinis*, fatentur conſenſu unanimi, vetuſtiores Græciæ Scriptores ad unum omnes præ hiſtoria Poëſin adamaſſe, & omnia, quæ de gentis ſuæ antiquitatibus tradidere, ad quamdam fabularum ſpeciem efformaſſe. Unde cum eorum poſteri naturali methodo res geſtas

referre ſtatuerent, omnia coacti ſunt præterire, nec niſi a tempore poſt conſecuto hiſtorias ſuas auſpicari. Varro Romanorum doctiſſimus (loc. cit.) idcirco omnia tempora in tres claſſes diſtribuit, repetitque primam a mundi initio uſque ad diluvium; ſecundam a diluvio uſque ad primam Olympiadem, quæ in annum mundi 3228. incidit; ultimam ab hac prima Olympiade uſque ad ſuam, qua ipſe vixit, ætatem. Primam omnino nulli notam putabat; nec ſane Græci & latini quidquam de ea norant: alteram repellabat fabuloſam; quod, quæcunque græci de hac dixerant, commentis & fabellis infarſerint. Ab Olympiadibus denique ſolum hiſtorias inchoari credebat; a quarum ſane ætate Græcorum hiſtoriæ certiore methodo inſtitui ſint cæptæ. Diodorus Siculus (loc. cit.) fabellas & eventus, quæ Troiano bello præiviſſe ferebantur, ſex libris complexus, non niſi a Troiæ expugnatione hiſtoriam ſuam reapſe exorditur. Ephorus Cumæus ab Heraclidarum in Peloponneſum regreſſu ſcriptis ſuis initium fecit. Iulius Africanus, ſeculi tertii Chriſtiani ſcriptor, ab Ogygis diluvio, hoc eſt, annis 1020 ante primam Olympiadem Chronologiam ſuam inchoavit. Annis etiam 780 ante primam Olympiadem Cecrops Ægyptius Athenarum regnum condidit; ut ex vetuſto admodum ſcripto, a Seldeno in Arundelianis marmoribus edito, conſtat. Exſculpta hæc marmora fuere anno quarto Olympiadis 128væ, id eſt, ſexaginta annis poſt obitum Alexandri magni. Sed etſi certam Græcorum hiſtoriam inde ab his Epochis fateremur, quo demum idcirco nos perventuros putamus? Troiæ expugnatio a Petavio (Ration. Temp. P. II. l. II. c. 10.) conſtituitur ad annum mundi 2800, id eſt, paulo ante, quam Iephte Iſraëlitas iudicaret. Ogygis

gis diluvium ad annum 2188, id eſt, ſub extremam Abrahami ætatem; prima Olympias ad an. 3208, Ozia, ſive Azaria in Iuda regnante. Sed ne credas his omnibus ætatibus uſpiam certi quid de hiſtoria Græciæ occurrere, multo minus de chronologia Græcorum; cum ne Olympiades quidem ante Timæum Siculum ad tempus computandum adhibitæ ſint, qui, poſt Arundeliana marmora anno quarto Olympiadis centeſimæ vigeſimæ octavæ eruta, Olympiade proxima hiſtoriam ſcripſit ad ſua uſque tempora prolatam; in qua Olympiadibus uſus eſt, & comparavit Ephoros, Reges Spartæ, Archontes Athenarum, & Argivas Sacerdotes cum victoribus Olympicis, ita, ut Olympiades, Genealogias, & ſucceſſiones regum, ac Sacerdotum, & poëticas hiſtorias, in continuam ſeriem compingeret, prout acumen ingenii permittebat. Huius hiſtoriæ finem excipit initium hiſtoriæ Polybianæ, quæ ad poſteriora tempora ſe extendit. Paulo poſt Timæum, anno centeſimo primo videlicet ab obitu Alexandri Magni, ſcripſit quoque hiſtoriam Chronologicam Eratoſthenes, & poſt hunc Apollodorus; quos demum ſecuti ſunt omnes ceteri Chronologi. Porro omnes iſti Chronologi græci, technicam chronologiam recens a ſe inventam ipſi adornabant ex ſucceſſione regum, putantes, ſingulorum regum regimina æquipollere totidem hominum generationibus, atque idcirco ſingulis regibus tribuebant triginta quinque, aut quadraginta annos. Atqui oſtendit Newtonus citato ſupra opuſc. XXIII. cap. 1., recenſitis omnium fere notorum regiorum regiminum durationibus, atque inter ſe comparatis, iuxta naturæ curſum ſingulos reges, unum alio penſando, regnum ultra octodecim aut viginti annos non obtinere conſueviſſe, atque adeo re-

gnorum ſuorum antiquitatem a Technicis illis Græcorum Chronologis præter omnem naturæ modum fere ad duplum ſpatium extenſum fuiſſe. En tibi ſpecimen notitiæ græcæ de propriæ ſuæ gentis hiſtoriæ antiquitate! quod pro aliis etiam gentibus & iſtarum chronologia explodenda, ex Neutoni acutiſſimi ipſius ſententia, multum ſane valere debet. Itaque examinatis omnibus, & omnibus Græcorum fabulis iuxta ac hiſtoriis perlectis, ne ortum quidem genuinum gentis iſtius, ſicut nec plurium aliarum, divinare uſquam liceret; niſi antiquiſſimus, & accuratiſſimus idem ac fideliſſimus omnium ſcriptorum, Moiſes in Geneſi cap. 10. nos doceret, Iaphetum Noëmi filium generaſſe præter alios filios Iavan, & Madai, & Thiras, ac porro filios Iavan fuiſſe Eliſa & Tharſis, Chettim, & Dodaim; a quibus diviſæ fuerint inſulæ gentium in regionibus ſuis. Porro a Iavan veriſimillime (uti Calmetus ad citatum Geneſis caput erudite docere contendit) Ionii, Macedones a Chettim, Thraces a Thira, a Tharſi Cilices, Elei ab Eliſa, a Madai Emathii, omnes denique ex Iaphet Noëmi filio exorti ſunt. At memoratu quoque omnino dignæ ſunt rationes ipſæ, quas Ioſephus Iudæus in lib. 1. contra Appionem affert, tantæ illius obſcuritatis & ignorantiæ, quæ in græcorum prima hiſtoria ubique dominatur. *Græciam* nempe, inquit, *non ignoramus ſæpius devaſtatam* (Ogygis nempe diluvio &c.) *rerum geſtarum memoriam amiſiſſe. Ita novo vivendi genere ſæpius inſtituto, a ſe originem rerum incepiſſe putabant. Literas autem poſteriores pæne omnibus acceperunt; a Cadmo enim didiciſſe gloriantur. Nec tamen aut ex templis, aut loco publico ſcripturam ſe habuiſſe dicere audent, quæ id ſignificet. Unde magna quæſtio eſt, utrum Troiani belli temporibus literis uterentur.* Obſervat

ſervat deinde omnes antiquiſſimos Græcorum hiſtoricos inter ſe pugnare, & unum ab alio, Acuſilaum & Heſiodum ab Hellanico, hunc ab Ephoro, iſtum a Timæo, hunc a poſterioribus, Herodotum ab omnibus falſitatis redargui in hiſtoriis etiam poſterioris ævi, quæ a Perſarum in Græciam impetu repetuntur. Huius diſcrepantiæ ex pluribus duas præcipuas affert cauſſas, *primum* nempe, quod nullam curam habuerint, ut publica quadam auctoritate præclara & celebria geſta ſcriberentur: neque enim uſpiam, ne apud Athenienſes quidem, licet omnium maxime induſtrios, publicas ſcripturas in uſu fuiſſe, hisque primas omnium Draconis leges Athenis (labente Olympiade XXXIX.) commendatas eſſe: *deinde* quia non veritatis amore, ſed eloquentiæ oſtentandæ cauſſa, qua unus alterum ſuperare certabant, ſcribendi laborem ſumſerunt. Hæc ſatis eſſe puto, ut, quid de græcorum ſcriptorum veterum fide & eruditione, imo univerſe de omni antiqua profana hiſtoria, ſentiendum ſit, luculenter pateat; quoties illa cum hiſtoria Hebraica in certamen adducitur; quamque inane ſit Theiſtarum argumentum, quod tanta cum exaggeratione ex hoc capite adverſus iſtius integritatem inſtruere ſolent.

§. 318.

COROLLARIUM EVIDENS PRIMI MOMENTI. Hiſtoria antiqua & nova religionis Chriſtianæ, Hebraica nimirum, & Evangelica, argumentis ſine comparatione maioribus eſt conteſtata, quam hiſtoriæ profanæ cuiuscunque generis. Dem. Omnes enim habet veritatis characteres, quæ hiſtoriis profanis quibuscunque conveniunt, & alios inſuper ſibi proprios numerat, nulli profanæ hiſtoriæ

munes. *Primum* ex eo patet, quod æque, ac profanæ hiſtoriæ maxime authenticæ, ab auctoribus non niſi coævis, rerum oculatis teſtibus, aut proxime contemporaneis, & extra omnem ſuſpicionem poſitis, conſcripta ſit; quod res enarratæ omnes ſint publicæ, facta omnibus comperta, cum geſtis, moribus, & legibus, totius nationis arctiſſime connexa, in ſenſus ipſos incurrentia; quod hiſtoriæ ipſæ a talibus auctoribus conſcriptæ, mox, atque editæ ſunt in publicum, communi totius nationis conſenſu & approbatione tanquam prorſus authenticæ ſint receptæ; nec deinceps unquam in dubium apud eam vocatæ, aut in corruptelæ ſuſpicionem tractæ. Hæc profecto notæ ſunt, quæ hiſtoriæ Romanæ a Tito Livio conſcriptæ aliisque ſimilibus, ſummam humanam fidem conciliant; imo quæ vix ulli hiſtoriæ profanæ ſecundum omnes ſui partes ex integro conveniunt. *Alterum* vero inde infertur, quod hiſtoria totius gentis alicujus primam conſtitutionem, leges, politiam, & religionem primitivam, ſcripto coævo, ab omnibus pro ſacro veluti depoſito recepto, conſignatam offerens, illud habeat ſingulare; quod pro eo, ac talis hiſtoria ad omnes atque ſingulos maximopere pertineat; pro eo, ac res illa contentæ nemini ignotæ eſſe poſſint; pro eo demum, atque omnes rebus ſuæ religionis (maxime ſi talis iſta ſit, qualis Iudæorum ac Chriſtianorum) maxime afficiantur; hoc ipſo eiusmodi hiſtoria revera tot teſtes ſpeciales, tot publicos approbatores, eiusdem veritati toto animi aſſenſu ſubſcribentes, numeret; quot in integra tali natione prudentes & non omnino rerum omnium ignari homines cenſentur. Adde iam illud ſingulare ſtudium, quo ante omnes gentes alias religioni ſuæ Iudæi iuxta atque Chriſtiani erant addicti. Ad-

de

Digitized by Google

de ſummam reverentiam, quam ſcriptis religionis ſuæ Canonicis omni tempore habere conſueverunt. Et, niſi iniquiſſimus eſſe iudex obſtinate velis, ſenties profecto, non extare ullam profanam hiſtoriam, quæ auctoritate & certitudine cum Sacris Hebræorum & Chriſtianorum Scripturis venire in comparationem poſſit.

* *Dices* fortaſſe, hæc omnia accommodari ad Alcoranum Mahometis poſſe. *Repono* ego. Et quis de veritate Alcorani eatenus dubitavit unquam, quod ſcriptus is a Mahomete fuerit? Fatearis ergo oportet, æque parum dubitari poſſe, ſcripta hebraica & Chriſtiana reipſa auctores habere eosdem, quorum nominibus inſcribuntur. Et hactenus quidem paritas tenebit. At ubi probandum, eiusdem Mahometem cum Moiſe, Evangeliſtis, & ceteris ſacris Iudæorum & Chriſtianorum ſcriptoribus eſſe fidei, integritatis, ſapientiæ, virtutis; item facta, præſertim prodigioſa, quæ de ſe ipſe refert, fuiſſe publica, fraudis omnis expertia &c., doctrinam ſanam, veriſimilem, honeſtam &c., hic enimvero diſcrimen omnibus veri amantibus, quin fraudes & fallaciæ impoſtoris iſtius, ſeſe ultro prodent.

§. 319.

ADNOTATIO GENERALIS ſuper omnibus hactenus dictis. Dictum mox inde a principio §§. 4. & 5., DEUM ſupremum illum rerum omnium Dominum, mundum hunc atque rationales inprimis creaturas in eo producendo, finem ultimum non alium propoſitum habuiſſe, quam divini nominis ſui gloriam, & harum beatitudinem, in ipſiusmet cognitione clara & perfecto amore unice conſiſtentem. Haud dubie ad hunc finem media illum maxime accommoda adhibuiſſe, prorſus

Digitized by Google

ſus ſupponendum. Inter hæc ipſa media, ceu ſelecta a Gubernatore tam generali ſimul, ac ſapientiſſimo, ſummeque provido, & infinite efficaci, admirabilem regnare ordinem, conſtantem veluti ſymmetriam, atque continuo uniformem quamdam ad eundem propoſitum finem efficaciam oportet, eoque amplius, quo minus ceteroquin humani generis eventuum ſeries, ceu liberi arbitrii incerto ſimul conſilio definienda, & confuſioni, ut videtur, ex præcipiti ac cæca tot adverſantium animi affectionum libidine ſubiecta, ſapientis alicuius regiminis, atque divino conſilio præfixi ordinis capax videtur. Neque enim ullum dubium eſt, quin divino arbitrio arbitrium humanum *quoad actionum ſuarum abſolutum exercitium & exiſtentiam* æque ac reliquarum cauſſarum naturalium effectus, pleniſſime ſit ſubiectum. Quemadmodum ergo in infinita illa cauſſarum naturalium ſerie & in tota illa mundi machina ordo admirabilis innumerabilium cauſſarum & effectuum conſtanter perdurans, & perpetuo collimans ad eundem ſcopum, latentem infinitam ſapientiam, ceu omnium directricem, luculenter prodit: ita multo amplius DEI ſapientiſſima providentia in dirigendis per media aptiſſima liberis hominum voluntatibus modo quodam luculento, conſtanti, & uniformi, inde a mundi principio uſque ad eius finem, prodere ſe debet. Iam vero attende ſis, ut DEI providentia iſta modo prorſus admirabili in omni Chriſtianæ religionis œconomia ſe reipſa manifeſtat. IESUS Chriſtus, DEUS ſimul & homo, primum & generale illud medium divinæ gloriæ & humanæ ſalutis eſt, a DEO ipſo electum; per quem DEUS ſe ipſum maxime glorificaret, & in cuius nomine uno ſalutem illam æternam, ſumme beatam, ac ſupra omnes naturæ vires poſitam homines conſe-

queren-

Digitized by Google

querentur. Promittitur illius adventus mox primis hominibus ab eorundem lapſu. Idem promiſſum Abrahamo, Iſaaco, Iacobo &c. repetitur, cum additamento, quod ex eorum familia ſit naſciturus. Oportebat igitur, ut familia ipſorum ſeparatim ſubſiſteret uſque ad illius adventum. Inde iam illa tam ſingularis DEI cura ſuper tribus iſtis Patriarchis. Hinc Iacobus cum omni familia ſua transfertur in Ægyptum, ut ibi copioſe ſatis multiplicata, par ſit conquirendæ propriæ, pridem a DEO deſtinatæ provinciæ; in qua ſeparata ab omni natione alia, & ab idololatriæ, in totum reliquum genus humanum graſſantis, periculis longius remota, populum DEI veluti peculiarem & ſingulariter electum, & ex integro ipſius culti devotum, conſtituat. Inde tot prodigia patrata in Ægypto, ad eius libertatem extorquendam. Inde fœdus illud tam ſolenniter cum ipſo a DEO initum, totque prodigiis & beneficiis, veluti arctiſſimis vinculis, colligatum. Inde tantus legum numerus, quibus & magis uniretur inter ſe ipſe populus Iudaicus, & ad DEI unius cultum adſtringeretur. Inde tot promiſſa & minæ: inde ſeparatio illa a commercio omnium aliarum gentium, quarum ſingulæ idololatriæ peſte infectæ erant, earum ex commercio & exemplis a tam proclivibus Iudæorum animis alioquin facile contrahenda. Inde diſtributio ipſius regionis Chanaan per tribus & familias, ad harum diſcrimen perpetuo conſervandum. Inde locus unicus divino cultui præfixus, ut invariabilis ille redderetur. Inde Prophetæ, qui exorbitantem a viis Domini populum ad legis ſemitam, ad grandia promiſſa Patribus eorum facta, revocarent. Inſuperhabita extrema populi iſtius pervicacia, DEI providentia eundem ad IESU Chriſti adventum uſque conſervat; qui, ut eo certius

Digitized by Google

tius ab omnibus noſceretur, iteratis per intervalla vaticiniis omnia eius vitæ ac perſonæ adiuncta, tempusque ipſum tam graphice prænuntiat, ut nemo, niſi ſponte obfirmans animum, eum ignorare queat. Peccatis infidelis populi invaleſcentibus, abſtrahi eundem in captivitatem Babylonicam permittit; attamen correctione ſevera quidem, paterna tamen adhibita, diſperſis potiſſimam partem per omnes orientis provincias ceteris tribubus (ut ſcilicet ſacros Scripturarum ſuarum libros, & in his præciſa Meſſiæ vaticinia & apertos Characteres, ad omnes illas gentes perferrent, huiusque adventum omnibus iſtis nuntiarent) ſolam Iudæ tribum reductam in Palæſtinam, circa urbem Ieroſolymam colligit, ex qua ſecundum novum promiſſum Meſſias ille gignendus eſſet. Demum promiſſus ille toties humanæ ſalutis auctor, IESUS Chriſtus, reipſa ex tribu Iuda & familia Davidis natus, venit in mundum, inſignitus omnibus illis characteribus, & eo ipſo tempore, quos omnes Prophetæ ab omni retro memoria prædixerant. Ipſe quoque novis inauditisque prodigiis ſe ipſis DEI filium & Meſſiam eorum Patribus promiſſum probavit. Elegit ex eis diſcipulos; quibus totus mundus veritatis notitiam olim acceptam ferret. Et ecce! fœdus Moſaicum, huic nationi peculiare, mox abrumpitur, ut generali pacto locum faciat, ad quod omnes gentes in Meſſia benedicendæ invitantur. Nationi ipſi Iudaicæ, præſentem Meſſiam & ſalutis auctorem agnoſcere ultima pertinacia renitenti, IESUS Chriſtus ipſe ruinam ultimam peccatorum videlicet menſura iam impleta diſtincte intentat. Ab eo ipſo pæne momento diſtinctio familiarum in ea gente ceſſat, quo nec Meſſiæ diſcernendo, nec ſacris iam antiquitatis proſequendis, earum diſcrimen ſervire poteſt; novo ſacrifi-

cio

cio ſecundum ordinem Melchiſedech iam conſtituto. Ieruſalem, eiusque templum, ubi ſolum ſacrificare permiſſum Iudæis fuerat, a gentibus ex IESU Chriſti prædicto calcantur; Iudæi ipſi patria regione eiecti diſperguntur in univerſum orbem, iam non Scripturas modo ſuas, ſed ipſius hiſtoriæ Meſſiæ teſtimonia ad omnes nationes portaturi, teſtes omni exceptione maiores, & ipſorum Apoſtolorum optimi adiutores. Ecce tibi tria facta palpabilia, & mire inter ſe connexa! expectatio Meſſiæ ob DEI promiſſionem inde ab initio mundi, adventus eiusdem, & reprobatio ac ruina populi Iudaici eodem tempore facta. Sed converſio gentium in tempus adventus Meſſiæ non minus a Prophetis fuerat annuntiata, & ab ipſo IESU Chriſto iterato prædicta. Et vero reipſa eodem tempore, quo antiquus religionis cultus Ieroſolymæ una cum templo deſtruitur, idololatria ex omni parte oppugnatur, genteſque a pluribus annorum millibus oblitæ creatorem ſuum, ex diuturno ſomno pæne ad unum omnes ſimul evigilant. Ex his novus veluti electus DEI populus congregatur, ex Iudæis credentibus ſimul atque gentilibus collectus; qui nullo prorſus moræ intervallo in antiqui electi DEI populi iura ſuccedit; idemque uni viſibili in terris capiti ſubiectus Eccleſiam IESU Chriſti, velut novam Ieruſalem, nunquam interrupta ſimilium capitum ſucceſſione ad noſtra uſque tempora continuat. DEUM immortalem! quicunque in hac continua rerum ſerie ac nexu certum atque uniformem conſiliorum DEI ordinem non animadvertit, queis inde a mundi exordio totum id præparetur, quod ad finem uſque temporum abſolvendum eſt, quoque ſub diverſis ſtatibus, conſtanti ac certo ordine ſibi ſuccedentibus in totius univerſi oculis ſancta quædam hominum ſocietas

Digitized by Google

cietas continuetur, a qua DEUS cultum recipit, quem ipſe arbitrio elegit: quisquis, inquam, præſens Numen in his omnibus non intuetur, is profecto aut iam caret oculis, aut lumine omni deſtitui ſaltem, atque excæcationi propriæ, ceu iuſtiſſimo ſimul ac ſeveriſſimo relinqui ſupplicio promeretur. Hoc ſane charactere, hac eventuum ſerie, hac ſua hiſtoria tota, religio Chriſtiana ſe ab omnibus ceteris religionibus diſtinguit. Sola illa cultum docet, quem DEUS ipſe ſibi inde ab initio mundi pro poteſtate elegit, quemque creaturis ſuis ipſe rationalibus omni tempore præſcripſit. IESU Chriſti Eccleſia omnia mundi ſecula implet. Lex venit ante Evangelium, ut huic viam ſterneret. Succeſſio Patriarcharum & Sacerdotum unam cum ſucceſſione IESU Chriſti huiusque Vicariorum ſeriem continuat. Expectari, venire, agnoſci a poſteritate aliqua ad mundi finem uſque, hic Meſſiæ, quem colimus, character eſt. *IESUS Chriſtus heri & hodie, ipſe & in ſecula.* Hebr. XIII. 8. Facta hæc tam inter ſe connexa, & inſuper primi ordinis miraculis ac vaticiniis firmata, conſignata demum literis publicis a teſtibus coævis, ac libere vulgata eo ipſo tempore, quo evenerunt, hem tibi convincentia totidem argumenta pro omnibus, qui poſteriore deinceps tempore vixere, religionem noſtram haud habere alium auctorem, niſi illum, qui univerſum fundavit orbem, quique manu ſua tenens omnia, ſolus & auſpicari & provehere huc uſque conſilium poterat, quod cuncta ſimul ſecula comprehendit. Sola affectionum noſtrarum perverſio, ſola effuſio in ſenſibilia terræ bona, ſola indomita ſuperbia in cauſſa eſt, quod non ad unum omnes tantæ luci mentis oculos aperiamus. Permittit tot incredulorum pertinaciam ſapiens Numen, ut fideles filii

donum

Digitized by Google

donum fidei noſſe & æſtimare amplius condiſcant; ipſa vero rabies tot religionis noſtræ hoſtium conſervationis eius prodigium illuſtrat magis, & promiſſorum DEI fidelitatem infruſtrabilem. Quid ergo porro increduli expectant noſtri? An ut nova DEUS prodigia accumulet; utque eadem ſic cumulando inutilia hoc ipſo reddat; dum oculi eis perinde atque ſolis curſui ac ceteris naturæ prodigiis aſſueſcunt? Num vero expectamus, ut impii ac obſtinati taceant; ut probi æque ac nefarii commune teſtimonium reddant veritati, ut omnes ſine diſcrimine eam ſuæ pravæ affectioni præferant, & erronea conſcientia, novitatibus ſemper trahi ſolita, ceſſet demum in fraudem homines inducere? At fruſtra ſumus. Non ceſſabunt paleæ bonis granis eſſe coniunctæ, non zizania extirpabuntur; donec veniat dies Domini ille magnus, quo Iudex idem, qui redemtor fuit, impios omnes iudicio eventilabit ſuo, & cunctos ſui nominis hoſtes in perpetuum diſperget.

CONCLUSIO ET SYNOPSIS TOTIUS OPERIS ET EVANGELICÆ DEMONSTRATIONIS ISTIUS.

§. 320.

DEMONSTRAVI 1mo., ſpectata univerſitate hominum, nullum aliud criterium, ſeu modum certo noſcendæ religionis in præſente humanæ condititonis tenuitate & corruptione ſufficere omnino poſſe, niſi revelationem ipſius DEI (§§. 34. 36. 40. 44. 48. 60.); atque adeo, hanc, etſi non omnibus in actu ſecundo ſingillatim a DEO debeatur (§§. 57. 59.) ſed nunquam non verum DEI beneficium ſit (§. 62.), ad quod recipiendum diſ-

ponere

ponere ſe quisque pro ſua virili parte debeat(§.63.); tamen in præſente rerum ſtatu univerſe hominibus moraliter eſſe neceſſariam ad ſufficientem religionis etiam de ſe mere naturalis notitiam acquirendam (§. 48. & §. 60. not.).

Demonstravi 2do., poſſibilem eſſe aliquam *in genere* religionem quoad ſubſtantiam ſupernaturalem (toto capite III.), ſic, ut, quamprimum quis moraliter certus ſit de exiſtentia revelationis divinæ circa dogma quantumvis obſcurum, in quo ſuſcepto maturo examine nulla contradictio ſe prodit, continuo obligetur ad fidem DEO firmiter adhibendam (§§. 81. 86. & ſeqq.).

Demonstravi 3tio., examine quocunque ſapienter inſtituto ſuper religione Chriſtiana *in ſpecie*, etſi plurima in ea occurrant dogmata, religionem mere ſupernaturalem quoad ſubſtantiam ſupponentia, nec ſoli naturali rationi ullo pacto pervia, nullam tamen uſquam vel probabilem contradictionem oſtendi poſſe (cap. IV. toto Artic. V.), ſed potius univerſam illam Chriſtianam religionem præ cunctis aliis, in mundo nunc vel olim exiſtentibus (§. 114.) tum in naturalis religionis dogmatis accurate explanandis ſolam eſſe eximiam (cap. cit. Art. II. toto) tum in ceteris ſuis propriis dogmatis ſupernaturalibus ſumme excellentem, ſublimem, ſanctam, Deoque dignam iuxta, ac homini maximopere utilem, & exoptandam eſſe (ibid. Art. III. & IV.) atque adeo ipſius revelationi rationem poſſibilitatis nullo pacto anticipato veluti præiudicio abiudicari poſſe (§.124.), ſed omnem inquiſitionem ad unam hanc reduci facti quæſtionem: *an revelatio divina Chriſtianæ religionis revera aliqua exiſtat?* (§. 135.) Huius porro demonſtrationes neutiquam geometricas (§. 136.) ſed ſolum

phyſicas

Digitized by Google

phyſicas ex parte, & morales, demonſtrationes exigi prudenter poſſe (§. 137.). Huiusmodi demonſtrationem exiſtentiæ revelationis divinæ pro religione Chriſtiana adornaturus.

Demonstravi 4to. Miracula (i. e. opera & effecta non niſi DEO auctore præter leges naturæ edita §. 152.) & vere poſſibilia eſſe (§. 153.) & certitudine phyſica diſcerni ab omnibus effectis naturalibus, aut præſtigiis poſſe (a §. 175. uſque ad §. 191.): porro miracula, quæ pro Chriſtiana religione, tam veteris, quam novi fœderis, allegantur, vere talia eſſe, nec ulli dubio obnoxia (a §. 194.).

Demonstravi 5to. Prophetiam eſſe notitiam ſoli DEO propriam, nec ulli alteri communem, atque adeo certiſſimum loquentis DEI characterem (§. 204.), eundemque obviis ex ſuis notis facile diſcernendum (§. 205.). Inde a §. 209. oſtendi prophetias, quæ tum pro veteri, tum pro nova Chriſtianæ religionis revelatione, tum vero etiam quæ pro utriusque inter ſe nexu, afferuntur (§§. 218. & ſeqq.), omnibus illis notis prorſus inſigniri: easque prophetias, iuxta atque miracula, reipſa pro Chriſtianæ religionis divina revelatione confirmanda editas fuiſſe oſtendi. (§§. 195. 238.).

Demonstravi quoque 6to. (§. 231. & toto capitis VIti Art. I.), Iudæos omne ſuæ etiam antiquæ, & veræ adhuc, religionis ſubruere fundamentum; niſi in eius univerſa œconomia, & omni ſerie eventuum, præparationem quamdam ad ſublimiorem illam IESU Chriſti religionem, & novum multoque excellentius novi fœderis pactum, iſto mediatore DEUM inter & homines univerſos initum, agnoſcant: ita quidem, ut revelatio Moiſi facta omni ſuo inſtituto vel recta ad eam revelationem collimarit, quæ deinceps divinitus per IESUM

Chriſtum facta eſt; vel ipſa divina omnino non fuerit. A quo abſurdo cum ſeſe expediendi via nulla hodiernis Iudæis ſuperſit; oſtendi, ipſorum religionem, qualis hodie eſt, & prout a IESU Chriſto abhorret, divinam habere originem nullo pacto poſſe.

Demonstravi 7mo., (§. 244. & 245.) nullum uſpiam ſimilem divinæ originis characterem revelationi tertiæ, a Mahomete oſtentatæ, competere; nec ſolum omni veriſimilitudinis ſpecie iſtius religionem carere, quod profecta a DEO ſit; ſed ne proficiſci omnino a DEO potuiſſe: eo quod omni vero miraculo, omni vaticinio, omni cum duabus prioribus divinis religionibus, Moiſis, & IESU Chriſti, nexu, ipſaque demum dogmatum neceſſaria honeſtate & conſenſione careat. His omnibus rite oſtenſis, aliud non ſupererat, quam ut ipſorum miraculorum & prophetiarum, pro religionis Chriſtianæ divina origine pugnantium, poſtquam illorum vere divinam indolem cum certitudine phyſica evici etiam veritatem, i. e. veram exiſtentiam, ceu merum putumque iam factum, & quidem ceu factum pridem præteritum, argumentis moralibus, quæ ſola id genus factis demonſtrandis ſunt propria, demonſtrarem.

Demonstravi ergo 8vo exiſtentiam teſtimoniorum, ab Apoſtolis IESU Chriſti de eius miraculis, & prophetiis, & omni doctrina, ore & ſcriptis editorum, ex conſentientibus atteſtationibus omnium primitivarum Chriſtianarum Eccleſiarum, ab ipſis primitus fundatarum, omniumque ſummorum rectorum, qui eis inde ab ætate Apoſtolica ad noſtra uſque tempora præfuere; qui omnes & teſtimonia illa Apoſtolica ſumma prudentia, attentione, & cautela exceperint, & ſumma cura atque vigilantia, ceu ſacrum depoſitum quoddam, eadem

dem prorſus incorrupta ad nos tranſmiſerint. Cap. VII. Art. I. Demonſtravi item teſtimoniorum illorum Apoſtolicorum ſummam authentiam & veracitatem; i. e. Apoſtolos certitudine phyſica ex oculari inſpectione miraculorum & vaticiniorum IESU Chriſti exiſtentiam ipſos perſpectam habuiſſe; & tam certam eſſe eorundem in iis teſtimoniis reddendis fidem, ut fallere, ſi etiam voluiſſent, non omnino potuerint. Cap. VII. Art. II.

Demonstravi denique 9no. id ipſum de exiſtentia miraculorum & vaticiniorum, pro religione veteri Moſaica, huiusque cum religione IESU Chriſti nexu, pugnantium; videlicet edita de iis a Moſe & Prophetis teſtimonia, velut ab oculatis & ſumme certis ac ſinceris teſtibus, fuiſſe; nec ullo pacto fingi eadem, aut illis teſtibus aliena fraude ſupponi, nec, poſtquam ſemel ab eis reipſa ſincere ſunt edita, ullo pacto deinceps corrumpi potuiſſe. Cap. VIII. Qua ipſa occaſione ex nexu innumerabilium tum prodigiorum, tum vaticiniorum, totiusque hiſtoriæ veteris ac novi teſtamenti, velut ex argumento omnium luculentiſſimo, interveniens certiſſimum DEI conſilium in utraque religione, veteri Moſaica, & nova Chriſtiana, ordinanda clariſſime oſtendi.

His adde, argumenta, ſummo ingenio & improbo ſtudio ab omni Theiſtarum turba ſingulis demonſtrationis iſtius tam complicatæ partibus opponi ſolita, ſingula atque omnia ſic (niſi magnopere fallar) evidenter refutata, omnemque eorum aciem ſic exarmatam eſſe, ut ne probabilis quidem eorum ulli ſpecies relicta fuerit.

* Ex his iam ultro quæſtio hæc enaſcitur: *quisnam gradus certitudinis, aut evidentiæ, huic toti demonſtrationi Evangelicæ, huc uſque propoſitæ, conveniat.* Ad quæſtionem iſtam primo per partes, deinde ſummatim reſpondeo.

Digitized by Google

§. 321.

Poſſibilitas Chriſtianæ religionis ſic certa eſt, ut ſenſus intimi experientia poſt inſtitutum examen maturum evidens ſit, nihil in eius dogmatis repugnantiæ huc uſque oſtenſum eſſe. 2. *Nec ulla maior evidentia ſalva aſſenſus divinæ fidei libertate habere locum poteſt. Primum* patet eſt toto Art. V. Capitis IV. a §. 125. *Alterum* liquet ex eo, quodſi huic evidentiæ negativæ (i. e. neganti oſtenſionem alicuius contradictionis) inſuper poſitiva demonſtratio poſſibilitatis accederet, iam non libera illa ſubmiſſio intellectus locum haberet; quæ uni enti divino ac infinite veraci debetur; & qua tunc etiam eius teſtimonio habetur fides, cum nihil eorum, quæ id atteſtatur, ipſi intelligimus, qua ratione poſſibile ſit. Quotiescunque enim rei poſſibilitas nobis demonſtrata eſt, toties rei eiusdem exiſtentiam atteſtanti etiam mero homini ſine iniuria abiudicare fidem non poſſumus, quem ſcimus æque ſaltem ac nos ipſos rei indolem atque omnem poſſibilitatis modum cum evidentia perſpectum habere. Fides ergo proprie divina, id eſt, homagium illud liberæ ſubmiſſionis intellectus, uni DEO, nec ulli homini debitum, non niſi tunc locum habet; cum de rei teſtatæ poſſibilitate diſtinctam evidentemque cognitionem non habemus.

§. 322.

Miracula pro Chriſtiana religione §§. 191. ſeqq. *allegata, ſi extiterunt reipſa talia, qualia referuntur, cum phyſica certitudine locutionem divinam probant, & Apoſtoli, ceterique omnes, qui ea oculis aſpexere, phyſice certi de miſſione divina IESU Chriſti eiusque Apoſtolorum fuere.* Patet hoc ex §§. 194. 195., & præcipue ex §. 176.

* Dixi, cum *certitudine*, (non cum evidentia) *phyſica*, ob dicta §. 158.

§. 323.

§. 323.

Prophetiæ §§. 209. *ſeqq. pro religione Chriſtiana allegatæ, ſi reipſa ſic editæ & completæ ſunt, prout referuntur, omnino cum evidentia metaphyſica (hypothetica ſcilicet, i. e. ſub hypotheſi dictæ exiſtentiæ ſuæ) demonſtrant locutionem, ſeu revelationem divinam: & qui IESU Chriſti vaticinia a* §. 215. *uſque ad* §. 218. *relata, ipſi auribus ſimul excepere, ſimulque poſt impletas ad amuſſim aſpexere oculis, prout de eius Apoſtolis multisque diſcipulis conſtat, ii omnes partim metaphyſicam evidentiam, partim phyſicam certitudinem habuere, DEUM in IESU Chriſto ſibi locutum eſſe.* Dem. Metaphyſice enim evidens eſt, quod §. 204. demonſtravi; ſcilicet, prophetias vere tales, quales §. 202. not. deſcriptæ ſunt, nec caſu mero effundi, nec edi mero ab homine, aut ullo ab creato ſpiritu, poſſe, ſed uni DEO auctori convenire. Cum ergo prophetiæ IESU Chriſti, & Moiſis ac Prophetarum legis veteris, ibi allegatæ, evidenter veram prophetiæ, & quidem valde compoſitæ, & ex pluribus ſimul adiunctis liberis complicatæ, rationem habeant; ſi revera editæ fuere, ſimulque opere poſt completæ, prout refertur, ſub hac hypotheſi metaphyſice evidens eſt, DEUM in IESU Chriſto, Moiſe, & Prophetis locutum fuiſſe. Iam vero Apoſtoli diſcipulique IESU Chriſti, cum auribus excepere ipſi eius vaticinia, ac poſt impleri oculis videre, ſenſus intimi experientia certi erant, quod abſolute ab illo olim edita, & ſenſuum externorum phyſica certitudine convicti, quod reipſa impleta fuerint. Ergo partim evidentiam metaphyſicam, partim certitudinem phyſicam habuere, DEUM ſibi in Chriſto locutum eſſe.

* Tanta certitudo, cum evidentia mixta, haud dubie libertatem aſſenſus fidei cum merito iſtius minuebat: unde IESUS ipſe Thomæ Apoſtolo Ioan. XX. 29. dixit: *quia vidiſti*

vidiſti me, Thoma! credidiſti: beati, qui non viderunt, & crediderunt. Quaſi diceret: quod credas, me DEUM eſſe, aut divinitus miſſum, poſtquam oculis vidiſti me, ut prædixeram, a mortuis redivivum, multum non eſt, nec magni meriti; eo quod ſcilicet nimis convictus ſic demum fidei aſſenſum mihi præbueris. At qui nondum me redivivum viderunt, & tamen ob ſola miracula a me edita, etiam prædictioni meæ habentes fidem, reſurrecturum me certo credidere, hi beati magis ob maius meritum dicendi ſunt; quia ſalva magis libertate homagium fidei mihi ex ſola certitudine phyſica miraculorum præſtitere: quin magis etiam illos beatos dico, qui neque hac certitudine convicti, ob ſolam moraliter certam exiſtentiam, & miraculorum, & prophetiarum a me editarum, crediderunt. Hæc ipſa haud dubie fuit ratio, cur minus frequenter DEI providentia diſpoſuerit, ut iidem homines & prophetias ſimul primo editas auribus exciperent, & opere completas oculis viderent: cum nimia id genus convictio fidei libertati atque merito obeſſet. Vel certe in ipſo vaticinio obſcuritatis quamdam ſpeciem initio relinquebat, quæ non niſi iam completo eodem deinceps abſtergeretur.

* * Quam igitur male argutus Ioannes Iacobus Rouſſeau eſt, cum ad fidem prophetiis libere & cum merito præbendam requirit, ut quis & ipſe vaticinium præſens editum auribus excipiat, & completum opere ipſe quoque coram oculis poſt intueatur. Quamquam homo ſtolidus, etſi hoc totum ſibi daretur, adhuc dubitaturum ſe profiteatur, an non mero caſu aliquo vaticinium prius editum, idemque deinde ea ipſa ratione eventu conſecutum mere fortuito fuerit. Vide eius Emilium T. III. in profeſſione fidei a Vicario Sabaudo edita pag. 89. Edit. Amſtelod. 1764. Qui caſu effuſas a IESU Chriſto, neſcio quo enthuſiaſmo correpto, (ut idem hic ſtolo in Emilio ſuo T. II. circa pag. 104. effutire non veretur) prophetias illas poteſt ſomniare; næ illius caput non cœleſtium contemplationum, ſed inaniſſimæ arrogantiæ, de proprio ſibi ingenio placentis, vertigine inſanabili agitatur.

§. 324.

De exiſtentia miraculorum & prophetiarum IESU Chriſti, atque adeo de exiſtentia certitudinis phyſicæ revelationis divinæ (§. 322.) *certi hodie ſumus ea ſumma morali certitudine, quam certitudini phyſicæ æquivalere* §. 170.

§. 170. *oſtenſum eſt.* Dem. Certi enim ſumus de exiſtentia atteſtationis Apoſtolicæ ex teſtimoniis innumerabilibus, omnium ſcilicet primitivarum Eccleſiarum, eorumque paſtorum ſeu Epiſcoporum, iisdemque integre conſentientibus (§. 247, & ſeqq. item §. 251) & omni exceptione maioribus (247.). Certi quoque ſumus de incorrupta hodiedum fide illius atteſtationis apoſtolicæ, in Scripturis canonicis conſignatæ, ob conſentiens teſtimonium & perpetuam ſummam vigilantiam omnium Epiſcoporum, qui in ſingulis illis Eccleſiis perpetua ſerie per ſesqui & amplius mille annos ſibi ſucceſſere (§§. 249. 254.). In ipſo modo atteſtandi, ex Scripturis Evangelicis relucente, id genus notas ſinceritatis teſtimoniorum, & certiſſimæ ſcientiæ de rebus atteſtatis habitæ, in Apoſtolis IESU Chriſti deprehendimus; de quibus univerſalis omnium hominum experientia Phyſica, & ſana ratio, ſummo conſenſu docent, ubi ubi illæ notæ in teſtibus pluribus obſervantur, nunquam non veritatem teſtimoniis humanis conſtare (§§. 277. ſeqq.). Ergo ſummus moralis certitudinis gradus, qui phyſicæ certitudini æquivalet (§. 172.), nobis hodiedum de exiſtentia miraculorum & prophetiarum IESU Chriſti, atque adeo etiam de exiſtentia (præterita videlicet) certitudinis phyſicæ factæ per eum divinæ revelationis (§. 322.) hodiedum præſto eſt.

§. 325.

Quoniam porro ſimilia prorſus argumenta, teſtimonia nimirum ſumme conſona integræ nationis, ſimulque ſtudioſiſſimæ rerum ad ſuam religionem pertinentium; quin & gemini populi, Samaritani & Iudaici, inter ſe mutuis odiis ac religione ipſa diviſi, mirabilis conſenſus, tam pro exiſtentia & antiquitate, quam pro incorruptione perpetua, at-

teſtationis Moſaicæ iuxta ac reliquorum Prophetarum legis veteris de miraculis & vaticiniis eorundem publice item editis, pugnant; ſimulque pares ſunt notæ ſcientiæ & fidei iſtorum teſtium iuxta atque Apoſtolorum IESU Chriſti; ut ex §§.304. & ſeqq. abunde patet: idcirco *etiam de exiſtentia olim certitudinis phyſicæ divinæ revelationis in veteri lege, iuxta atque de eiusdem revelationis nexu cum revelatione divina altera per IESUM Chriſtum edita* (quem nexum prophetiæ de Meſſia determinant per §. 230.) *eo ſummo gradu certitudinis moralis certi hodiedum ſumus, qui certitudini phyſicæ per* §. 170. *æquivalet.*

§. 326.

Quoniam porro omnes iſtæ demonſtrationum ſpecies de poſſibilitate & exiſtentia revelationis divinæ, per miracula & vaticinia evictæ, perinde & cum eodem gradu partim phyſicæ, partim, quæ huic æquivalet, ſummæ moralis certitudinis, valent de toto nexu hiſtoriæ totius tum Iudaicæ, tum Evangelicæ, iuxta atque de religione veteri, ac nova revelata, de vaticiniis & miraculis ſingulis æque, ac de omnibus in unum continuatæ divinæ revelationis ſcopum collimantibus; hinc cumulus quidam plurimarum moralium ſummarum certitudinum harmonicarum & ſumme conſpirantium oritur; quarum multæ etiam ſeorſum certitudini phyſicæ proxime accederent; quæque ſingulæ una alteram confirmant, iunctæque ſimul gradum certitudinis multæ maiorem producunt. Sic profecto vetus Iudaica religio etiam ſe ſola, ſic item religio IESU Chriſti etiam ſine prævia illa Iudaica, ſumma morali cum certitudine, phyſicæ mixta, revelata eſſe cognoſcitur. Simul tamen, ob admirabilem plenumque utriusque, etſi complicatiſſimæ, demonſtrationis conſenſum in communem factorum innumerabilium

rabilium per quater mille annos continuatorum nexum, unius demonſtratio a demonſtratione alterius admirabile prorſus robur conſequitur. Quapropter, cum certitudine phyſica in genere certitudinis maior in iſthac vita haud prorſus unquam habeatur; cumque vel una moralis certitudo ad ſummum uſque gradum promota phyſicæ certitudini (id eſt, omnium poſſibilium certitudinum ſummæ) proxime æquivaleat: *ſequitur* profecto, etiam *totius Chriſtianæ religionis revelationem divinam, tot & tam complicatarum demonſtrationum moralium ſumme certarum concurſu ſtabilitam, ipſum gradum phyſicæ certitudinis proxime attingere.*

§. 327.

Revelationis tamen divinæ exiſtentia de religione Chriſtiana evidens omnino idcirco nequaquam eſt. Dem. Ex §§. 158, 166, enim manifeſtum eſt, certitudinem quamcunque moralem, licet ſummam, etſi certitudini phyſicæ proprie æquivaleat, eo quod nempe ex uniformi hominum omnium experientia utraque naſcatur; tamen evidentiæ, nec phyſicæ, nec metaphyſicæ, æquivalere ac æquiparari poſſe: cum quantacunque uniformis experientia vel naturæ legum, vel veracitatis teſtimoniorum, certis adiunctis veſtitorum, nunquam intuitum vel rationum ſufficientium miraculi, vel rationum ſufficientium ipſius veracitatis teſtium, vel ipſius revelationis ſenſum intimum, parere in nobis poſſit.

§. 328.

Religionis Chriſtianæ certitudo tanta eſt, ut vel acutiſſimis & doctiſſimis plene & citra omne prudens dubium convincendis ſufficiat. Probat hoc ipſum examen, ad omnes dialecticæ acutiſſimæ & nequiſſimæ (quæ Theiſtis familiaris eſt) apices a nobis exactum.

* At, infit, argutiſſimus ille Rouſſeau; talis religio, cuius demonſtratio plena ingentem Dialecticæ apparatum, ingenium ſummum, laborem examinis pæne improbum requirit, nec vulgo hominum quadrat, nec tam ſapienter eſt conſtituta, ut DEUM habere auctorem primumque adminiſtrum poſſe videatur. *Vide, amice!* (inquit Tom. III. Emilii pag. 80.) *quam horribili diſcuſſione me videam involutum, quam immenſa eruditione opus habeam, ut regrediar in ultimas antiquitates, ut examinem, ut ponderem, ut comparem inter ſe prophetias, revelationes, facta, omnia monumenta fidei propoſita in cunctis orbis regionibus, ut eorum tempora aſſignem, loca auctores, & occaſiones. Quanta Critices ſubtilitate mihi eſt opus ad diſtinguenda opera authentica ab apocryphis, ad comparandas obiectiones cum reſponſis, verſiones cum originalibus, ad iudicandum de æquabilitate animi in teſtibus, de ipſorum prudenti iudicio & acumine, ut ſciam, an nihil ſuppreſſum, nihil appoſitum, nihil demtum fuerit, nihil transpoſitum, aut immutatum, &c. &c.* Enimvero miſeram conditionem ac laborioſam hominis, nihil magis quam extricare ſe quærentis ab ineluctabili vi argumentorum religionis Chriſtianæ, & a ſumma obligatione credendi divino eius auctori IESU Chriſto! At non is labor eſt, qui omnem piæ & rectæ mentis hominem, ſeu cetera rudem, ſeu etiam utcunque doctum, neceſſario fatiget; antequam de veritate revelationis divinæ circa Chriſtianam religionem iuxta atque de credendi obligatione ſatis certus efficiatur. En tibi facilem brevemque oppoſiti oſtenſionem!

§. 329.

Omnis etiam, ſeu moderate ſapiens ac doctus qualiscunque, ſeu etiam utcunque rudis, ſano tamen iudicio, & rationis uſu pollens, facillime de divinæ revelationis certitudine circa Chriſtianam religionem convinci poteſt. Dem. Quod enim *rationem poſſibilitatis* divinæ revelationis pro religione Chriſtiana attinet, etſi ſublimitatem Chriſtianorum dogmatum omni humano intellectu altiorem quisque facile apprehendat; tamen ſi doctus eſt, eo facilius advertet, nullam veram contradictionem uſpiam obiectari: ſin eſt indoctus, conſenſus innumerabilium ſapientiſſimorum iuxta & piiſſimorum hominum, quem

DEUS

DEUS Chriſtianæ religioni celerrima eius & latiſſima ſimul propagatione omni tempore procuravit, certum illum omnino reddet, nullam dogmatis tam apertam ineſſe contradictionem poſſe, ut Theiſtæ iactant; quæ credita a tot ac tantis viris omni loco atque tempore fuere. Quod vero *ad argumenta exiſtentiæ* revelationis divinæ, ad miracula nempe & prophetias, attinet; eadem certitudine phyſica doctus quisque ac rudis novit, mortuum momento reſuſcitari ſalvis naturæ legibus non poſſe, quam curſum ſolis ipſa ſiſti in meridie, aut ignem admotam ſtipulam non exurere. Neque certitudo iſthæc tollitur, etſi demonſtrare neuter queat, idem abſolute non poſſe per præſtigias diabolicas non fieri (§. 180.): eo quod hoc non ad moralem, vel phyſiam certitudinem, ſed ad evidentiam ſolum requiratur. Et homini quidem rudi ne ſuſpicio iſtius rei incidet. Docto vero, niſi voluntate mala laboret, ſumma inveriſimilitudo §. 179. oſtenſa, abunde ſufficiet. Eadem certitudine vel indoctiſſimus quisque ex ſola experientia uniformi cunctorum hominum perſpectum habet, res futuras, a libero arbitrio pendentes, præciſe ab homine, vel etiam a bono, aut malo angelo, haud prædici poſſe. Omnis ergo difficultas certitudinis ſufficientis acquirendæ ad atteſtationis illius vim pernoſcendam reducitur, qua miraculorum & prophetiarum a IESU Chriſto in ſignum divinæ miſſionis ſuæ editorum exiſtentia comprobatur. Atque hic rurſus non opus erit homini rudi, ac ne docto quidem cuique, omnes ſeveræ Criticæ artes atque ingenii ſubtilitatem inſolitam exſerere. Rudis denuo admirabili illo conſenſu tot Eccleſiarum primitivarum, Apoſtolorum teſtimonium recens ſuſcipientium, tot piiſſimorum iuxta ac ſapientum Epiſcoporum continua ad nos uſque ſerie ſibi ſuccedentium, tot Martyrum, ſangui-

ſanguine ipſo ſubſcribentium veritati, abunde convincetur tum de exiſtentia illius atteſtationis Apoſtolicæ, tum de convenientibus ei reipſa illis veritatis notis, quas a §. 278. retulimus, & quæ ex lectione ipſa Evangelii & Actorum Apoſtolicorum relucent: quin opus ei ſit vel reflectere oculum ad diverſa exemplaria, verſiones, idiomata &c. Doctus etiam quisque, niſi ultro propriæ eruditionis cauſſa hunc ſumere ſibi laborem velit, facile in numero, pietate, ſapientia, vigilantia, & doctrina tot ſummorum Eccleſiæ Paſtorum & Doctorum argumentum inveniet excuſandi ſe ab nimis producto ſimilis examinis labore. Quodſi tamen diffidentiæ alicuius ſe habere cauſſam exiſtimet, rei gravitas, ad æternam ſalutem prorſus pertinentis, utique merebitur, ut eam diligentius examinet. Neque vero reformidat examen hoc ſapientia inſtituti totius Chriſtianæ religionis. Quisquis non male averſo, & unice ad excutiendum moleſtæ veritatis iugum intento animo, accedet, inveniet profecto, IESU Chriſti inimicorum quantascunque argutias non niſi ad oſtendendam magis ſummam iſtius Magiſtri vereque divinam ſapientiam valere; qui maxime omnium noverit religionis a ſe traditæ criteria acutiſſimæ ſimul Dialecticæ, ſimul vero etiam hominum vel maxime rudium tenuitati ingenii conformare.

§. 330.

Non eſt ſperanda ulla ſalus æterna niſi per IESUM Chriſtum & Religionis, quam ipſe docuit, exercitium. Dem. Demonſtrata enim eſt ex parte una religionis & miſſionis IESU Chriſti divinitas; ex altera parte tota doctrinæ eius ſumma eo collimat, ut certos faciat homines univerſos, non velle DEUM cultu mere naturali ab hominibus coli, ſed altiore per IESUM

Digitized by Google

IESUM Chriſtum conſtituto; cuius initium fide firma de ipſo ceu altioris ſalutis auctore faciendum eſt (§§. 121. 122.). Pariter Chriſtianæ doctrinæ ſumma eſt, nolle DEUM ad aliam beatitatem, niſi ad ſupernaturalem illam, quæ in ipſius æterna fruitione & intima amicitia repoſita, & cuius per IESUM Chriſtum nobis ius primum conquiſitum eſt, nos omnes homines ope noſtrorum meritorum diſponere, ac promovere. Quam certa ergo chriſtianæ religionis divina revelatio eſt, tam quoque certum eſt, non eſſe in alio aliquo nomine ſalutem aliquam ſperandam, niſi in nomine & religione IESU Chriſti.

* **Certa eſt iſta theſis etiam de iis, qui nunquam IESU Chriſti nomen aut religionem ſibi prædicari exaudivere: quod tamen ipſum ſine prævia quadam ipſorum culpa, ſi iam adulti & rationis compotes extiterint, neutiquam futurum eſſe, ex dictis §§. 133. 59. 67. intelliges. Infantes & amentes, qui citra culpam ſuam rationis uſu nunquam potiuntur, dum vivunt, non quidem pœnas luent; attamen nec beatitudine illa ſaltem ſupernaturali, cuius cauſſa primo omnes conditi a DEO ſumus, potientur.**

§. 331.

Quicunque demonſtrationis iſtius Evangelicæ hactenus propoſitæ vim percipiunt, quin ſe IESU Chriſto dedant, non modo omni beatitudinis ſpe prorſus excidunt, ſed damnationis pœnas abſolute & prorſus evidenter incurrunt. Dem. Poſtquam enim ſumme certi ſunt de DEI abſoluta lege, qua is non alium quam hunc præciſe cultum & hoc præciſe genus obſequii, ab eis exigat, quod per IESUM Chriſtum docuit; iam illi deinceps ſine gravi & perpetuo divinæ legis contemtu detrectare hoc ipſum obſequii genus non poſſunt. Et quoniam in re maxime gravi hæc DEI lex verſatur, nimirum in cultu unico, quem DEUS ratum habere velit, & circa unicum medium obti-

nendæ

nendæ illius gloriæ & ſalutis ipſius hominis, qui totius creationis finis eſt (§. 5.): idcirco non poteſt contemtus id genus legis non pœnas damnationis graviſſimas rebelli cuique homini accerſere.

§. 332.

Obligatio ergo recipiendi religionem Chriſtianam reſpectu omnium hominum tum omnino evidens eſt, tum perfecta, & ſumme gravis; remota tamen, vel propinqua; prout quisque demonſtrationis noſtræ Evangelicæ vim imperfecte, aut perfecte, perceperit. DEM. *Evidens* eſt per ſe obligatio hæc; quia ſumme certa DEI voluntas atque lex ab omni homine hunc in ſpecie cultum, quem Chriſtiana religio docet, exigentis (§. 324.). *Perfecta* autem & *ſumme gravis* eſt; quia cum comminatione pœnæ & damnationis, & quidem graviſſimæ, coniuncta (§§. 19. 21.). *Remota* adhuc erit, quamdiu ignota; i. e. quamdiu DEI voluntas, & motivum pænæ, nondum per ſui cognitionem certam menti applicata fuerint, atque adeo necdum actu exſerere vim ſuam poterunt. Fiet autem *proxima*, quamprimum mens cuiusque demonſtrationis vi de utriusque exiſtentia convicta fuerit.

§. 433.

Theiſtæ, qui Chriſtianæ religionis veritatem publice contemnunt, vel impugnant, ore, aut ſcripto, ſtatus politici iuxta ac humanæ felicitatis fundamenta non minus periculoſe ſuccutiunt atque Athei omnis generis; atque adeo perinde atque iſti tolerari ſalva conſcientia non poſſunt in republica Chriſtiana. DEM. Oſtenſum enim toto Cap. II. eſt, primorum etiam religionis mere naturalis principiorum maxime generalium, de libertate & immortalitate mentis humanæ, de DEI Providentia actionibus humanis ſingillatim ſe immi-

immiſcente, de præmiorum & pœnarum alterius vitæ æternitate &c., neceſſariam ſufficientemque notitiam in vulgo hominum communiter & univerſe nec obtineri, nec conſervari ſine revelatione divina omnino poſſe: quorum tamen dogmatum vulgata notitia & firma fide omnis ſocietatis civilis felicitas, & omnia ſocialis vitæ fundamenta unice innituntur. Oſtenſum vero ſimul in decurſu huius operis ſolius Chriſtianæ religionis revelationem, per IESUM Chriſtum factam, vere divinam, eandemque ſumme certam eſſe. Quisquis ergo hanc impugnat; is profecto unicum remedium corrumpere allaborat, quo ſolo fides & notitia primorum illorum civilis vitæ iuxta ac totius humanæ felicitatis fundamentorum conſervari in vulgo hominum univerſe poteſt: atque adeo tam parum atque Atheus quisque, ceu non minus profeſſus humanæ ac publicæ ſalutis hoſtis, tolerari ſalva conſcientia in republica Chriſtiana, id eſt, in ſocietate hominum eiusmodi poteſt, qui tam de neceſſitate quam de veritate religionis Chriſtianæ certi ſunt.

* Et vero ſi aliquando perſuadeas hominibus, falſam eſſe poſſe religionem Chriſtianam, pro qua tanta tamque evidentia ſummæ certitudinis pugnant argumenta: quidni æque, imo multo etiam facilius illi credent, falſa quoque eſſe, nec niſi a politicis viris inventa, & populo a principibus in ſuæ auctoritatis argumentum obtruſa illa dogmata paulo ante enumerata; pro quibus vulgo afferri ſolita argumenta in vulgi ſaltem oculis multis partibus ſunt obſcuriora, magis abſtruſa, minusque ſplendida, quam ſint ea, quæ a nobis toto hoc in opere pro religionis Chriſtianæ certitudine demonſtranda propoſita fuere. Rurſus ſi experientiam ipſam conſulas; nonne plerumque ii ipſi ex aſſe ingenioſi homines, qui Theiſtas ſe profeſſi, acumen primo omne expromunt ad Chriſtianæ religionis fundamenta ſubruenda, nonne, inquam, iſti ipſimet, dum alias in ipſis illis generalibus a me memoratis principiis religionis mere naturalis explanandis verſantur, vulgo ita ratiocinia ſua involvunt, implectunt inter ſe

nodos

nodos & infinitas difficultates, ut eadem ipſa potius modis omnibus ſuſpecta reddere, imo prorſus evertere velle videantur. Lege ſis modo (ut unicum memorem exemplum) lege ſis tentamina Philoſophica Davidis Hume Philoſophi Angli recentiſſimi, & videbis, illum, etſi perfricta fronte & hypocriſi Chriſtianum ſe profiteatur, tamen eadem opera, nec minore vi ac rationum pondere, religionis totius naturalis, atque Chriſtianæ, dogmata ſubvertere, cunctaque in generalem Pyrrhoniſmum provehere; donec ſub finem denique ipſum hunc Pyrrhoniſmum, in quem omnia ante ſtudia converterat, ſtultitiæ convincere, veluti novo quodam rationis diluculo oborto, allaboret. Quodſi vero hæc omnia abeſſent: an non Chriſtiana caritas, quæ lapſus tam gravis, (quantus in eo eſſet, ſiquis fidei Chriſtianæ, ad ſalutem æternam unice & abſolute neceſſariæ, naufragium pateretur) periculum amoliri a quovis proximo hominem unumquemque ſub gravi piaculo iubet; an non, inquam, ſola Chriſtiana caritas principes inprimis, & quicunque Chriſtianæ reipublicæ præſunt, graviſſime obligat, ad peſtem eiusmodi, ſeu ore, ſeu ſcriptis veneno plenis, propoſitam omnibus remediis a Chriſtianis civibus amoliendam.

O. A. M. D. G.

INDEX

Digitized by Google

INDEX
RERUM PRÆCIPUARUM,
IN QUO NUMERI PARAGRAPHOS DESIGNANT.

A.

Atteſtationis Apoſtolicæ, eorumque factorum, exiſtentia probatur, quibus Apoſtoli ſua de IESU Chriſti doctrina, miraculis, & prophetiis teſtimonia edidere, 247. ſeqq. uſque ad 275. eiusdem atteſtationis veracitas evincitur, 275. ſeqq. uſque ad 301. uti & ſufficientia pro factis divinis, ſeu miraculis atteſtandis.

Auctoritas humana quando, & quale ſit criterium veritatis in genere? 41. ſeqq. An ſufficiat pro criterio religionis naturalis? 44. an ſaltem pro factis ſenſibilibus, 45. etiam pro miraculis. 296. 297.

C.

Certitudinis moralis natura, & origo. 169. ſeqq. quando certitudini phyſicæ æquivaleat. 170. quid ad ſummum eius gradum requiratur, & ſufficiat. 172.

Certitudinis phyſicæ natura, & origo. 159. ſeq. Oſtenditur vulgo non eſſe abſoluta, ſed ſolum hypothetica certitudo noſtra de eventibus naturæ. 160. quæ huius certitudinis & quanta connexio cum veritate reali noſtrorum iudiciorum. 162. 166. quomodo differat ab evidentia phyſica. 163. quomodo varientur eius gradus. 164. quid ad ſummum eius gradum requiratur, & ſufficiat. 165. evidentia reflexa certitudinis phyſicæ

cæ oſtenditur. 166. an iſta reflexa evidentia ei vulgo coniuncta ſit. 167. an certitudo phyſica eventus naturæ repugnet veriſimilitudini miraculi. 173.

D.

DavidisHumeAngli,Philoſophi celeberrimi doctrina de certitudine miraculorum falſa eſſe oſtenditur. 156. uſque ad 178. item 200. 201.

Demonſtratio religionis Chriſtianæ qualis habeat locum: an geometrica, ſeu metaphyſica evidentia recte exigatur. 136. an vero ſufficere debeat phyſica & moralis certitudo rite demonſtrata. 137. utriusque iſtius natura, & origo. 159. 169.

E.

Evidentiæ apparentis, ſeu mere *idealis*, quæ natura & origo. 77. quomodo obſtet religionis ſupernaturalis veritati cognoſcendæ. ibid. ſeq. an dogmatum revelatorum incomprehenſibilitas, imo & idealis evidentia falſitatis eorundem, obſtare fidei poſſit, & obligationi credendi; 79. ſeqq. 87. ſaltem quamdiu de facta a DEO revelatione moraliter certi ſumus. 81. Evidentiæ idealis & realis diſcrimen accurate explicatur. 83.

Evidentia phyſica iudiciorum quæ? 156. an ſit abſolute coniuncta cum veritate. 157. an ordinarie detur de eventibus naturæ in hoc mundo. 158.

F.

Fidei DEO revelanti habendæ obligatio etiam circa ea oſtenditur, quæ captum excedunt. 70. ſeqq.

I.

Immortalitas animorum etiam lumine naturæ certa probatur. 12. uſque ad 20.

Incredulitas Theiſtarum an prudens ſit. 138. 141. an conſcientiam reddere tranquillam poſſit. 140. 131.

Iudæorum pertinacia con-

vincitur præcipue ex prophetiis utriusque teſtamenti nexum oſtendentibus,& ex characteribus Meſſiæ ſimul ſumtis. 218. ſeqq. 229. ſeq. Iudæi vim & veritatem omnem ac fidem propriarumScripturarum ſuarum evertunt negando, IESUM Chriſtum eſſe Meſſiam prædictum. 231. Excellentia Ieſu Chriſti Iudæis præcipue oſtenditur. 232. Eiusdem excellentia præ Moiſe in ſpecie,declaratur accurata comparatione utriusque. 233. IESUS Chriſtus unicum gloriæ Iudaicæ nationis fundamentum & fulcrum eſſe oſtenditur. 234. conſenſus veterum Iudaicorum Doctorum cum Chriſtianis in interpretando ſenſu præcipuarum prophetiarum de Meſſia oſtenditur, atque evincitur, non niſi deſperatione adactos poſteriores illorum Doctores, novas interpretationes confinxiſſe. 235. Colliguntur in ſynopſin principia Iudæis plane convincendis aptiſſima. 236. Axiomata hodierna totius Iudaicæ ſuperſtitionis ſummam conficientia quænam ſint. 239. eorum falſitas demonſtratur. 240. oſtenditur, non poſſe Iudæos reiicere interpretationes prophetiarum ſuarum Chriſtianis uſitatas, quin omnem ſuam veterem religionem falſitatis & ſuperſtitionis plane ipſi inſimulent. 242. Fabulæ & ſtultitiæ hodiernæ Thalmudiſtarum Iudaicorum cum ſanctitate & ſapientia veteris eorum legis componuntur. 243.

M.

Mahumetis religio omnis expers veriſimilitudinis oſtenditur. 244. quodque revelari a DEO ne quidem potuerit. 245.

Miraculi notio genuina quæ? quid prodigium naturæ, diabolicum, divi-

divinum? 152. poſſibilitas veri miraculi oſtenditur. 153. certitudo phyſica legum naturæ non obeſt veriſimilitudini miraculi illis oppoſiti, 173. imo requiritur ceu proprium veritatis miraculi criterium. 174. Quod eventus aliquis miraculi rationem vere habeat, æque certum eſt, atque certa eſt lex naturæ, cui adverſatur. 175. de exiſtentia miraculi teſtes oculares certitudinem phyſicam, alii ſolum moralem habere poſſunt. 176. 177. Legum naturæ certitudo phyſica oſtenditur. 149. 178. criteria infallibilia verorum miraculorum recenſentur, & vindicantur. 179. uſque ad 191. an excuſet ab obligatione credendi ſolus defectus evidentiæ metaphyſicæ de exiſtentia & veritate miraculi 180. Difficultas diſcernendi verum miraculum a falſo complanatur. 199. Qualis atteſtatio humana pro eius certitudine ſufficiat, & an maior requiratur, quam pro alio facto ſenſibili. 200.

O.

Obligatio quid? perfecta, imperfecta. 22. obligatio credendi DEO in omnibus oſtenditur. 70. ſeqq.

Officium hominis quid, quotuplex, perfectum, & imperfectum. 23.

P.

Principia Theologiæ Naturalis quænam in iſta Demonſtratione Evangelica ſupponantur. 1. uſque ad 26.

Proemiorum & pœnarum alterius vitæ æternitas oſtenditur. 12. uſque ad 20. 131.

Prophetia quid. 202. ſoli DEO debet originem. 203. 204. eius veritatis obvii characteres. 205. quomodo differat a miraculo. 206. diverſæ eius ſpecies, quæ in divinis Scripturis occurrunt, modus obſcuritatis varius, iſtius finis & origo explicatur: item

Digitized by Google

item quæ primariæ, quæ ſecundariæ. 207. cuiusvis prophetiæ requiſita.

R.

Religio quid? eius diſcrimen a virtute religionis. 25. not. eius diverſæ regulæ, ſpeculativæ aliæ, aliæ practicæ; quarum hæ præcipuæ. Diverſa earundem utilitas, & ordo certus. 26. evidens eſt dari veram religionem. 27. Eiusdem aliqua notitia ad creationis finem abſolute neceſſaria eſt. 28. quæ & quanta ſit neceſſaria abſolute. 29. 30.

Religio naturalis, ſupernaturalis quoad modum, vel quoad ſubſtantiam, quæ? 67. not. naturalis revelatio quotuplex poſſibilis. 68. an decebat eam a DEO revelari cum demonſtratione evidentiæ veritatis dogmatum illius. 69. poſſibilitas religionis ſupernaturalis quoad ſubſtantiam oſtenditur. 68. ſeqq. 72. ſeqq.

Religionis veræ criteria quæ & quot abſolute. 31. ſeqq. Demonſtratio evidentiæ rationis non eſt aptum criterium veræ religionis pro vulgo hominum. 36. ſeqq. nec ſenſus communis naturæ. 40. nec auctoritas humana, 44. ſed ſola DEI revelatio, quæ oſtenditur eſſe ideo moraliter neceſſaria in præſente rerum humanarum conditione, 48. ſeqq. non tamen in omni ſtatu abſolute. 60. quis primus veritatis character in religione revelata? 89. ceteri characteres intrinſeci quinam ſint. in Cap. IV. exordio declaratur, uti & quinam extrinſeci, in exordio Cap. V.

Religionis Chriſtianæ ortus & indoles. 90. ſeqq. eius excellentia in religionis naturalis dogmatis proponendis. 107. ſeqq. in proponendis motivis circa omnia officia virtutum. 111. eiusdem comparatio quoad hoc caput cum aliis celebrio-

brioribus in orbe religionibus. 114. Quæ eadem, quatenus eſt ſupernaturalis, religioni mere naturali ſuperaddat. 115. ſeqq. eius ſublimitas, ſapientia, 116. ſanctitas tam in ſe, quam in ſuo auctore. 117. in media obſcuritate claritas mirabilis. 118. Eminentia ſupra religionem mere naturalem. 119. Utilitas. 120. neceſſitas abſoluta ad ſalutem ſuppoſita ſemel eiusdem veritate. 121. ſeqq. poſſibilitas. 124.

Religionis Chriſtianæ Myſteria defenduntur tum ab abſurdo Metaphyſico, uti Myſterium SS. Trinitatis 125. & Incarnationis Dominicæ: 126. tum a repugnantia phyſica, uti SS. Euchariſtia, 127. & dogma de igne inferno ſpiritus cruciante, 128. tum ab abſurdis moralibus, quæ nulla ineſſe oſtenduntur, nec Myſterio Crucis, 129. nec in dogmate de peccato originali, 130. nec in æternitate pœnarum alterius vitæ, 131. nec in conſiliis Evangelicis. 132. ubi & aliæ Theiſtarum argutiis ſimilibus reſpondetur. 133. ſeq.

Religionis Chriſtianæ characteres extrinſeci veritatis, & divinæ originis, ac revelationis, ſunt vera miracula, & prophetiæ. Cap. V. Artic. I. & II. recenſentur præcipua miracula, pro eius veritate pugnantia. 191. ſeqq. eorum veritas oſtenditur, 194. 195. & contra argutias incredulorum vindicatur. 196. uſque ad 202. diſcrimen illorum a fictitiis gentilium prodigiis, & aliorum impoſtorum miraculis. 198. Prophetiæ præcipuæ recenſentur, tum veteris teſtamenti, 209. ſeqq. tum a Chriſto editæ. 215. Prophetia de everſione Solymæ, ibid. de converſione gentium, & propagatione Evangelii; cuius executio celerrima & admirabilis refer-

refertur. 216. Prophetia de propria Chriſti paſſione & reſurrectione. 217. Exhibentur prophetiæ nexum utriusque teſtamenti, & Iudæorum pertinaciam, demonſtrantes. 218. ſeqq. 230. Characteres Meſſiæ 218. ſeqq. Prophetia Iacobi, 225. ſeqq. & Danielis explicantur. 227. ſeq. vis ſimultanea omnium veterum prophetiarum in luce collocatur. 229. Prophetiæ Chriſti oſtenduntur inſignitæ omnibus veritatis characteribus. 237. 238.

Religionis a Chriſto traditæ atteſtatio Apoſtolica probatur primis Chriſtianis facta eſſe per documenta irrefragabilia. 246. ſeqq. fundatio prima Eccleſiarum. ibid. Conſentiens harum fides & teſtimonium de exiſtentia illius atteſtationis, tum ore, tum ſcripto factæ, quantam debeat habere vim. 247 Eadem fides publica illi atteſtationi habita, tum vero etiam de authentia & veris auctoribus Evangeliorum, & Epiſtolarum Canonicarum, per documenta invicta comprobatur. 248. Cautela ſumma & criſis adhibita ab eisdem Eccleſiis primitivis fuiſſe oſtenditur in authenticis Apoſtolorum ſcriptis ab Apographis diſcernendis. 249. Numerus teſtium præter Apoſtolos hic intervenientium. 250. ſeqq.

Religionis Chriſtianæ Evangelia, ſaltem tria priora ante everſionem Solymæ edita ſunt. 255. Sequitur Examen criticum omnium quatuor Evangeliorum. 257. ſeqq. S. Matthæi. 258. S. Marci, 264. S. Lucæ, 265. S. Ioannis Ev. 266. Antilogiæ quædam illorum explicantur. 268. uſque ad 274.

Atteſtationis Apoſtolicæ pro Chriſtianæ religionis divinitate veracitas defenditur. 275. uſque ad 301. primi Chriſtiani a ſuſpi-

Digitized by Google

a ſuſpicione nimiæ ruditatis & credulitatis defenduntur, 277. 288. uti & ipſi Apoſtoli ac primi diſcipuli IESU Chriſti. 286. 289. hi ipſi a fraude & impoſtura vindicantur. 278. 280. Eadem ſuſpicio multo magis ab ipſo Chriſto Domino removetur. 287. Cur non tota Iudæorum natio crediderit. 290. teſtimonia Apoſtolica profanis teſtimoniis confirmantur. 291. 295. Philonis Iudæi ſilentium excuſatur. 292. Ioſephi Flavii Iudæi celebre teſtimonium in lib. XVIII. Antiq. cap. 4. vindicatur. 293. Taciti & Suetonii adverſa teſtimonia elevantur. 294. Referuntur teſtimonia Pilati, Celſi, Phlegontis, Lampridii, Hieroclis, Porphyrii, Iuliani Apoſtatæ, Chriſtianæ religioni faventia. 295. 296. Argutiæ Theiſtarum his teſtimoniis contrariæ ſolvuntur. 296. ſeqq.

Revelatio divina quæ? interna, externa. 74. eius neceſſitas moralis oſtenditur. 48. an DEUS vere pugnantia cum lumine naturali revelare poſſit? 80. quale examen revelationis licitum ſit. 86. ſeq.

S.

Scripturarum veterum Iudaicarum Authentia oſtenditur. 301. uſque ad 320. ſcriptæ ſunt certo ante adventum Chriſti. 302. fides & ſcientia auctorum eſt extra dubium. 303. Moiſes ſummam meretur fidem. 305. Alius quam ipſe Auctor Pentateuchi eſſe non potuit, 300. nec iſte poſtea corrumpi, aut interpolari potuit. 306. ſeq. totus canon Hebræorum genuinus eſt. 309. ſeq. ſuſpiciones omnes de vitiatione poſt facta removentur 311. variatio verſionum excuſatur. 312. Difficultates hiſtoriæ, 313. diſſenſus ab hiſtoria profana, 314. & a chronologia profana explicatur. 315. 316.

T.

Theiſtæ quinam? quot eorum claſſes? quæ indoles? 35.

O. A. M. D. G.

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

ed by Google

Digitized by Google

Digitized by Google